P. VIRGILII
MARONIS
ÆNEIDOS
LIBRI VI.
POSTERIORES

Cum Exercitationibus
Rhetoricis in Præcipuas
ejus Orationes

ET

IV. INDICIBUS.

P. VIRGILII M.

ÆNEIDOS

LIBER VII.

ARGUMENTUM.

ÆNeas è Cumano litore ad occidentem provectus, tumulatâ in Auruncorum litore Cajetâ nutrice suâ, prætergressus montem Circæum, Circes habitatione & veneficiis infamem, ad ostia Tyberis appellitur. Tunc Latinus illic Aboriginibus imperabat. Huic unica erat filia Lavinia, Fauni oraculis destinata externo marito, Amatæ tamen matris voluntate promissa Turno Rutulorum regi. Mittit Æneas Oratores Laurentum, in urbem Latini regiam. Latinus Æneam, non modò in solium; sed oraculi memor, etiam in generum admittit. Interim Juno, pro-

prosperis Trojanorum rebus offensa, evocat Alecto ex inferis. Alecto primùm Amatam Latini uxorem ita concitat, ut illa Bacchi sacra simulans filiam abscondat in montibus. Turnum deinde furiis iisdem agit in bellum : & Trojanos Latinosque invicem committit ; occiso per Ascanium cervo, qui Tyrrhei pastoris regii filio erat in deliciis. Omnibus bellum frementibus, Latinus unus obsistit : tamen, Junone ipsâ belli portas aperiente, rem fatis permittere cogitur. Confluunt ad Turnum ex omnibus Italiæ partibus auxilia : Mezentius, ejusque filius Lausus, cum Agyllinis, Catillus & Coras, cum Tyburtinis ; Cæculus cum Prænestinis, &c.

Tu quoque littoribus nostris, Æneïa nutrix,
Æternam moriens famam, Caïeta, dedisti,
Et nunc servat honos sedem tuus ; ossâque nomen
He-

Cajeta. Gaëta, *Urbs & portus Campaniæ in Italia, cui nomen putatur dedisse Æneæ nutrix Cajeta.*

Servat honos sedem tuus. *Hypallage, sive commu-*

Hesperia in magna, si qua est ea gloria, signat.
At pius exequiis Æneas ritè solutis,
Aggere composito tumuli, postquam alta quiêrunt
Æquora, tendit iter velis, portúmque relinqui
Aspirant auræ in noctem: nec candida cursumt.
Luna negat: splendet tremulo sub lumine pontus,
Proxima Circææ raduntur littora terræ:
Dives inaccessos ubi Solis filia lucos
Assiduo resonat cantu, tectísque superbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Arguto tenues percurrens pectine telas.
Hinc exaudiri gemitus, iræque leonum

Vin-

mutatio, pro: Sedes servat *honorem & memoriam tuam.*

Hesperia in magna. *Italia, Æn.* 1. 534.

Aggere composito: *Terrâ in Tumulum aggeratâ.*

Circææ terræ. *Promontorium, & Mons* Circæus, *bodie* Circello, *in Latio, dictus est à* Circe *Venefica, Solis filia, de qua Æn.* 3. 386.

Inaccessos. *Quorum difficilis accessus.*

Resonat cantu lucos: Personat, resonare docet. *Neutrum pro activo. Porro Circe* urit Cedrum, *sive tædam è Cedro pretiosa arbore, quæ cariem non sentit; unde oleum exprimitur.* Percurrit telas, *telam texit, opus muliebre:* pectine arguto, *id est, vel* stridulo, *vel* acuto.

Gemitus, iræque: *Gemitus, & rugitus irascentium leonum cœperunt audiri.*

Vincla recusantûm & sera sub nocte rudentûm:
Setigerique sues, atque in præsepibus ursi
Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum:
Quos hominum ex facie Dea sæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.
Quæ ne monstra pii paterentur talia Troës
Delati in portus, neu littora dira subirent;
Neptunus ventis implevit vela secundis,
Atque fugam dedit, & præter vada fervida vexit.
Jámque rubescebat radiis mare, & æthere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis:
Cùm venti posuêre, omnísque repentè resedit
Flatus, & in lento luctantur marmore tonsæ,
Atque hîc Æneas ingentem ex æquore lucum

Præsepibus: *Caveis, ubi aluntur.*

Quos hominum ex facie &c. *Dicitur Circe potu medicati liquoris, & virgæ tactu mutâsse homines in feras. Et sic in sues mutavit Ulyssis socios, præter Eurylochum, qui domum ejus ingredi noluerat, & Ulyssem, qui esu cujusdam herbæ, præservatus à Mercurio fuerat.*

Præter vada fervida: *Periculosa navigantibus, & quasi ferventis aquæ bullas arenâ commixtas ejicientia.*

Lutea: *Crocei coloris.*

Tonsæ: *Remi; sic dicti, vel quia fiunt è ligno* attonso, *& dolato; vel quia aquas* tondent, *vel* tundunt, *& verberant.*

Ty-

Proſpicit: hunc inter fluvio Tyberinus amœno,
Verticibus rapidis & multâ flavus arenâ,
In mare prorumpit: variæ circúmque ſupráque
Aſſuetæ ripis volucres & fluminis alveo,
Æthera mulcebant cantu, lucóque volabant,
Flectere iter ſociis, terræque advertere proras
Imperat: & lætus fluvio ſuccedit opaco.
Nunc age, qui reges, Erato, quæ tempora rerum,
Quis Latio antiquo fuerit ſtatus, advena claſſem
Cùm primùm Auſoniis exercitus appulit oris,
Expediam: & primæ revocabo exordia pugnæ.
Tu vatem, Tu Diva mone: dicam horrida bella,
Dicam acies, actóſque animis in funera reges,
Tyrrhenámque manum, totámque ſub arma coactam
Heſperiam, Major rerum mihi naſcitur ordo,

Tyberinus. *Fluvius, vel potiùs fluvii Deus. De eo Æn.* 8. 330.

Lætus: *Gaudens ſe laborum & peregrinationum finem attigiſſe.* Fluvio opaco: *Umbroſo ab umbra ſylvæ, quam mediam interfluit.*

Nunc age: *Hîc eſt ſequentis operis initium; & hinc invocatio Muſæ.*

Erato. *Muſa, quæ verſibus præeſt amatoriis, ab ἐράω amo. Hanc invocat, quia bellorum ſequentium origo ex amore Turni & Æneæ in Laviniam,*

Actóſque animis: *Reges irâ impulſos in cædes & funera.*

Tyrrhenam. *Tuſcam, Etruſcam.*

Majus opus moveo. Rex arva Latinus & urbes
Jam ſenior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno & Nympha genitum Laurente Maricâ
Accipimus. Fauno Picus pater: iſque parentem
Te, Saturne, refert, tu ſanguinis ultimus auctor.
Filius huic, fato Divûm, prolesque virilis
Nulla fuit: primâque oriens erepta juventâ eſt.
Sola domum, & tantas ſervabat filia ſedes:
Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.
Multi illam magno è Latio totâque petebant
Auſonia. Petit ante alios pulcherrimus omnes

Tur-

Nympha Laurente. *Laurens vocatur ex nomine regionis; hoc nomen autem Laurens primò fuit inditum ſylvæ laureæ, quæ circa littus Tyrrheni maris fuit, à Tiberi Orientem verſùs porrecta. Inde vicina regio* Laurens *etiam dicta eſt.*

Filia. *Lavinia, quæ demum Æneæ nupſit, occiſo Turno.*

Magno è Latio. *Duplex* Latium *fuit: antiquum à Tiberi fluvio ad Circeum montem*, Circello. *Novum ſeu Magnum à Tiberi ad Lyrim amnem, qui nunc eſt* Garigliano *complectens Volſcos, Auruncos, Æquos &c.*

Auſonia. *Auſones Italiæ partem incoluerunt inferiorem, quæ ad Siciliam accedit. Factum ſubinde, ut, quia Auſones rebus geſtis notiſſimi evaſerant, eorum nomine à Græcis vocaretur tota Italia, à Sicilia usque ad alpes.*

Turnus,

Turnus avis, atavísque potens: quem regia conjux
Adjungi generum miro properabat amore:
Sed variis portenta Deûm terroribus obstant.
Laurus erat tecti medio, in penetralibus altis,
Sacra comam, multósque metu servata per annos:
Quam pater inventam, primas cùm conderet arces,
Ipse ferebatur Phœbo sacrâsse Latinus;
Laurentísque ab ea nomen posuisse colonis.
Hujus apes summum densæ, mirabile dictu,
Stridore ingenti liquidum trans æthera vectæ,
Obsedêre apicem: & pedibus per mutua nexis,
Examen subitum ramo frondente pependit.
Continuò vates: externum cernimus, inquit,

Ad-

Turnus avis &c. *Dauni & Veniliæ filius: Rutulorum Rex; Venilia soror erat Amatæ Latini uxoris, divinis honoribus affecta Æn.* 10. 76. *Daunus maternum genus ducebat à Jove per Danäem, infrà v.* 372. *paternum à Pilumno, Deo etiam babito.*

Regia conjux. Amata *Veniliæ soror.*

Portenta. *Prodigia, quibus Dii voluntatem suam indicabant; à* portentendo; *nam & bona, & mala sunt portenta.*

Laurus erat: *Primum prodigium, examen apum considentium in apice lauri.*

In penetralibus: *Penetrale est omnis interior pars domûs, licet sit intecta. Unde laurum in penetralibus fuisse non est mirum.*

Examen. *Examen apum dicitur nova apum soboles, quam parentes ex suis alvearibus ad novas sedes quærendas exire cogunt; quòd hæ ita uniantur, ut si-*

Adventare virum; & partes petere agmen easdem
Partibus ex iisdem, & summa dominarier arce.
Prætereà castis adolet dum altaria tædis,
Et juxta genitorem astat Lavinia virgo:
Visa, nefas, longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari;
Regalésque accensa comas, accensa coronam
Insignem gemmis: tum fumida lumine fulvo
Involvi, ac totis Vulcanum spargere tectis.
Id verò horrendum ac visu mirabile ferri.
Námque fore illustrem famâ fatísque canebant
Ipsam, sed populo magnum portendere bellum.
At rex solicitus monstris, oracula Fauni
Fatidici genitoris adit: lucósque sub alta

Con-

mul ligatæ videantur, quasi ἐξζηγμένα simul ligata.

Dominarier. *Extensio Syllabæ pro* dominari.

Prætereà: *Secundum prodigium: flamma lambens.*

Adolet altaria tædis. *Adolet thus ad altaria domesticorum Deorum. Æn.* 1. 708. Flammis adolere penates.

Visa, nefas, *Res horrida, visa est corripere ignem capillis. Est hypallage. Nam potiùs ignis comprehendit crines.*

Vulcanum. *Deum ignis pro igne.*

Albu-

Consulit Albunea: nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat, sævámque exhalat opaca Mephitim.
Hinc Italæ gentes omnísque Oenotria tellus
In dubiis responsa petunt: huc dona sacerdos
Cùm tulit, & cæsarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnósque petivit,
Multa modis simulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruitúrque Deorum
Colloquio, atque imis Acheronta affatur Avernis.

Hic

Albunea. *Albunea fons est profundissimæ altitudinis; unde erumpit Fluvius Albula nunc* la Solforata, *sulfureis aquis memorabilis, quæ primò frigidæ sunt, mox inducunt calorem.* Albula, *paulò infra Tybur, influit in* Anienem *fluvium, nunc* Teverone. *Odor ejus & sapor corruptus est, unde ait Virgilius exhalare Mephitim. Apud* Albuneam *sylva fuit, ubi culti sunt Fauni.*

Mephitim. *Mephitis est Juno aëri corrupto præsidens; cui ædes apud Hirpinos fuit ad lacum Amsancti, & apud Cremonam. Hîc* Mephitis *pro ipso putore sumitur, ut Vulcanus pro igne, Jupiter pro aëre. Juxta Scaligerum Mephitis vox Etrusca est, à Syris deducta, apud quos gravitatem odoris significat.*

Oenotria tellus: *Italia primùm dicta est Hesperia, deinde Ausonia, mox Oenotria ab Oenotrio Lycaonis filio Arcade huc advecto. Cluver. Lib.* 1. *cap.* 1.

Acheronta affatur Avernis: *Per Acheronta, fluvium infernum; de quo Æn. 6. 323. umbras, Deósque inferorum intelligit; per* Averna, *inferorum*

ostia;

Hîc & tum pater ipse petens responsa Latinus.
Centum lanigeras mactabat ritè bidentes;
Atque harum effultus tergo, stratísque jacebat
Velleribus. Subita ex alto vox reddita luco est:
Ne pete connubiis natam sociare Latinis,
O mea progenies; thalamis neu crede paratis.
Externi veniunt generi: qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant; quorúmque à stirpe nepotes
Omnia sub pedibus, quà Sol utrumque recurrens
Aspicit Oceanum, vertíque regíque videbunt.
Hæc responsa patris Fauni, monitúsque silenti
Nocte datos, non ipse suo premit ore Latinus;
Sed circùm latè volitans jam fama per urbes
Ausonias tulerat: cùm Laomedontia pubes
Gramineo ripæ religavit ab aggere classem,
Æneas, primíque duces, & pulcher Iülus,

Cor-

ostia; de quibus Æn. 6. 237. ipsos indicat inferos.

Connubiis Latinis: *E Latio, quod complectitur Aborigines, Rutulos, Laurentes, Volscos &c.*

Quà Sol utrumque &c. *Magnitudinem notat futuri Romani Imperii; vel ab Oceano Orientali ad Occidentalem, quà Sol diurno motu recurrit, vel ab Oceano Septentrionali ad meridionalem, quà Sol annuo motu discurrit.*

Laomedontia pubes: *Trojana juventus, à Laomedonte, patre Priami, Rege Trojanorum dicta, anchoras jecit, & naves retinaculis religavit ad altam ripam.*

Ardo-

Corpora sub ramis deponunt arboris altæ:
Instituúntque dapes, & adorea liba per herbam
Subjiciunt epulis (sic Juppiter ipse monebat)
E Cereale solum pomis agrestibus augent.
Consumptis hîc fortè aliis, ut vertere morsus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi;
Et violare manu, malísque audacibus orbem
Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris:

Heu

Adorea liba. *Placentas ex frumento purissimo, quod* ador *sive* far *appellatur.*

Et Cereale solum: *Solum omne dicitur, quod aliquid sustinet. Sic nunc panicias mensas, id est, epularum sustentaculum* solum *vocavit. Onerant ergo mensas, id est, liba adorea, vel quadras è pane, fructibus, aliísque eduliis.*

In Cererem: *Panem; in mensas adoreas;* Ceres *Dea frumenti, & panis.*

Orbem fatalis crusti. *Mox vocabit* quadram, *tum* mensam, *& placentas intelligit, quæ pro patinis tum fuerunt, & verò sæpè esse solebant apud veteres. Hæc vocum diversitas è placentæ figura repetenda est. Erat enim rotunda quidem, sed lineis duabus decussatim in medio signata, itaque quatuor veluti quadris distincta.*

Fatalis: *Erat enim in fatis, & ab Harpya Celæno prædictum suprà lib. 3. non priùs habituros errorum & laborum finem, quàm dira eos fames adegisset mensas absumere.*

Allu-

Heu! etiam mensas consumimus, inquit Julus;
Nec plura, alludens. Ea vox audita laborum
Prima tulit finem: primámque loquentis ab ore
Eripuit pater, ac stupefactus numine pressit.
Continuò: Salve fatis mihi debita tellus;
Vósque, ait, ô fidi Trojæ salvete Penates.
Hîc domus, hæc patria est, Genitor mihi talia (námque
Nunc repeto) Anchises fatorum arcana reliquit:
Cùm te, nate, fames ignota ad littora vectum
Accisis coget dapibus consumere mensas;
Tum sperare domos defessus, ibíque memento
Prima locare manu, molirísque aggere tecta.
Hæc erat illa fames: hæc nos suprema manebant,
Exitiis positura modum.
Quare agite: & primo læti cum lumine solis,
Quæ loca, quíve habeant homines, ubi mœnia gentis,
Vestigemus; & à portu diversa petamus.
Nunc pateras libate Jovi, precibúsque vocate
Anchisen genitorem, & vina reponite mensis.
Sic deinde effatus, frondenti tempora ramo

Im-

Alludens. *Jocans, & sic allusionem faciens ad ea, quæ prædixerat Harpya.*

Laborum finem: *Scilicet maritimorum; nam in terra multa passurus est.*

Illa fames &c. *Prædicta ab Harpya Celæno.*

Genitúm-

Implicat, & Geniúmque loci, primámque Deorum
Tellurem, Nymphásque & adhuc ignota precatur
Numina, tum Noctem, Noctísque orientia signa,
Idæúmque Jovem, Phrygiámque ex ordine matrem
Invocat, & duplices cælóque Erebóque Parentes.
Hîc pater omnipotens ter cælo clarus ab alto
Intonuit, radiísque ardentem lucis & auro
Ipse manu quatiens ostendit ab æthere nubem.
Diditur hîc subitò Trojana per agmina rumor,
Advenisse diem, quo debita mœnia condant.

Cer-

Geniúmque loci. *De Geniis locorum Æn.* 5. 95.

Primámque Deorum Tellurem &c. Aliqui *post Chaos primam Deorum ponunt* Terram, *quæ primò genuerit Cælum: ex Cælo Oceanum, Saturnum, Gigantes &c.*

Noctem *&c. Deam item, prognatam è Chao, & parentem Diei atque Ætheris.*

Idæúmque Jovem. *Natum in Ida Cretæ monte, & educatum in Dictæo ejusdem antro.*

Phrygiámque matrem. *Cybelen, in Phrygia præcipuè cultam.*

Ex ordine: *Ritu & more Solenni.*

Duplices cælóque Erebóque parentes. *Venerem Matrem, quæ in cælo: & Anchisen patrem, apud inferos.*

Diditur. *Non* deditur: *hoc enim à* dedo *trado; illud à* dido *distribuo. Longè latéque rumor spargitur.*

Vina

Certatim inſtaurant epulas, atque omine magno
Crateras læti ſtatuunt, & vina coronant.
Poſtera cùm primâ luſtrabat lampade terras
Orta dies; urbem, & fines, & littora gentis
Diverſi explorant: hæc fontis ſtagna Numici,
Hunc Tybrim fluvium, hîc fortes habitare Latinos.
Tum ſatus Anchiſa delectos ordine ab omni
Centum oratores auguſta ad mœnia Regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes:
Donáque ferre viro, pacémque expoſcere Teucris.
Haud mora: feſtinant juſſi, rapidíſque feruntur
Paſſibus; ipſe humili deſignat mœnia foſſâ,
Molitúrque locum, primaſque in littore ſedes
Caſtrorum in morem pinnis atque aggere cingit.
Jamque iter emenſi, turres ac tecta Latinorum
Ardua cernebant juvenes, muróque ſubibant,
Ante urbem pueri & primævo flore juventus
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus:
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis

Vina coronant: *De coronatione vini, cùm vel implentur vino pocula, vel reipsâ cinguntur floribus Æn.* 3. 525.

Stagna Numici. *Fontem Numici fluvii.*

Ramis Palladis. *Olivæ, Palladi ſacræ.*

Pinnis: *Muro, in quo pinnæ ſunt.*

Tecta Latinorum.* *Notat* Laurentum *urbem, Latini Regiam.*

Domitántque in pulvere currus: *Equos ſub curribus. Alluſum autem ad exercitia pubis, & juventutis Romanæ.*

Acres arcus: *Fortes.* Lenta. *Mollia.*

Curia

Spicula contorquent, cursúque ictúque lacessunt.
Cùm provectus equo longævi Regis ad aures
Nuntius ingentes ignota in veste reportat
Advenisse viros. Ille intra tecta vocari
Imperat, & solio medius consedit avito.
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Urbe fuit summa, Laurentis regia Pici,
Horrendum sylvis & relligione parentum.
Hinc sceptra accipere, & primos attollere fasces
Regibus omen erat: hoc illis curia templum,
Hæc sacris sedes epulis: hic ariete cæso
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum

An-

Curia templum. *Curia, locus est, ubi res publicæ* curantur: *Sive divinæ, ut sacrificia; sive humanæ, ut judicia, consilia. Unde aliquando cum templo fere convenit; aliquando ab eo diversa est, ut hîc. Qui curiæ præerat, dicebatur inde apud Romanos* curio, *& postquam populus R. à Romulo tres in tribus distinctus est, singulæ tribus divisæ sunt in decem* curias, *sic dictas a locis, quò Sacrorum negotiorúmque causâ separatim cives conveniebant.*

Perpetuis mensis. *In longum porrectis, ubi continua serie sederent convivæ, non verò distinctis in sedilibus. Sic Æn.* 8. perpetui tergo bovis.

Antiqua è cedro, Italúsque, patérque Sabinus
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem;
Saturnúsque senex, Janíque bifrontis imago
Vestibulo astabant: alíique ab origine reges,
Martia qui ob patriam pugnando vulnera passi,
Multáque præterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra,
Spiculáque, clypeíque, ereptáque rostra carinis.
Ipse Quirinali lituo parvâque sedebat

Sua;

Italus. *Hunc ajunt quidam fuisse Siculorum regem, alii potentem virum, Oenotrum genere, qui propagato imperio, regionem.* Oenotriam *antè dictam, nomine suo* Italiam *nuncupârit.*

Sabinus Vitisator. *Sabinus nomen dedit Sabinis, genti vel ex Lacedæmoniis, vel ex Oscis Ausonibus oriundæ. Filius fuit* Sanci *bujus regionis genii, qui alio nomine* Dius fidius, *alio item* Semo *dicebatur. Vitium culturam dedisse traditur.*

Sub imagine: *Tenens in imagine falcem curvatam.*

Saturnúsque: *De Saturno Æn.* 8. 319.

De Jano *bifronte infrà v.* 613.

Captivi: *Id est, captivorum currus.*

Quirinali lituo. *Lituus, hîc baculus est augurum, in summa parte incurvus, quo cæli regiones ad consulendos avium volatus distinguebant. Alibi etiam tuba est ejusdem formæ.* Quirinalis *dicitur: quia Romulus augurandi mirè peritus fuit, ob eámque rem litu-*

um

Succinctus trabeâ, lævâque ancile gerebat
Picus, equûm domitor: quem capta cupidine conjux 190

um solebat gestare: qui deinde studiosè servatus in curia Saliorum, quæ est in Palatio, cùm ea deflagrasset, inventus est integer, ut est apud Cicer de Divin. l. 1. Cùm ergo Romulus appellatus sit Quirinus, *ideò lituus hic* Quirinalis *per anticipationem vocatur.*

Trabeâ. *Trabea, toga fuit, communis sive albi coloris: in eo dissimilis* prætextæ: *quòd* prætexta *purpureo limbo tantùm in ima ora prætexeretur: trabea multis fasciis virgísque purpureis, instar trabium transversis, ac discurrentibus ornaretur; iisque vel intextis, vel assutis. Ornamentum fuit Equitum in decursione publica, item & Consulum in aperiendo Jani templo: aliquando etiam Augurum, qualis hîc ornatus Pici describitur.*

Ancile gerebat. De Ancilibus, *scutis minoribus ac rotundis Æn.* 8. 664.

Picus equûm domitor. Studiosus equorum *dicitur ab Ovidio, mutatúsque in avem* picum *à Circe, quòd ob fidem uxori suæ Canenti servandam, ejus amorem sprevisset: ideò in* picum; *quia avis illa maximi usûs fuit in captandis auguriis, qua in arte idem rex excelluit, unde & augurali habitu hîc describitur. Vocatur Circe* conjux, *id est,* amatrix, *quæ conjugis locô optabat esse; ut Eclogâ* 8. *v.* 18.

Conjugis indigno Nisæ deceptus amore.

Aureâ percuſſum virgâ, verſúmque venenis,
Fecit avem Circe, ſparſítque coloribus alas.
Tali intus templo Divûm, patriâque Latinus
Sede ſedens, Teucros ad ſeſe in tecta vocavit:
Atque hæc ingreſſis placido prior edidit ore:
Dicite Dardanidæ (neque enim neſcimus & urbem
Et genus, auditíque advertitis æquore curſum)
Quid petitis? quæ cauſa rates, aut cujus egentes
Littus ad Auſonium tot per vada cærula vexit?
Sive errore viæ, ſeu tempeſtatibus acti;
(Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto)
Fluminis intrâſtis ripas, portúque ſedetis;
Ne fugite hoſpitium: néve ignorate Latinos,
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus æquam,

Spon-

Aureâ percuſſum virgâ: *Aliqui legunt* aurea, *in primo caſu, ut ad Circen referatur, quemadmodum* Venus aurea *appellatur. Æn.* 10. 16. *Alii*, aureâ *in ſexto caſu, ut ad virgam referatur, quemadmodum Æn.* 1. 702. Aureâ compoſuit ſpondâ.

Sparsítque coloribus: *Purpureo & fulvo, quibus pici pennæ diſtinctæ ſunt.*

Vada cærula: *Cærulum eſt viride cum nigro, ut eſt mare.*

Saturni gentem: *Ne fugiatis, ne ignoretis gentem noſtram, populum Saturni, non per vincula legum coërcitam & coactam, ſed ſine legibus ſponte ſua retinentem eos mores, quibus olim à Saturno ſumus inſtituti.*

Spontè sua, veterísque Dei se more tenentem.
Atque equidem memini (fama est obscurio annis)
Auruncos ita ferre senes: his ortus ut agris
Dardanus Idæas Phrygiæ penetravit ad urbes,
Threïciámque Samum, quæ nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Coriti Tyrrhena ab sede profectum
Aurea nunc solio stellantis regia cæli

Ac-

stitui. Veterísque : *Antiqui : ac si diceret, aurei seculi imagine vivimus, juxta auream Saturni ætatem.*

Fama est obscurior : *Quanquam fama illa minus nota est ob vetustatem.*

Auruncos ita ferre senes : *Ita narrare senes Auruncos.* Aurunci, *sic appellati, etiam Ausones sunt, & Ausonij, & Latini. Ostendit hîc cognationem Trojanorum cum Italis, quia Dardanus erat Corito Hetruriæ urbe oriundus &c. quod probat auctoritate antiquissimorum Auruncorum, qui antiquas Italiæ historias callebant.*

Threïciámque Samum. *Samos hæc, nam triplex est, ad meridiem Thraciæ sita est, contra ostia Hebri fluvii, in mari Ægeo, communiùs Samothracia dicta, nunc Samandrachi.*

Coriti. *Coritum Tusciæ oppidum, nunc* Cortona.

Tyrrhena à sede : *Ab urbe Corito Hetruriæ, Tyrrheni enim & Hetrusci iidem sunt.*

Aurea nunc : *Dardanus nunc inter Deos relatus,*

Accipit, & numerum Divorum altaribus auget.
Dixerat: & dicta Ilioneus sic voce secutus?
Rex, genus egregium Fauni: nec fluctibus actos
Atra subegit hyems vestris succedere terris;
Nec fidus regione viæ, litúsque fefellit.
Consilio hanc omnes animísque volentibus urbem
Afferimur: pulsi regnis, quæ maxima quondam
Extremo veniens Sol aspiciebat Olympo.
Ab Jove principium generis, Jove Dardana pubes
Gaudet avo: rex ipse Jovis de gente suprema
Troïus Æneas tua nos ad limina misit
Quanta per Idæos sævis effusa Mycenis
Tempestas ierit campos, quibus actus uterque
Europæ atque Asiæ fatis concurrerit orbis:
Audiit, & si quem tellus extrema refuso
Submovet Oceano, & si quem extrema plagarum

Quæ

adjectione nominis sui auxit Deorum numerum, donatus altaribus.

Tempestas : *Vis bellorum.*

Europæ atque Asiæ. *Græci, qui ex Europa, Trojani, qui ex Asia.* Orbis *pro mundi parte hîc sumitur.*

Audiit &c. *Audierunt, & qui extra Herculeas fauces, quà se refundit Oceanus, habitant : & si qui sub torrida zona, quæ media est quatuor aliarum, degant.*

Extrema refuso : *Pro refluente. Turnebus lib.* 30. *cap.* 5. *Britanniam dicit, eásque insulas Oceani, ubi septenni boris, reciproco cursu fluit, refluítque mare, ac refunditur.*

Dilu-

Quattuor in medio dirimit plaga solis iniqui.
Diluvio ex illo tot vastà per æquora vecti,
Diis sedem exiguam patriis, litúsque rogamus
Innocuum, & cunctis undámque aurámque patentem,
Non erimus regno indecores : nec vestra feretur
Fama levis, tantíque abolescet gratia facti :
Nec Trojam Ausonios gremio excepisse pigebit.
Fata per Æneæ juro, dextrámque potentem,
Sive fide, seu quis bello est expertus & armis :
Multi nos populi, multæ (ne temne, quòd ultro
Præferimus manibus vittas, ac verba precantûm)
Et petjêre sibi & voluêre adjungere gentes.
Sed nos fata Deûm vestras exquirere terras
Imperiis egêre suis. Hinc Dardanus ortus,
Huc repetit : jussísque ingentibus urget Apollo

Tyrr-

Diluvio ex illo : *Ab illo excidio, jactati per tot maria immensa poscimus pro Diis domesticis sedem angustam, & littus securum, & aquam, atque aërem communem omnibus.*

Præferimus manibus : *Supplices pacem aut veniam petentes præferebant oleæ ramos laneis vittis obvolutos, qui repræsentarent manus velamentis illigatas, vinctas, & sese dedentes.*

Hinc Dardanus ortus : *Corito, monte Hetruriæ; ex hac nimirum terra ortus est, hanc in terram nos revocat, qui ab eo oriundi sumus ; & nos huic terræ repetit, & vindicat.*

Tyrrhenum ad Tybrim, & fontis vada sacra Numici.
Dat tibi præterea fortunæ parva prioris
Munera, relliquias Troja ex ardente receptas.
Hoc pater Anchises auro libabat ad aras:
Hoc Priami gestamen erat, cùm jura vocatis
More daret populis, sceptrúmque, sacérque tiaras,
Iliadúmque labor, vestes.
Talibus Ilionei dictis, defixa Latinus
Obtutu tenet ora, solóque immobilis hæret
Intentos volvens oculos: nec purpura regem
Picta movet, nec sceptra movent Priameïa tantum;
Quantum in concubio natæ thalamóque moratur,
Et veteris Fauni volvit sub pectore sortem.

Tyrrhenum ad Tybrim: *Ex Hetruriæ, sive Tyrrheniæ montibus profluentem.*

Numici. *Suprà v.* 150.

Sacérque tiaras. Tiaras *Pileus fuit omnium ferè orientalium Principum, igitur & Phrygum, oblongus, rotundus, in acumen desinens, pendulis ad aures vittis insignitus: cujus acumen erectum quidem reges ferebant: cæteri ab rege illustres viri, paullùm inflexum. Dicitur etiam* tiara, æ.

Iliadúmque labor, vestes. *Vestes acu pictæ, quod* Phrygum *inventum fuit, unde & Phrygiones dicuntur ejusmodi artifices.* Iliades, *Trojanæ mulieres. Phrygiæ.*

Sortem. *Oraculum.*

Uber

Hunc illum fatis externa à sede profectum
Portendi generum, paribúsque in regna vocari
Auspiciis: hínc progeniem virtute futuram
Egregiam, & totum quæ viribus occupet orbem.
Tandem lætus ait: Dii nostra incepta secundent,
Auguriúmque suum! Dabitur, Trojane, quod optas,
Munera nec sperno: non vobis, rege Latino,
Divitis uber agri, Trojæve opulentia deerit.
Ipse modò Æneas (nostri si tanta cupido est,
Si jungi hospitio properat, sociúsque vocari)
Adveniat; vultus néve exhorrescat amicos.
Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.
Vos contrà Regi mea nunc mandata referte.
Est mihi nata, viro gentis quam jungere nostræ,
Non patrio ex adyto sortes, non plurima cælo
Monstra sinunt: generos externis affore ab oris,
Hoc Latio restare canunt, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant. Hunc illum poscere fata
Et reor, & (si quid veri mens augurat) opto.
Hæc effatus, equos numero pater eligit omni.

265

Uber agri: *Substantivè pro* ubertate terræ.

Tyranni. *Regis. Sic enim Plato, & Isocrates, & Græci poëtæ Tragici bonum etiam principem appellant.*

Patrio ex adyto: *Sic vocabatur intima pars domûs, aut templi, alio etiam nomine* Sacrarium.

Sortes: *Pro oraculis hîc denuò sumit.*

Hoc Latio restare: *Hoc Italiam manere edicunt; hoc fatum superesse.*

Stabant tercentum nitidi in præsepibus altis;
Omnibus extemplo Teucris jubet ordine duci
Instratos ostro alipedes, pictísque tapetis.
Aurea pectoribus demissa monilia pendent:
Tecti auro fulvum mandunt sub dentibus aurum.
Absenti Æneæ currum geminósque jugales,
Semine ab æthereo, spirantes naribus ignem;
Illorum de gente, patri quos Dædala Circe
Supposita de matre nothos furata creavit.
Talibus Æneadæ donis dictísque Latini
Sublimes in equis redeunt, pacémque reportant.

Ecce

Alipedes : *Equi veloces , & quasi alatis pedibus.*

Monilia. *Quidam* Phaleras *interpretantur. Et verò Phaleræ sunt Plinio pensilia ornamenta: quanquam Suidæ sunt scutula in fronte: Herodoto tegumenta circa maxillas.*

Semine ab æthereo ; *Equos jugales, ex origine cælesti, exhalantes ignem naribus. Vide, quæ sequuntur.*

Dædala Circe &c. *Fingitur hîc à Virgilio Circe, Solis filia, paternis equis equam clàm supposuisse, quæ hos Latini equos ex eorum semine pepererit: unde* nothi *dicuntur, id est, non legitimi, quorum tamen notus est pater: quorum enim ignotus est, ii dicuntur* Spurii: *à Græca voce* νόθος, *quæ idem significat.* Circe *dicitur* Dædala, *id est, ingeniosa: à Dædalo ingenioso artifice, vel à* δαιδάλλω artificiosa facio.

Ecce

Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis
Sæva Jovis conjux, aurásque invecta tenebat:
Et lætum Æneam, classémque ex æthere longè
Dardaniam Siculo prospexit ab usque Pachyno.
Moliri jam tecta videt, jam fidere terræ,
Deseruisse rates: stetit acri fixa dolore:
Tum quassans caput; hæc effudit pectore dicta:
Heu stirpem invisam, & fatis contraria nostris
Fata Phrygum! num Sigeis occumbere campis,
Num capti potuêre capi? num incensa cremavit
Troja viros? medias acies, mediósque per ignes
Invenêre viam. At, credo, mea numina tandem
Fessa jacent: odiis aut exsaturata quievi.
Quin etiam patriâ excussos infesta per undas
Ausa sequi, & profugis toto me opponere ponto.
Absumptæ in Teucros vires cælíque marísque.
Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
Profuit? optato conduntur Tybridis alveo,
Securi pelagi atque mei. Mars perdere gentem

Ecce autem: *Interserit denuò digressionem poëticam, & consilium Junonis, quo occasio sternitur ad turbandum, confundendúmque fœdus inter Latinum, & Trojanum, ut belli materia quæratur.*

Inachiis Argis. *Vel ab Inacho Argivorum rege, vel ab Inacho fluvio, qui propè urbem Argos fluit. De* Pachyno *promontorio Siciliæ Æ.* 3. 699.

Sigeis: *Trojanis: A Sigæo promontorio.*

Mars perdere gentem Lapithûm &c. *Pirithoüs Lapitharum rex ad suas cum Hippodame nuptias cùm Centauros Deósque omnes, uno excepto Marte, invitâsset: Mars utramque gentem Lapithas & Centauros.*

Immanem Lapithûm valuit: concessit in iras
Ipse Deûm antiquam genitor Calydona Dianæ:
Quod scelus, aut Lapithis tantum, aut Calydone merente?
Ast ego, magna Jovis conjux, nil linquere inausum
Quæ potui infelix, quæ memet in omnia verti;
Vincor ab Ænea. Quòd si mea numina non sunt
Magna satis, dubitem haud equidem implorare quod usquam est:
Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo,
Non dabitur regnis (esto) prohibere Latinis,
Atque immota manet fatis Lavinia conjux:
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus;
At licet amborum populos exscindere regum.
Hac gener atque socer coëant mercede suorum,
Sanguine Trojano & Rutulo dotabere virgo:

Et

tauros, clade utrimque maxima, inter pocula commisit. De Lapithis & Centauris Thessaliæ gentibus G. 2.456. G. 3.38. Vide Indicem.

Concessit in iras; *Jupiter permisit Dianæ ulcisci Oeneu regem Calydonis &c.*

Calydona Dianæ &c, *Oeneus Calydonis Rex, in Ætolia, cùm Diis omnibus, exceptâ Dianâ, primitias frugum obtulisset: irata Dea aprum immisit, à quo vastatus est late ager Calydonius, donec à Meleagro Oenei filio fera occideretur. Ovid. Met. 8. 273.*

Quod scelus: *Quam tantam pœnam sceleris merentibus Lapithis, aut Calydone?*

Bel-

Et Bellona manet te pronuba. Nec face tantùm
Cisseis prægnans ignes enixa jugales:
Quin idem Veneri partus suus, & Paris alter,
Funestæque iterum recidiva in Pergama tædæ.

Hæc

Bellona -- pronuba. *Dea Bellorum præses est* Bellona, *Martis soror, quæ eidem ad bellum eunti currum & equos parat: Græcis dicta* Enyo. Pronubæ *mulieres dicebantur, quæ nuptias conciliabant, eáque administrabant, quæ pertinebant ad nuptias & nuptum in lecto collocabant: eas oportebat uni viro nuptas fuisse, ad bonum omen.*

Nec face tantùm: *Sensus est: non solùm Hecuba peperit Paridem, patriæ suæ facem, causam incendii; sed etiam Venus peperit Æneam Paridi similem, qui fax erit, per quam reliquiæ Trojanorum deflagraturæ sint.*

Cisseis prægnans ignes &c. *Hecuba Priami uxor, Cissei Thraciæ regis filia, antequam pareret Parin, visa est sibi facem utero gestare. Æn.* 1. 31. Ignes enixa jugales, *intellige Parin ipsum, vel incendium Trojæ, quod illius partus, & conjugii fructus fuit: dicitur enim* jugale, *quidquid ad conjugium pertinet, & conjugium ipsum,* jugum.

Idem Veneri partus. *Æneas Veneris filius, erit alter Paris, altera ruina Trojæ, quam à se excitatam in Italia, iterum perdet.*

Recidiva Pergama. *Iterum cadentia.*

Lu-

Hæc ubi dicta dedit, terras horrenda petivit,
Luctificam Alecto dirarum ab sede sororum
Infernísque ciet tenebris: cui tristia bella,
Iræque, insidiæque, & crimina noxia cordi.
Odit & ipse pater Pluton, odêre sorores
Tartareæ monstrum: tot sese vertit in ora,
Tam sævæ facies, tot pullulat atra colubris.
Quam Juno his acuit verbis, ac talia fatur:
Hunc mihi da proprium, virgo sata nocte, laborem,
Hanc operam: ne noster honos, infractáve cedat
Fama loco; neu connubiis ambire Latinum
Æneadæ possint, Italósve obsidere fines.
Tu potes unanimes armare in prælia fratres,
Atque odiis versare domos: tu verbera tectis
Funereásque inferre faces: tibi nomina mille,
Mille nocendi artes: fœcundum concute pectus,
Disjice compositam pacem, sere crimina belli:
Arma velit, poscátque simul, rapiátque juventus.
Exin Gorgoneis Alecto infecta venenis

Prin-

Luctificam Alecto: *Græcus accusativus. Quæ nihil aliud præter luctus possit facere.*

Infractáque: *Ne nostra gloria & fama infringatur, & victa locum cedat.*

Nomina mille. *Vel intelligit mille pestes, furiarum quasi famulas: vel mille causas* nocendi; *Frequenter enim* nomen *pro* causa *sumitur: unde passim,* quo nomine? *pro*, qua de causa?

Gorgoneis venenis. *Quia Medusa una è Gorgonibus caput habuit serpentibus horridum: quod à se abscissum Perseus cùm per Africam circumferret, stillantes*

Principio Latium & Laurentis tecta tyranni
Celsa petit, tacitúmque obsedit limen Amatæ,
Quam super adventu Teucrûm, Turnísque hymenæis
Fœmineæ ardentem curæque iræque coquebant.
Huic Dea cæruleis unum de crinibus anguem
Conjicit, ínque sinum præcordia ad intima subdit:
Quo furibunda domum monstro permisceat omnem.
Ille inter vestes & levia pectora lapsus
Volvitur attactu nullo, fallítque furentem:
Vipeream inspirans animam: fit tortile collo
Aurum ingens coluber, fit longæ tænia vittæ,
Innectítque comas, & membris lubricus errat.
Ac dum prima lues udo sublapsa veneno
Pertentat sensus, atque ossibus implicat ignem;
Necdum animus toto percepit pectore flammam;
Molliùs, & solito matrum de more, locuta est;
Multa super nata lacrymans, Phrygiísque hymenæis:

Exo-

tes inde in terram sanguinis guttæ totidem in angues venenatos mutatæ sunt, unde multitudo tanta venenorum & serpentum in Africa. Ovid. Met. 4. 620.

Tyranni: *Regis, ut suprà.*

Amatæ: *Uxoris Latinorum Regis.*

Huic Dea: *Huic Amatæ, Alecto Dea, unum anguem in sinum conjicit, & usque ad intima subdit præcordia.*

Ille: *Serpens:* Attactu nullo: *Sensibili, quem Amata perciperet; sine morsu, sine sensu.*

Fit tortile: *Sese in omnes formas vertit, in omnes partes fundit.*

Prima lues: *Dum prima pestis submissa.* Udo *seu* *bu-*

Exulibúsne datur ducenda Lavinia Teucris,
O genitor? nec te miseret, natæque, tuíque?
Nec matris miseret: quam primo Aquilone relinquet
Perfidus, alta petens, abducta virgine prædo?
An non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor,
Ledæámque Helenam Trojanas vexit ad arces?
Quid tua sancta fides, quid cura antiqua tuorum
Et consanguineo toties data dextera Turno?
Si gener externa petitur de gente Latinis,
Idque sedet, Faunique premunt te jussa parentis:
Omnem equidem sceptris terram quæ libera nostris
Diffidet, externam reor; & sic dicere Divos.
Et Turno, si prima domûs repetatur origo,
Inachus Acrisiúsque patres, mediæque Mycenæ.

His

humido veneno movet sensus, nondum ad plenum furebat.

O genitor: *O Latine, Pater Laviniæ.*

Primo Aquilone: *Tanquam prædo, & erro deseret rursus primo aspirante vento.*

Phrygius pastor. *Paris, qui primò pastor fuit.*

Consanguineo Turno. *Matrem habuit Veniliam, sororem Amatæ.*

Inachus, Acrisiúsque &c. *Inachus Argivorum rex fuit, qui nomen fluvio ibidem dedit. Acrisius ex ejus fuit posteris, pater Danaës, quam cùm audîsset parituram esse filium, à quo ipse foret occidendus: turre virginem inclusit. Ibi ex Jove peperit Perseum. Inclusa cum hoc in arca ab Acrisio, & in mare projecta, sed evadens ad littus Apuliæ, Pilumno regi, Turni avo, nupsit: Pilumnus Daunum, Daunus Turnum ex Venilia Amatæ sorore genuit.*

Mediæque Mycenæ. *Media Græcia, media*

Pe-

His ubi nequicquam dictis experta, Latinum
Contrà stare videt; penitúsque in viscera lapsum
Serpentis furiale malum, totámque pererrat:
Tum verò infelix, ingentibus excita monstris,
Immensam sine more furit lymphata per urbem:
Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circùm
Intenti ludo exercent. Ille actus habenâ
Curvatis fertur spatiis: stupet inscia turba,
Impubésque manus, mirata volubile buxum:
Dant animos plagæ. Non cursu segnior illo
Per medias urbes agitur, populósque feroces.

Peloponnesus: pars pro toto, locus certus pro incerto.

Lymphatâ; *Percussa furore: Vel à Nymphis, lympharum præsidibus, quæ eos, à quibus erant conspectæ, in furorem agebant: vel, quòd in rabiem acti* lympham, *id est,* aquam *timeant.*

Ceu quondam: *A simili: ut insanientis speciem oculis subjiciat, trocho, à pueris circumacto flagellis, eam comparat: quo more solebant Bacchides in Liberi patris Orgiis lymphatæ per urbes montésque discursare.*

Stupet inscia turba; *Turba puerorum stupet, & miratur, ignorans causam, cur ille turbo tam celeriter volvatur, & in varios circuitus agitetur.*

Buxum. *Buxus arbor est: buxum lignum arboris, ex quo fit* turbo, *lusorium instrumentum versatile.*

Dant animos plagæ: *Ictus plagarum turbinis celeritatem sic augent, ut turbinem animare videantur.*

Quin etiam in sylvas, simulato numine Bacchi,
Majus odorsa nefas, majorémque orsa furorem,
Evolat, & natam frondosis montibus abdit,
Quò thalamum eripiat Teucris, tædásque moretur;
Euoë Bacche fremens, solum te virgine dignum
Vociferans. Etenim molles tibi sumere thyrsos,
Te lustrare choro, sacrum tibi pascere crinem,
Fama volat: furiísque accensas pectore matres
Idem omnes simul ardor agit nova quærere tecta,
Deseruêre domos: ventis dant colla comásque:

Simulato numine: *Sub ficta relligione Bacchi; aut more Bacchantium fœminarum, quasi Numinis impetu ageretur.*

Quò: *Ut.*

Euoë Bacche: *Bacchantium vox est, Æn. 6. 517.*

Solum te: *Clamans, te, O Bacche, unum, esse puellâ dignum.*

Fama volat: *Spargitur rumor, puellam (Amatæ filiam) pro te, Bacche, teneros* (molles) *gestare thyrsos, circuire choris tuam imaginem, (hoc enim est* lustrare) *& alere comam tibi dicatam. De* Thyrsis, *hastis pampino vestitis. E. 5. 29. Crines solebant Diis sacrare; ídque fiebat duobus modis, vel eos fluentes & incæduos alendo; vel detondendo, & templis appendendo.*

Idem omnes simul. *Reliquæ matronæ his auditis, eodem furore instigantur, ad deserendas ædes suas, & ad migrandum in sylvas, ad sacra Bacchi celebranda.*

Pi-

Aſt aliæ tremulis ululatibus æthera complent,
Pampineáſque gerunt incinctæ pellibus haſtas.
Ipſa inter medias flagrantem fervida pinum
Suſtinet, ac natæ Turníque canit hymenæos,
Sanguineam torquens aciem: torvúmque repentè
Clamat: Jo matres, audite, ubi quæque, Latinæ.
Si qua piis animis manet infelicis Amatæ
Gratia, ſi juris materni cura remordet:
Solvite crinales vittas, capite Orgia mecum.
Talem inter ſylvas, inter deſerta ferarum,
Reginam Alecto ſtimulis agit undique Bacchi.
Poſtquam viſa ſatis primos acuiſſe furores:
Conſiliúmque omnémque domum vertiſſe Latini,
Protinus hinc fuſcis triſtis Dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros: quam dicitur urbem
Acriſioneis Danaë fundâſſe colonis,

Præ-

Pinum ſuſtinet. *Facem nuptialem, quæ frequenter è pinu.*

Sanguineam: *Oculos irâ, & furore inflammatos.*

Solvite: *Verba ſunt Amatæ, mulierculorum turbam hortantis ad conſimilem amentiam. Solutis crinibus celebrate mecum* Orgia, *id eſt, Bacchanalia. De* Orgiis *Æn.* 4. 301.

Audacis Rutuli: *Turni, qui filius erat Dauni Rutulorum regis.*

Acriſioneis. *Danaë in Italiam delata dicitur iis populis, quos è regno patris ſui* Acriſii *ſecum advexerat, Argivis nempe, condidiſſe Ardeam civitatem.*

Præcipiti delata Noto: locus Ardua quondam
Dictus avis, & nunc magnum manet Ardea nomen,
Sed fortuna fuit. Tectis hîc Turnus in altis
Jam mediam nigra carpebat nocte quietem.
Alecto torvam faciem & furialia membra
Exuit: in vultus sese transformat aniles,
Et frontem obscœnam rugis arat: induit albos
Cum vitta crines: tum ramum innectit olivæ.
Fit Calybe, Junonis anus, templique sacerdos:
Et juveni ante oculos his se cum vocibus offert:
Turne, tot incassum fusos patière labores,
Et tua Dardaniis transcribi sceptra colonis?
Rex tibi conjugium & quæsitas sanguine dotes
Abnegat, externúsque in regnum quæritur hæres

Ardua quondam. *Urbs fuit regia Rutulorum* Ardea *in finibus Latii, nunc vicus, nomen retinens. Nomen vel ab* Ardea *ave, cujus ex augurio condita est, & hinc aliqui explicant hîc vocem* avis *de volucri. Videtúrque Ovidius Met.* 14. 574. *allusisse ad illam urbis originem, cùm eandem ab Ænea excisam, & in* Ardeam *avem mutatam fingit. Vel potiùs dicta est ab* arduo *situ, unde sic legimus:* locus Ardua quondam dictus avis, *id est*, majoribus.

Fortuna fuit: *Vel ad superiora refertur: fortuna casúsque fuit, ut nomen urbi tamdiu remanserit, tot aliis urbium nominibus aut mutatis, aut sepultis. Vel ad subsequentia: fortuna, casúsque fuit, quòd Turnus tum dormiebat.*

Calybe. *Erat* Calybe *Sacerdos templi Junonii, quod* Ardeæ *fuisse indicat: unde favor Junonis in Turnum in hanc se transformat.*

I nunc,

I nunc, ingratis offer te, irrise, periclis:
Tyrrhenas, i, sterne acies; tege pace Latinos.
Hæc adeò tibi me, placida cùm nocte jaceres,
Ipsa palàm fari omnipotens Saturnia jussit.
Quare age, & armari pubem portísque moveri
Lætus in arma para: & Phrygios, qui flumine pulchro
Consedêre duces, pictásque exure carinas.
Cælestûm vis magna jubet. Rex ipse Latinus
Nî dare conjugium & dicto parere fatetur,
Sentiat, & tandem Turnum experiatur in armis.
Hîc juvenis vatem irridens, sic orsa vicissim
Ore refert; Classes invectas Tybridis alveô,
Non, ut rêre, meas effugit nuntius aures:
Nec tantos mihi finge metus: nec regia Juno
Immemor est nostri.
Sed te victa situ verísque effœta senectus,
O mater, curis nequicquam exercet; & arma
Regum inter, falsa vatem formidine ludit.

I nunc, ingratis: *Ironia. Ingrata vocat pericula, quæ pro Latino ingrato subjerat.*

Tyrrhenas, i, sterne acies: *Adversùs quos Latinis bellum gerentibus opem Turnus sæpè tulerat. De iis Æn.* 2. 781. *De* Junone *Saturni filia. Æn.* 1. 27. *De* Phrygiis, *Trojanis. Æn.* 1. 385.

Victa situ, verísque effœta. Situs, *squalor est ex vetustate contractus.* Effœta *dicitur mulier, quæ cessavit fœtus emittere, & parere: unde* veri effœta *erit, quæ cessavit vera dicere & cognoscere; quales vetulæ, quæ falsa sæpè pro veris accipiunt.*

Cura tibi, Divûm effigies & templa tueri:
Bella viri pacémque gerant, queïs bella gerenda.
Talibus Alecto dictis exarsit in iras.
At juveni oranti subitus tremor occupat artus,
Diriguêre oculi: tot Erynnis sibilat hydris,
Tantáque se facies aperit. Tum flammea torquens
Lumina, cunctantem & quærentem dicere plura
Reppulit, & geminos erexit crinibus angues,
Verberáque insonuit, rabidóque hæc addidit ore:
En ego victa situ, quam veri effœta senectus
Arma inter regum falsa formidine ludit,
Respice ad hæc: adsum dirarum ab sede sororum:
Bella manu, letúmque gero.
Sic effata facem juveni conjecit, & atro
Lumine fumantes fixit sub pectore tædas.
Olli somnum ingens rupit pavor: ossáque & artus
Perfudit toto proruptus corpore sudor.
Arma amens fremit, arma toro tectísque requirit.
Sævit amor ferri, & scelerata insania belli,
Ira super. Magno veluti cùm flamma sonore
Virgea suggeritur costis undantis aheni,
Exultántque æstu latices: furit intus aquæ vis,

Erynnis sibilat hydris. *Erynnis, commune furiarum nomen.* Hydrus *serpentis genus in aquis degens.*

Verberáque insonuit: *Sonuit verbere, id est flagello, quod huic furiæ attribuitur.*

Magno veluti: *Sicut quando flamma excitata è virgis,* costis, *sive lateribus ollæ æreæ spumantis supponitur magno* sonore, *seu crepitu, tunc subsiliunt undæ*

præ

Fumidus atque altè ſpumis exuberat amnis:
Nec jam ſe capit unda; volat vapor ater ad auras.
Ergo iter ad regem, polluta pace, Latinum
Indicit primis juvenum: & jubet arma parari,
Tutari Italiam, detrudere finibus hoſtem:
Se ſatis ambobus, Teucríſque venire Latiníſque
Hæc ubi dicta dedit, Divóſque in vota vocavit:
Certatim ſeſe Rutuli exhortantur in arma.
Hunc decus egregium formæ movet, atque juventus:
Hunc atavi reges, hunc claris dextera factis.
Dum Turnus Rutulos animis audacibus implet,
Alecto in Teucros Stygiis ſe concitat alis:
Arte nova ſpeculata locum, quo littore pulcher
Inſidiis curſúque feras agitabat Júlus.
Hîc ſubitam canibus rabiem Cocytia virgo

præ ardore & æſtu; Fumidus amnis, *ſeu aqua altè exundat ſpumis, nec jam ſe continet; vapor niger ſurgit in aërem.*

Ergo: *Quia ſic incenſus eſt, mittit principes juvenum ad Regem Latinum,* polluta *& rupta pace, bellum indicit.*

Detrudere finibus. *Trojanos ex Italia depellere.*

Se ſatis ambobus: *Dicebat ſe ſolum ſufficere ad bellum Latino, & Trojanis inferendum.* Venire: *Eſſe. Sic G.* 1. 29. An Deus immenſi venias maris.

Hunc decus. *Alios pulchritudo Turni, alios nobilitas, alios virtus movebat ad bellum.*

Cocytia virgo; *Infernalis, à Cocyto flumine.*

Objicit, & noto nares contingit odore,
Ut cervum ardentes agerent: quæ prima malorum
Causa fuit, bellóque animos accendit agrestes.
Cervus erat formâ præstanti & cornibus ingens:
Tyrrheidæ pueri, quem matris ab ubere raptum
Nutribant, Tyrrheúsque pater, cui regia parent
Armenta & latè custodia credita campi.
Assuetum imperiis soror omni Sylvia curâ
Mollibus intexens ornabat cornua sertis:
Pectebátque ferum, puróque in fonte lavabat.
Ille manum patiens, mensæque assuetus herili,
Errabat sylvis: rursúsque ad limina nota
Ipse domum sera quamvis se nocte ferebat.
Hunc procul errantem rabidæ venantis Iüli
Commovêre canes: fluvio cùm fortè secundo
Deflueret, ripáque æstus viridante levaret
Ipse etiam eximiæ laudis succensus amore
Ascanius curvo direxit spicula cornu:

Nec

Noto odore: *Ascanius venabatur feras, adhibitis canibus venatoriis. His Alecto rabiem indidit ex odore cervino, ut persequerentur cervum, qui pastoris regii filiis erat in deliciis.*

Tyrrheidæ pueri: *Tyrrhei filii, qui regii pecoris magister, & custos erat, ad quem, mortuo Ænea fugisse dicitur Lavinia. Æn. 6.763.*

Sylvia: *Soror Tyrrhidarum.*

Ferum: *Quadrupedem cervum, naturâ ferum animal, cultu mansuetum. Sic equum appellavit Æn. 2. 51.*

Deus

Nec dextræ erranti Deus abfuit, actáque multo
Pérque uterum sonitu, pérque ilia venit arundo.
Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit,
Successítque gemens stabulis: questúque cruentus,
Atque imploranti similis, tectum omne replevit.
Sylvia prima soror, palmis percussa lacertos,
Auxilium vocat, & duros conclamat agrestes.
Olli (pestis enim tacitis latet aspera sylvis)
Improvisi adsunt: hic torre armatus obusto,
Stipitis hic gravidi nodis: quod cuique repertum
Rimanti, telum ira facit. Vocat agmina Tyrrheus,
Quadrifidam quercum cuneis ut fortè coactis
Scindebat, rapta spirans immane securi.
At sæva è speculis tempus Dea nacta nocendi,
Ardua tecta petit stabuli, & de culmine summo
Pastorale canit signum, cornúque recurvo
Tartaream intendit vocem: quâ protinus omne

Deus abfuit. *Alecto; nam Deus etiam genere communi de fœmina dicitur.*

Ilia: *Partes imi ventris, circa summas coxas.*

Olli: *Agricolæ repentini adveniunt; nam furia eos exasperans latebat in sylvis, ut ipsis pestem & furorem instillaret.*

Quadrifidam quercum. *Fissilem in quatuor partes, id est, in multas partes: numerus certus pro interto.*

Spirans immanè: *horrendùm, & supra modum.*

Pastorale: *Pastoribus notum classicum, quo audito concurrere solebant.*

Contremuit nemus; & sylvæ intonuêre profundæ.
Audiit & Triviæ longè lacus, audiit amnis
Sulfureâ Nar albus aquâ, fontésque Velini:
Et trepidæ matres pressêre ad pectora natos.
Tum verò ad vocem celeres, quâ buccina signum
Dira dedit, raptis concurrunt undique telis
Indomiti agricolæ: necnon & Troïa pubes
Ascanio auxilium castris effundit apertis,
Direxêre acies: non jam certamine agresti,
Stipitibus duris agitur, sudibúsve præustis;
Sed ferro ancipiti decernunt, atráque latè
Horrescit strictis seges ensibus, æráque fulgent
Sole lacessita, & lucem sub nubila jactant.

Flu-

Triviæ lacus &c. *Lacus Dianæ Aricinæ, juxta Ariciam urbem*, Trivia *Dianæ nomen est, à triviis, ubi colebatur.*

Sulfureâ Nar albus aquâ. Nar *nunc* Nera, *fluvius Umbriam, Sabinúmque agrum disterminans. Nomen à Sabina voce Nar, quæ sulfur significat, ob vim odorémque aquarum.*

Fontésque Velini: *Lacus* Velinus, *ab* ἕλος *palus.*

Castris effundit: *Juventus etiam Trojana è castris se in auxilium effundit, ut regio succurrat puero.*

Horrescit &c. *Horrescunt vibrati enses instar segetis fluctuantis, uti dixit Georg. 2.* Densísque virûm seges horruit hastis.

Sole lacessita: *Ex repercussu solis.*

Al-

Fluctus uti primo cœpit cùm albeſcere vento:
Paulatim ſeſe tollit mare, & altiùs undas
Erigit, inde imo conſurgit ad æthera fundo.
Hîc juvenis primam ante aciem, ſtridente ſagitta,
Natorum Tyrrhêi fuerat qui maximus, Almon
Sternitur: hæſit enim ſub gutture vulnus, & udæ
Vocis iter tenuémque incluſit ſanguine vitam.
Corpora multa virûm circa, ſeniórque Galeſus,
Dum paci medium ſe offert, juſtiſſimus unus
Qui fuit, Auſoniiſque olim ditiſſimus arvis.
Quinque greges illi balantûm, quina redibant
Armenta, & terram centum vertebat aratris.
Atque ea per campos æquo dum Marte geruntur,
Promiſſi Dea facta potens, ubi ſanguine bellum
Imbuit, & primæ commiſit funera pugnæ;

De-

Albeſcere vento: *Mare vento agitatum albeſcit.*

Paulatim ſeſe tollit: *Sic bella dixit ſurrexiſſe paulatim, ſicut ventis flantibus ſenſim mare turgeſcit.*

Udæ vocis iter: *Obſtruxit ſanguine viam liquidæ vocis, & vitam. Vox quidem uda non eſt; ſed per udam arteriarum labitur viam.*

Balantûm. *Ovium.*

Æquo Marte. *Antequam Latinorum præcipui occiſi eſſent, dum adhuc æqua utrinque fortuna prælii.*

Promiſſi Dea facta potens. *Compos facta rei, quam Junoni effecturam ſe promiſerat.*

Imbuit. Incepit, inſtituit *quo more dixit*

Pro-

Deserit Hesperiam, & cæli convexa per auras;
Junonem victrix affatur voce superba:
En perfecta tibi bello discordia tristi:
Dic in amicitiam coëant, & fœdera jungant.
Quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros;
Hoc etiam his addam, tua si mihi certa voluntas:
Finitimas in bella feram rumoribus urbes,
Accendámque animos insani Martis amore,
Undique ut auxilio veniant: spargam arma per agros.
Tum contrà Juno: Terrorum & fraudis abundè est:
Stant belli causæ: pugnatur cominus armis.
Quæ fors prima dedit, sanguis novus imbuit arma.
Talia connubia & tales celebrent hymenæos
Egregium Veneris genus & rex ipse Latinus.
Te super æthereas errare licentiùs auras
Haud pater ipse velit summi regnator Olympi.
Cede locis: ego, si qua super fortuna laborum est,
Ipsa regam. Tales dederat Saturnia voces:
Illa autem attollit stridentes anguibus alas,
Cocytíque petit sedem, supera ardua linquens.
Est locus, Italiæ in medio sub montibus altis,
Nobilis & famâ multis memoratus in oris,

Propertius: l. 4. 10. 5. Imbuis exemplum primæ tu, Romule, palmæ, *id est*, incipis, instituis, das exemplum.

Dic in amicitiam: *Ironica insultatio, ac si dicat: ita bella commovi, ut ne tu ipsa Juno turbas possis componere. Et hoc est*; affatur voce superba.

Am-

Amſancti valles: denſis hunc frondibus atrum
Urget utrínque latus nemoris, medióque fragoſus
Dat ſonitum ſaxis & torto vortice torrens.
Hîc ſpecus horrendum, & ſævi ſpiracula Ditis
Monſtrantur: ruptóque ingens Acheronte vorago
Peſtiferas aperit fauces: queîs condita Erinnys,
Inviſum numen, terras cælúmque levabat.
Nec minùs interea extremam Saturnia bello
Imponit regina manum. Ruit omnis in urbem

Pa-

Amſancti valles &c. *In Hirpinis, qui Apuliam ab oriente, Campaniam ab occidente habent, vallis eſt, in qua lacus* Amſanctus, *nunc* Muſiti, *à Mephitis templo, quod ibi olim fuit, aquis nigris & odore teterrimo, in medio lacus ad viri proceritatem ingenti fragore ebullientibus. Unum ex oſtiis inferorum itali credidêre, & inde* Amſanctus *dictus eſt, id eſt,* circùm ſacer.

Medióque fragoſus: *In medio illius vallis eſt torrens fragoſus, id eſt, magnum fragorem edens; quique reſonat aquarum vorticibus tortuoſis, & tum in ſe reciprocatis, tum ad ſaxa illiſis.*

Spiracula Ditis: *Oſtenduntur hîc, antrum horribile, & oſtia ſævi Plutonis; & magna vorago apertis inferis pandit aditus peſtiferos; quibus abſcondita* Erynnis, *Dea furioſa Alecto, terram ac cælum ſuâ peſtiferâ præſentiâ liberavit.*

Extremam Saturnia: *Juno, quod ſupereſt, perficit, & manum imponit bello incepto ultimam.*

Pa-

Pastorum ex acie numerus: cæsósque reportant,
Almonem puerum, fœdatíque ora Galesi:
Implorántque Deos, obtestantúrque Latinum,
Turnus adest, medióque in crimine, cædis & ignis
Terrorem ingeminat: Teucrósque in regna vocari,
Stirpem admisceri Phrygiam, se limine pelli.
Tum, quorum attonitæ Baccho nemora avia matres
Insultant thiasis (neque enim leve nomen Amatæ)
Undique collecti coëunt, Martémque fatigant.
Ilicet infandum cuncti contra omina bellum,
Contra fata Deûm, perverso numine poscunt.
Certatim regis circumstant tecta Latini.
Ille, velut pelagi rupes immota, resistit:
Ut pelagi rupes, magno, veniente fragore,

Quæ

Pastorum ex acie. *Qui cum Trojanis conflixerant ob cervum ab Ascanio interemptum, agricolæ, recurrunt è prælio in urbem, & referunt occisos.*

Almonem: *Filium Tyrrhei.* Fœdati: *Cruentati.*

Implorántque Deos: *Ad auxilium, & ultionem.*

Medio in crimine: *Dum videlicet pastores accusant criminis Trojanos ob patratas cædes.*

Tum quorum: *Tum juvenes, quorum matres Baccho furiatæ choreis lustrabant nemora, in gratiam Amatæ deposcunt bella.*

Martem fatigant. *Bellum cum clamore deposcunt.*

Alga

Quæ ſeſe, multis circumlatrantibus undis,
Mole tenet : ſcopuli nequicquam & ſpumea circùm
Saxa fremunt, laterſque illiſa refunditur alga,
Verùm ubi nulla datur cæcum exuperare poteſtas
Conſilium, & ſævæ nutu Iunonis eunt res.
Multa Deos, auráſque pater teſtatus inanes :
Frangimur heu fatis, inquit, ferimúrque procellâ
Ipſi has ſacrilego pendetis ſanguine pœnas,
O miſeri ! te, Turne, nefas, te triſte manebit
Supplicium : votíſque Deos venerabere ſeris.
Nam mihi parta quies, omníſque in limine portus :
Funere felici ſpolior. Nec plura locutus,
Sepſit ſe tectis, rerúmque reliquit habenas.
Mos erat Heſperio in Latio, quem protinus urbes
Albanæ coluêre ſacrum, nunc maxima rerum
Roma colit, cùm prima movent in prælia Martem :

Sive

Scopuli nequicquam : *Fruſtra ſcopuli, & ſaxa ſpumantia circumſtrepunt. & alga impacta appellitur lateri.*

Alga. *Herba maritima.*

Cæcum conſilium. *Inconſideratum belli gerendi conſilium.*

Ferimúrque procellâ : *Raptamur tempeſtate.*

Sacrilego ſanguine : *Quia contra voluntatem Deorum, & auguria bellum ſumebant.*

Nam mihi &c. *Nam mihi nihil timeo, cùm ſim in propinquo portu mortis ; cujus non amittam quietem, ſed tantùm honores fortaſſe, & pompam funebrem : captâ & vaſtatâ à Trojanis urbe mea.*

Ge-

Sive Getis inferre manu lacrymabile bellum,
Hyrcanísve, Arabísve parant; seu tendere ad Indos,
Aurorámque sequi, Parthósque reposcere signa.
Sunt geminæ belli portæ, sic nomine dicunt,
Religione sacræ & sævi formidine Martis;
Centum ærei claudunt vectes, æternáque ferri

Getis. *Populis Daciæ, Thracum vicinis, circa ostia Danubii.*

Hircanísve Arabísve &c. *Hircania olim Parthiæ pars.* Arabes, *vel* Arabi, *populi in* Arabia, *quæ est ingens Asiæ quasi peninsula: Syriæ, Mesopotamiæ, & Parthorum imperio contermina.*

Aurorámque sequi: *Sive bellum inferant populis ad auroram, ad solis ortum, sitis.*

Parthósque. *Sive à Parthis repetant signa oblata. Hoc in honorem Augusti posuit; quo imperante à Parthis repetita sunt signa, quæ Crassus Triumvir perdiderat. De Parthis Ecl.* 1. 63.

Sunt geminæ &c. *Virgilius utitur anticipatione. Templum enim Jani ad bellum aperiri, nonnisi à Numa, secundo Romanorum rege, institutum est. Vide etiam Æn.* 1. 298.

Vectes. *Vectis instrumentum in modum trabis, aut pali crassioris, quo vel januæ adversùs vim muniuntur, vel promoventur, impelluntúrque moles onerum, vel diruuntur muri:* à vehendo *dictum, idque ex ære, ferro, ligno.*

Li-

Robora: nec custos absistit limine Janus.
Has, ubi certa sedet patribus sententia pugnæ,
Ipse, Quirinali trabea cinctúque Gabino
Insignis, reserat stridentia limina Consul;
Ipse vocat pugnas: sequitur tum cætera pubes,
Æreáque assensu conspirant cornua rauco.
Hoc & tum Æneadis indicere bella Latinus
More jubebatur, tristésque recludere portás,
Abstinuit tactu pater, aversúsque refugit

Fœda

Custos limine Janus. *Vel quia statua ejus erat in limine: vel quia præerat omnibus januis, quæ ab ipso sic dictæ sunt. Præerat enim omnibus initiis domorum, quæ* januæ *sunt, etiam anni, qui mensis Januarius. Primus rex fuit, & antiquissimus Italiæ, qui Saturnum hospitio excepit. Hunc aliqui Noë, aliqui Japhet Noë filium putant.*

Quirinali trabea cinctúque Gabino &c. *De trabea, quæ* Quirinalis *ab inventore* Romulo *dicta est suprà v.* 188. Cinctus Gabinus *fuit, cùm togæ lacinia, quæ sinistro bracchio vulgò imponebatur, inde subducta, in tergum ita rejiciebatur, ut contracta retraheretur ad pectus, atque ita in nodum necteretur. qui nodus sive cinctus, togam contrahebat, breviorémque & strictiorem reddebat. Origo à* Gabiis *Latii urbe; ubi cùm cives sacris operarentur togati, subitò ingruentibus hostibus, cùm non esset spatium arma sumendi, sic succinctis contractísque togis ad pugnam exierunt. Hoc ritu Consul bella indicebat, sacra sæpe bello faciebant &c.*

Assensu conspirant: *Tubæ simul inflabantur.*

Fœda ministeria, & cæcis se condidit umbris.
Tum regina Deûm, cælo delapsa, morantes
Impulit ipsa manu portas, & cardine verso
Belli ferratos rupit Saturnia postes.
Ardet inexcita Ausonia atque immobilis antè,
Pars pedes ire parat campis: pars, arduus altis
Pulverulentus equis furit: omnes arma requirunt:
Pars leves clypeos & spicula lucida tergunt
Arvinâ, pingui, subigúntque in cote secures:
Signáque ferre juvat, sonitúsque audire tubarum.
Quinque adeò magnæ positis incudibus urbes
Tela novant: Atina potens, Tibúrque superbum,
Ardea, Crustum eríque, & turrigeræ Antemnæ

Te-

Ardet inexcita: *Non evocata à Latino.*

Leves clypeos: *Tersos, politos, ac levigatos.*

Arvinâ pingui: *Est sevum, sive pinguedo illa, quæ inter carnem, & cutem animalium est.* Cos, *fœminini generis, lapis est, quo cultri acuuntur.*

Positis incudibus: *Quinque urbes se armant, quæ super incudes fingunt nova, refingunt vetera arma.*

Atina &c. *Urbs in septentrionali regione Volscorum, in Apennini jugo.* Tibur *nunc* Tivoli *in Veteri Latio.* Superbum *dicitur, vel ob illas rupes, propter quas* supinum *dicitur ab Horatio*, & altum *à Martiali; vel ob superbiam, quâ cum Romanis jam potentissimis ausi sunt bellum gerere.*

Ardea &c. *Ardea Rutulorum caput, suprà* 410. Crustumerium, *non longe ab urbe Roma, nunc forte* Marcigliano vecchio. Antemnæ *vel* Antem-

na

Tegmina tuta cavant capitum, flectúntque salignas
Umbonum crates: alii thoracas ahenos,
Aut leves ocreas lento ducunt argento.
Vomeris huc & falcis honos, huc omnis aratri
Cessit amor: recoquunt patrios fornacibus enses:
Classica jámque sonant: it bello tessera signum.

Hic

na *nunc dirutum oppidum; ideò sic dictum, quòd* ante amnes *Anienem & Tyberim positum sit.*

Tegmina tuta: *Galeas.*

Umbonum crates. *Scutorum fulcra è salice, quæ deinde corio vestiebant.* Umbo *media pars est scuti eminentior.*

Lento ducunt argento: *Spondæus in quinto loco; excudunt politas ocreas ex argento flexili.*

Vomeris huc &c. *Instrumenta vitæ profutura convertunt in perniciem vitæ.*

Recoquunt patrios: *Veteres, avitos.*

Classica &c. Tubæ; *Sic dictæ, quòd iis multitudo* calaretur: *id est, vocaretur, sive ad bellum, sive ad concionem: unde & classes dictæ sunt, tum exercitus non tantùm navales, sed etiam terrestres, tum civium partes ad censum distributæ.* Tuba *autem propriè recta fuit, à tubo, sive canali dicta.* Cornu, *omnino flexum, à* boum *cornibus: ex quibus factum est, priusquam ære conflaretur; unde dicta est* buccina. *Lituus paulum incurvus, figuræ inter tubam & cornu mediæ.*

Tessera. *Propriè figura est, sex constans æquis lateribus, omni ex parte quadrata; lusoriis talis, quales*

Hic galeam tectis trepidus rapit: ille frementes
Ad juga cogit equos, clypeúmque auróque trilicem
Loricam induitur, fidóque accingitur ense.
Pandite nunc Helicona, Deæ, cantúsque movete:
Qui bello exciti reges; quæ quémque secutæ
Complêrint campos acies; quibus Itala jam tum
Floruerit terra alma viris, quibus arserit armis;
Et meministis enim, Divæ, & memorare potestis;
Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.
Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris
Contemptor Divûm Mezentius, agmináque armat.

Fi-

hodie habemus, non absimilis. Nomen à τέσσαρα quatuor. *Varios habuit usus, præcipuè in bello, ubi significabat signum illud, quod ab imperatoribus ad tribunos, à tribunis ad centuriones, & per eos ad alios deinde milites pertinebat; vel ut milites invicem se cognoscerent, vel ut iis imperatorum mandata innotescerent. Aliquando inscripta fuit, aliquando vocalis, ut frequenter sub Cæsare,* Venus genitrix; *sub Mario,* Lar Deus; *sub Sylla* Apollo Delphicus.

Pandite nunc: *Relaturus antiquitatis memoriam, invocat Musas.* Helicon *mons Bœotiæ Musis sacer, Parnasso vicinus.*

Tyrrhenis &c. *Ex Hetruria, sive Tyrrhenia oriundus: sed inde propter crudelitatem ejectus.*

Mezentius. *Divûm contemptor dicitur, quia suis imperavit, ut sibi offerrent primitias Diis debitas. Macrob. l. 1. c. 5.*

Ex-

Filius huic juxtà Lausus : quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.
Lausus equûm domitor, debellatórque ferarum,
Ducit Agyllina nequicquam ex urbe secutos
Mille viros : dignus patriis qui lætior esset
Imperiis, & cui pater haud Mezentius esset.
Post hos insignem palmâ per gramina currum
Victorésque ostentat equos satus Hercule pulchro
Pulcher Aventinus : clypeóque insigne paternum,
Centum angues, cinctámque gérit serpentibus hydram.

Col-

Excepto corpore : *Excepto Turno, qui Laurens dicitur ob consanguinitatem cum Amata, & Latino.*

Agyllina nequicquam ex urbe &c. *Agylla urbs Etruriæ, à Pelasgis è Thessalia profectis condita & appellata, à Tyrrhenis verò è Lydia oriundis capta, &* Cære *dicta, nunc* Cerveteri, *regia Mezentii, unde expulsus à suis, cum reliquis fidelium sibi subditorum Turno se conjunxerat.* Necquicquam, *cùm & Mezentius & Lausus, & Turnus hoc bello morituri essent.*

Dignus patriis : *Dignus melioribus auspiciis, meliore patre.*

Insigne paternum, centum angues &c. *Insigne ad memoriam paternæ victoriæ compositum : scilicet debellatæ hydræ, in angues innumeros pullulantis.*

Pila manu sævósque gerunt in bella dolones:
Et tereti pugnant mucrone, verúque Sabello.
Ipse pedes, tegmen torquens immane leonis,
Terribili impexum setâ, cum dentibus albis,
Indutus capiti: sic regia tecta subibat
Horridus: Herculeóque humeros innexus amictu.
Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,

Pila: *Sunt hastæ Romanæ, ac tela, septem circiter pedes longæ, quorum tertia pars in ferreum mucronem hamatum abibat.*

Dolones: *Conti ingentes lignei, quibus vel præfixum erat ferrum ita breve, ut vix appareret; vel ferrum ipsum latebat intra lignum, indéque, cùm erat opus, evibrabatur; ideò nomen a* dolo.

Verúque Sabello. *Quod idem est, ac teres mucro & alio nomine verutum, pili, sive teli genus, quo Sabelli, sive Sabini sunt usi.*

Torquens: *Quassant pellem ingentem leonis; id est trahens à læva ad dextram pendulam.*

Indutus capiti: *Pellis leoninæ caput adaptabatur capiti Aventini galeæ locô, ad terrorem, & munimen, eo modo, quo Hercules incessit, &* pedes *quidem semper, cùm equos habuerit nobilissimos.*

Tum gemini: *De Græcia tres fratres migrârunt in Italiam* Catillus, Coras, Tybur, *vel* Tyburnus: *hi simul omnes unam fecere civitatem, & eam de fratris nomine* Tybur *appellârunt. Duo fratres ad hoc bellum venerunt, relicto in civitate Tyburno.*

Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catillúsque, acérque Coras, Argiva juventus:
Et primam ante aciem densa inter tela feruntur,
Ceu duo nubigenæ cùm vertice montis ab alto
Descendunt Centauri, Omolen Othrynque nivalem
Linquentes cursu rapido: dat euntibus ingens
Sylva locum, & magno cedunt virgulta fragore.
Nec Prænestinæ fundator defuit urbis;
Vulcano genitum pecora inter agrestia regem.
Inventúmque focis omnis quem credidit ætas.
Cæculus. Hunc legio latè comitatur agrestis:
Quíque altum Præneste viri, quíque arva Gabinæ
Junonis, gelidúmque Anienem, & roscida rivis

Her.

Argiva: *Græca.*

Centauri: *Superiore parte humana: inferiore equina: Ixione, & nube geniti, Thessaliæ populi. G. 3. 38. Æn. 6. 286. Hinc nubigenæ.*

Omolen, Othrynque. *Montes Thessaliæ.*

Prænestinæ. *Præneste, antiqui Latii urbs ad orientem Romæ, nunc* Palestrina. *Hanc à Præneste Ulyssis nepote conditam aliqui ajunt: Virgilius & alii quidam à Cæculo, quem è Digitiorum fratrum sorore conceptum narrant, cùm eam Vulcanus sub scintillæ specie vitiâsset; & à matre abjectum juxta templum Jovis ad ignem repertum esse, cùm ei fumus oculos aliquantulùm læsisset, unde* Cæculus *appellatus sit.*

Gabinæ Junonis: *Ex urbe* Gabiis, *ubi Juno religiosè colebatur.*

Anienem. *Fluvium, qui determinat vetus Latium*

Hernica saxa colunt: quos dives Anagnia, pascis;
Quos Amasene pater. Non illis omnibus arma,
Nec clypei currúsve sonant: pars maxima glandes
Liventis plumbi spargit, pars spicula gestat
Bina manu, fulvósque lupi de pelle galeros
Tegmen habet capiti: vestigia nuda sinistri
Instituêre pedis, crudus tegit altera pero.
At Messapus equûm domitor, Neptunia proles,

Quem

am à Sabinis, deinde in Tyberim influit: hodie dicitur Teverone.

Hernica Saxa. *Hernici populi fuerunt novi Latii. Sabini fuisse generis vulgò putantur. Siquidem Sabinis* Herna *dicuntur* saxa, *unde genti nomen.*

Anagnia. *Urbs Præcipua Hernicorum.*

Quos Amasene pater: *Et quos pascit Amasenus, fluvius, pater Nympharum, id est, aquarum, circa Hernicos fines.*

Glandes liventis plumbi: *Vel à livido colore: vel quòd tales ictus livorem afferant; Ovid. L. 7.* Contorto verbere glandes. *Olim, ante usum bombardarum, apparet missas fuisse è fundis.*

Galeros: *E Lupina pelle erant hi galeri, id est pilei turbinati, & in acumen desinentes.*

Pero: *Rusticum calceamenti genus.*

Messapus. *Græcus ex Anthedonia, Bœotiæ region', ubi Messapio monti nomen dedit: postmodum profectus in Italiam, occupavit extremam ejus peninsulam ad orientem, quæ* Messapia *ab eo, deinde Calabria vocata*

Quem neque fas igni cuiquam, nec sternere ferro,
Jampridem resides populos desuetáque bello
Agmina in arma vocat subitò, ferrumque retractat,
Hi Fescenninas acies, æquósque Faliscos,
Hi Soractis habent arces, Flaviniáque arva,

Et

cata est. Dicitur Neptunia *proles ob navigandi peritiam.* Equûm domitor, *quia equus Neptuno sacer est.*

Quem neque fas : *Invulnerabilem dicit, quia nusquam periit, nec in hoc bello. Ignem autem ei non posse nocere dicit, quia aquarum Deus est.*

Resides populos : *Etruscos, dudum otiosos.*

Ferrúmque retractat : *Resumit arma.*

Hi Fescenninas acies : *Hi duces* Messapi *regunt exercitus Fescenninos. Oppidum Etruriæ* Fescennia *sive Fescennium, unde orta est licentia nuptialium carminum, quæ inde* Fescennina *dicta sunt.*

Faliscos. *Populi sunt paulò infra* Fescennium, *quorum urbs* Falerii, *quæ* Faliscum *aliquando appellatur.* Æquos *dixit, quia legum duodecim tabularum aliqua supplementa Romani ab iis acceperant.*

Soracte. *Mons in agro Falisco, nunc monte di S. Silvestro.*

Flaviniáque arva : *Locus est in Italia,* Flavinia, *Hetruriæ oppidum.*

Cimini

Et Cimini cùm monte lacum, lucosque Capenos
Ibant æquati numero, regémque canebant.
Ceu quondam nivei liquida inter nubila cycni
Cùm sese è pastu referunt, & longa canoros
Dant per colla modos : sonat amnis, & Asia longè
Pulsa palus.
Nec quisquam æratas acies ex agmine tanto
Misceri putet, aëriam sed gurgite ab alto

Cimini. *Ciminus mons & lacus cum Cimina sylva ad occidentem in Etruriam interior subit. Putat Cluverius montem eum esse qui modò nuncupatur* di Viterbo; *lacum* di Ronciglione.

Capenos. *Capena urbs cum luco & templo Feroniæ, ad ripam Tiberis inter agrum Faliscum, & Vejentem fuit; nunc* Canepina.

Æquati numero : *Digesti in ordinem : vel ibant pari ordine & numero, ad tympana se moventes.*

Ceu quondam : *Quemadmodum candentes cygni aliquando in serenis nubibus, cùm referunt se è pastu, & canunt emittentes numerosam vocem per oblonga colla; resonat tum amnis, & Asia longè repercussa.* Asia *fluvius est, qui cohæret Asiæ paludi; quam cùm significamus a longum est.*

Nec quisquam : *Nemo crederet milites armatos confertim mixtos incedere, sed putaret esse cygnorum canentium turbam, præ multitudine obtegentem auras instar nubis, quæque à vento terram versùs urgetur.* Nubes *pro agmine.*

Ecce

Urgeri volucrum raucarum ad littora nubem,
Ecce, Sabinorum prisco de sanguine, magnum
Agmen agens Clausus, magníque ipse agminis instar:
Claudia nunc à quo diffunditur & tribus & gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.
Unà ingens Amiterna cohors, priscique Quirites:

Ere-

Ecce Sabinorum : *Ecce Clausus , ex antiquo sanguine Sabinorum, ducens magnam turbam, & ipse instar magnæ turbæ. Sabini eam habuerunt Italiæ partem , quæ est ad septentrionem Latii, inter fluvios Narem, Tyberim, Anienem, & montem Apenninum : nunc regio retinet fere nomen , éstque sub ditione Pontificia.*

Clausus. *Atta Clausus , post exactos reges cum tota familia & 5000. clientum & amicorum è Sabinorum urbe Regillo, Romam transmigravit: atque ut ad formam Romanam nomen aptaret suum, Appius Claudius dici voluit; ideò in patriciorum numerum admissus est, & in distributione populi R. in tribus, dicta est ejus* Tribus Claudia. *At hic* Clausus, *de quo Virgilius, è majoribus illius Claudii fuisse tantùm fingitur.*

Roma Sabinis. *Postquam Roma in partem data est Sabinis, quando nempe populus Romanus in tribum Claudiam divisus, & Sabini in communia Romæ jura recepti sunt.*

Amiterna Cohors. *Varia Sabinorum loca enumerantur; Amiternum, urbs.*

Prisci Quirites : *illi ex urbe Curibus, unde postmo-*

dum

Ereti manus omnis, oliviferæque Mutuscæ:
Qui Nomentum urbem, qui rosea rura Velini;
Qui Tetricæ horrentes rupes, montémque Severum,
Casperiámque colunt, Forulósque, & flumen Himellæ:
Qui Tyberim Fabarímque bibunt: quos frigida misit

Nur-

dum Romani Quirites *dicti.*

Eretum: *vicus ad confluentem Alliæ & Tyberis, nunc* monte ritundo. Nomentum: *Ereto vicinum, nunc* Lamentano.

Mutuscæ, *aliter* Trebula, *vicus ultrà paludem Reatinam, nunc* Monte Leone.

Rosea rura Velini: *alii* Roscida *volunt legi. Pars agri Reatini, ubi* Ros *fertilissimum illum tractum efficit circa* Velinium *fl. nunc* Velino, & *Velinum lacum, nunc* lago di pie di Luco.

Tetricæ: Severum: Tetrica, Severus, *montes incerti sitûs.*

Casperiámque: Casperia *paullò supra Cures, oppidum, nunc* Aspera.

Foruli: *Vicus in rupe circa Amiternum, excisus.*

Himella: *fluvius, prope Casperiam nascens, in Tyberim infra Cures delabitur: nunc* Aja.

Tyberim, Fabarímque: *De Tybri Æn.* 8. 330. Fabaris *vel* Farfarus *in Orientalem Tyberis ripam influens, nunc* Farfa.

Nursia

Nursia, & Hortinæ classes, populísque Latini:
Quósque secans infaustum interluit Allia nomen:
Quàm multi Libyco volvuntur marmore fluctus,
Sævus ubi Orion hybernis conditur undis:
Vel quàm Sole novo densæ torrentur aristæ,
Aut Hermi campo, aut Lyciæ flaventibus arvis.

Scu

Nursia. *Ultima Sabinarum urbium ad septentrionem, inter Apennini pruinas, quare frigida appellatur;* nunc Norcia.

Hortinæ classes: *Ex Horta, vel Hortano Hetruriæ oppido milites in classes divisi. Nam classem hîc exercitum terrestrem interpretor, juxta id, quod suprà dictum.* Horta, *vel Hortanum urbs apud Confluentes Naris, ac Tyberis fluviorum, in Hetruria quidem, sed Sabinis contermina, nunc* Orta.

Infaustum Allia nomen: *Allia fluvius haud longè ab Urbe est, juxta quem Galli, Brenno duce, deleto exercitu, etiam urbem vastaverunt. Quamobrem infaustum ejus nomen dicit. Nunc dicitur* Rio di Mosso.

Quàm multi: *Tanta erat multitudo, quàm multi fluctus in mari &c.* Libyco marmore: *Mari Africano:* Orion: *Sidus ortu & occasu nimbosum.*

Vel quàm: *Vel quàm multæ aristæ excoquuntur in æstate prima, quâ maturescunt aristæ.*

Hermi campo: *Hermus Phrygiæ fluvius, qui superfusus campis gignit fertilitatem. Unde arenas dicitur trahere.*

Lyciæ flaventibus arvis: *Lycia ferax item frumen-*

Scuta sonant, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Hinc Agamemnonius Trojani nominis hostis
Curru jungit Halesus equos, Turnoque feroces
Mille rapit populos: vertunt felicia Baccho
Massica qui rastris: & quos de collibus altis
Aurunci misêre patres: Sidicináque juxta

Æquo,

menti, meridionalis Asiæ minoris regio. Æn. 4. 143.

Agamemnonius Halesus: *Agamemnonis dudum partes secutus. Hunc Agamemnonis plerique comitem, alii nothum filium fuisse dicunt; qui cùm venisset in Italiam, audito adventu Æneæ, in bellum ruit; non tam amore Turni, quàm odio hostilitatis antiquæ. Unde ait:* Trojani nominis hostis.

Rapit populos: *Raptim addidit populos Campanos, Auruncos, Sidicinos, Cilenos, Vulturni fluvii accolas, Saticulos, Oscos &c.*

Massica: *Populos, qui rastris colles Massicos in Campania findunt. Est enim Massicus mons ad mare, ubi tractus vino optimo celebris, nunc* Monte d' Dragone.

Aurunci: *Reliquiæ Opicorum sive Ausonum in Italia, qui inter Campaniam & Volscos consederant.* Sidicini, *pars eorundem Opicorum alia, quæ in mediterraneis Auruncorum finibus consedit.* Cales *plurali numero, oppidum supra Massicum montem Campaniæ, nunc* Calvi. Vulturnus, *etiamnum retinens nomen, fluvius Campaniæ.* Saticula, *vel* Satricula *urbs ad orientem Vulturni & Capuæ, nunc* Caserta.

Osci;

Æquora: quique Cales linquunt: amnisque vadosi
Accola Vulturni: paritérque Saticulus asper,
Oscorúmque manus. Teretes sunt aclides illis
Tela, sed hæc lento mos est aptare flagello:
Lævas cetra tegit: falcati cominùs enses.
Nec tu carminibus nostris indictus abibis,
Oebale: quem generâsse Telon Sebethide Nymphâ
Fertur, Teleboûm Capreas cum regna teneret
Jam senior: patriis sed non & filius arvis
Contentus, latè jam tum ditione premebat.

Sarr

Osci: *nomen diminutum ab* Opicis *gente Ausonia, & hujus regionis indigena.*

Teretes aclides. *Arma Campanorum, & vel exigua missilia, vel clavæ breves eminentibus hinc inde acuminibus asperæ, loro sive flagello alligatæ, ut post impactum vulnus revocari possent. Nomen, vel quasi* ἀκίδες, *ab* ἀκὶς acumen, *vel quasi* ἀγκυλίδες, *ab* ἀγκύλη, *quæ jaculi species fuit ejusmodi loro alligati.*

Cetra. *Scutum loreum, Afris Hispanisque familiare.*

Falcati. *Ad pugnandum cominùs habent gladios curvos.*

Oebale: *Oebalus, filius Telonis, & Nymphæ Sebethidis, quæ filia Sebethi, fluvii ad Neapolin.*

Teleboum Capreas: Capreæ *plur. num. insula est contra Surrentinum promontorium, deliciæ olim Tiberii Cæsaris, nunc* Capri, *quam tenuerunt Teleboæ ex Acarnania, Epiri regione, profecti.*

Sar-

Sarrastes populos, & quæ rigat æquora Sarnus;
Quíque Rufas, Batulúmque tenent, atque arva Celennæ;
Et quos maliferæ despectant mœnia Abellæ:
Teutonico ritu soliti torquere cateias,
Tegmina queïs capitum raptus de subere cortex,
Æratæque micant peltæ, micat æreus ensis.

Et

Sarrastes. *Parebant Oebalo populi circa Surrentinum promontorium, nempe Campani orientales, Hirpini, & Picentini.* Sarnus *fluv. loca tractûs illius alluit, nunc* Sarno, *fluens per Campaniam ex Hirpinorum finibus, in illud Sinûs Neapolitani latus, quod Surrentino promontorio terminatur. Hujus accolas vocat* Sarrastes.

Quíque Rufas: Batulúmque &c. Rufæ *vel* Rufræ, *nunc* Ruvo, *urbs Campaniæ.* Batulum & Celenna *urbs ignoti sitûs.* Abella, *nunc* Avella *urbs in angulo Campaniæ Samnitibus & Hirpinis confini, excelso situ, quare despectare subjectos populos videtur: ferax nucum, quæ inde Avellanæ dictæ sunt.*

Cateias. *Vel tormenti genus, unde torquebantur saxa, vel telum, quod propter gravitatem non longè evolabat, sed vi maxima perfringebat. Hæ Gallorum erant propriæ,* Teutonúmque, *qui Germaniæ erant populi, circa Cimbricam Chersonesum, ubi nunc* Dania.

Raptus de subere cortex: *Galeæ è recenti subere.* Raptus, *id est, raptim sublatus; quia recens suberis cortex in quamvis formam flectitur facilè.*

Æratæque peltæ: *Æreis laminis tectæ.* Peltæ

 clypei

Et te montosæ misêre in prælia Nursæ,
Ufens, insignem famâ & felicibus armis:
Horrida præcipuè cui gens, assuetáque multo
Venatu nemorum, duris Æquicola glebis:
Armati terram exercent, sempérque recentes
Convectare juvat prædas, & vivere rapto.
Quin & Marrubia venit de gente sacerdos,
Fronde super galeam & felici comptus oliva,
Archippi regis missu, fortissimus Umbro:
Vipereo generi & graviter spirantibus hydris
Spargere qui somnos cantúque manúque solebat,

clipei breves, lunati.

Et te montosæ. *Æqui, vel Æquicoli, gens Æquicola, ad Orientem superioris partis antiqui Latii, nunc pars est Campaniæ Romanæ, ubi urbs olim fuit* Nursæ, *jam ignoti sitûs.*

Venatu: *Pro, venatui. Ecl. 5.29.*

Marrubia, Marrubium, *vel* Marruvium *Marsicæ regionis caput.*

Fronde super &c. *Oleagina fronde undique compta coronatus, uti sacerdos.*

Archippi. *Archippe, urbs olim, quæ hiatu terræ hausta, & in Fucinum lacum dissoluta est, quo ex nomine Virgilius Archippi regis nomen finxit.*

Vipereo generi. *Umbro solebat cantu & tactu viperas sopire, atque incantare.*

Graviter spirantibus: *Noxiè halantibus, & solo flatu nocentibus.*

Sed

Mulcebátque iras, & morſus arte levabat,
Sed non Dardaniæ medicari cuſpidis ictum
Evaluit: neque eum juvêre in vulnera cantus
Somniferi, & Marſis quæſitæ in montibus herbæ.
Te nemus Angitiæ, vitreâ te Fucinus undâ,
Te liquidi flevêre lacus.
Ibat & Hippolyti proles pulcherrima bello,

Viri-

Sed non Dardaniæ: *Non potuit ſuis carminibus ſanare plagam, quam accepit à Dardano.*

Marſis. *Marſi, ad orientem ac ſeptentrionem Æquorum, inter continua Apennini juga, gens orta è Circes filio: à quo vim adversùs venena & ſerpentes dicitur accepiſſe.*

Te nemus Angitiæ: *Umbronis mortem luxit nemus Angitiæ, conſecratum Medeæ, quam Marrubii Angitiam vocabant. Angitia juxta Solinum fuit ſoror Circes, venítque cum ea in Italiam, & vicina Fucino lacui occupavit. Inde lucus hic dictus, qui ſitus eſt ad lacum.*

Fucinus: *Lacus, nunc Lago* Fucino.

Hippolyti proles &c. *Hippolytus Theſei Athenarum regis filius, à noverca Phedra, fruſtra interpellatus ſtupro, ideóque ab eadem de vi in ſe parata falsò delatus ad patrem; cùm ad littus maris currum ageret, devotus à patre, equis ſubito marini monſtri incurſu efferatis raptatus at diſcerptus eſt. Diana ejus cultu & caſtitate commota per Æſculapium revocavit eum ad vitam, commendavitq; ipſum Egeriæ Nymphæ Aricini nemoris, ubi inter minores Divos cultus fuit, appellatúsque*

Virbius: insignem quem mater Aricia misit,
Eductum Egeriæ lucis humentia circùm
Littora, pinguis ubi & placabilis ara Dianæ.
Námque ferunt famâ Hippolytum, postquam arte novercæ
Occiderit, patriásque explêrit sanguine pœnas
Turbatis distractus equis, ad sidera rursùs
Ætherea & superas cœli venisse sub auras,
Pæoniis revocatum herbis, & amore Dianæ.
Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ,
Ipse repertorem medicinæ talis & artis

Ful-

que Virbius, quòd inter viros bis *fuerat. Fingitur à Virgilio filium habuisse sibi cognominem, qui Turni auxilio venerit.*

Mater Aricia, *Vel Aricia urbs antiqua Latii, vel Aricia quædam Nympha.*

Egeriæ lucis. *Circa Ariciam nemus ingens fuit, dictum* Dianæ, *vel* Egeriæ; *item templum Dianæ Scythicæ vel Tauricæ, & lacus Dianæ Aricinæ. Lacus multis impletur fontibus, aquarum præcipuus fons* Egeriæ *dictus est.* Pinguis ubi: *Frequenti Sacrificio.*

Placabilis ara Dianæ. *Quo loco est ara Dianæ, sed hîc placabilis, id est, non ita gaudens humano cruore, ut olim in Taurica Chersoneso, sed aliis victimis.*

Pæoniis herbis. *Herbis Medicis.* Pæon *certum est Medici nomen apud Homerum; videtur tamen esse commune medicorum rerúmque medicarum nomen ab Apolline medicorum Deo deductum, qui Pæan dictus.*

Phœ-

Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit ad undas.
At Trivia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus, & Nymphæ Egeriæ nemorísque relegat:
Solus ubi in sylvis Italis, ignobilis ævum
Exigeret, versóque ubi nomine Virbius esset,
Unde etiam Triviæ templo lucísque sacratis
Cornipedes arcentur equi, quòd littore currum
Et juvenem monstris pavidi effudêre marinis.
Filius ardentes haud seciùs æquore campi
Exercebat equos, currúque in bella ruebat.
Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur, arma tenens, & toto vertice supra est.
Cui triplici crinita jubâ galea alta Chimæram

Phœbigenam &c. *Æsculapium, Phœbo & Coronide genitum; Hic Æsculapius, cùm arte medendi insignis, non unum Hippolytum, sed alios complures ad vitam revocâsset, fulmine adactus est ad inferos à Jove. Apollo Cyclopas fabricatores fulminis, sagittis confixit: Jupiter Apollinem ob eam cædem cælo expulit, coëgítque mortali regi servire.*

Trivia: *Diana, quæ colebatur in trivijs.*

Cornipedes: *Equi corneis ungulis.*

Haud seciùs: *Non segniùs patre; & tantæ fuit audaciæ, ut nec paternæ mortis terreretur exemplo.*

Vertitur. *Id est, agit. Versatur hinc inde se rotans.*

Cui triplici: *Galea erat insignis tribus conis, seu cristis, & Chimæra pro insigni. Mos etiam hodie est, ut insignia familiarum exornata sint leonibus, aquilis, draconibus, & aliarum bestiarum sive capitibus sive cornibus.*

Collis Aventini sylvâ quem Rhea sacerdos
Furtivum partu sub luminis edidit auras,
Mixta Deo mulier: postquam Laurentia victor
Geryone extincto Tirynthius attigit arva,
Tyrrhenóque boves in flumine lavit Iberas.

Pila

Collis Aventini. *Unius è collibus, quibus insidet Roma, nunc mons* Di S. Sabina.

Rhea Sacerdos: *Præludit, & alludit ad nomen Matris Romuli, quæ dicta est* Rhea, Sylvia, Ilia, *& quæ deinde circa hunc eundem locum ex Marte Deo Romulum concepit.* Furtivum. *Furtim, in sylvia.*

Geryone. *Geryon Rex fuit Hispaniæ, qui tria dicitur habuisse corpora, quòd tribus etiam insulis Hispaniæ adjacentibus imperaret*, Balearicæ majori, minori, & Ebusæ: *Vel quòd tres essent fratres amore conjunctissimi, quibus devictis Hercules eorum armenta diripuerit, & secum in Italiam advexerit.* Tirynthius, *nomen Herculis*: *Tiryns urbs fuit Argis vicina, ubi nutritus est Hercules.* Tyrrheno in flumine: *Tyberi. Veniens illuc Hercules vaccas* Iberas, *Hispanas, lavit, atque ibi juxta* Baias, *caulas bubus fecit, & eas sepsit, qui locus* Boaulia *dictus. Hodie* Baulæ *vocantur.*

Pila

Pila manu sævósque gerunt in bella dolones:
Et tereti pugnant mucrone, verúque Sabello.
Ipse pedes, tegmen torquens immane leonis,
Terribili impexum setâ, cum dentibus albis,
Indutus capiti: sic regia tecta subibat
Horridus: Herculeóque humeros innexus amictu.
Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,

Pila: *Sunt hastæ Romanæ, ac tela, septem circiter pedes longæ, quorum tertia pars in ferreum mucronem hamatum abibat.*

Dolones: *Conti ingentes lignei, quibus vel præfixum erat ferrum ita breve, ut vix appareret; vel ferrum ipsum latebat intra lignum, indéque, cùm erat opus, evibrabatur; ideò nomen a* dolo.

Verúque Sabello. *Quod idem est, ac teres mucro & alio nomine verutum, pili, sive teli genus, quo Sabelli, sive Sabini sunt usi.*

Torquens: *Quassant pellem ingentem leonis; id est trahens à læva ad dextram pendulam.*

Indutus capiti: *Pellis leoninæ caput adaptabatur capiti Aventini galeæ locô, ad terrorem, & munimen, eo modo, quo Hercules incessit, &* pedes *quidem semper, cùm equos habuerit nobilissimos.*

Tum gemini: *De Græcia tres fratres migrârunt in Italiam* Catillus, Coras, Tybur, *vel* Tyburnus: *hi simul omnes unam fecere civitatem, & eam de fratris nomine* Tybur *appellârunt. Duo fratres ad hoc bellum venerunt, relicto in civitate Tyburno.*

Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catillúsque, acérque Coras, Argiva juventus:
Et primam ante aciem densa inter tela feruntur,
Ceu duo nubigenæ cùm vertice montis ab alto
Descendunt Centauri, Omolen Othrynque nivalem
Linquentes cursu rapido: dat euntibus ingens
Sylva locum, & magno cedunt virgulta fragore.
Nec Prænestinæ fundator defuit urbis;
Vulcano genitum pecora inter agrestia regem.
Inventúmque focis omnis quem credidit ætas.
Cæculus. Hunc legio latè comitatur agrestis:
Quíque altum Præneste viri, quíque arva Gabinæ
Junonis, gelidúmque Anjenem, & roscida rivis

Her.

Argiva: *Græca.*

Centauri: *Superiore parte humana: inferiore equina: Ixione, & nube geniti, Thessaliæ populi. G. 3. 38. Æn. 6. 286. Hinc nubigenæ.*

Omolen, Othrynque. *Montes Thessaliæ.*

Prænestinæ. *Præneste, antiqui Latii urbs ad orientem Romæ, nunc* Paleſtrina. *Hanc à Præneste Ulyssis nepote conditam aliqui ajunt: Virgilius & alii quidam à Cæculo, quem è Digitiorum fratrum sorore conceptum narrant, cùm eam Vulcanus sub scintillæ specie vitiásset; & à matre abjectum juxta templum Jovis ad ignem repertum esse, cùm ei fumus oculos aliquantulùm læsisset, unde* Cæculus *appellatus sit.*

Gabinæ Junonis: *Ex urbe* Gabiis, *ubi Juno religiosè colebatur.*

Anienem. *Fluvium, qui determinat vetus Latium*

Hernica saxa colunt: quos dives Anagnia, pascis;
Quos Amasene pater. Non illis omnibus arma,
Nec clypei currúsve sonant: pars maxima glandes
Liventis plumbi spargit, pars spicula gestat
Bina manu, fulvósque lupi de pelle galeros,
Tegmen habet capiti: vestigia nuda sinistri
Instituêre pedis, crudus tegit altera pero.
At Messapus equûm domitor, Neptunia proles,

Quem

nm à Sabinis, deinde in Tyberim influit: hodie dicitur Teverone.

Hernica Saxa. *Hernici populi fuerunt novi Latii. Sabini fuisse generis vulgò putantur. Siquidem Sabinis* Herna *dicuntur* saxa, *unde genti nomen.*

Anagnia. *Urbs Præcipua Hernicorum.*

Quos Amasene pater: *Et quos pascit Amasenus, fluvius, pater Nympharum, id est, aquarum, circa Hernicos fines.*

Glandes liventis plumbi; *Vel à livido colore: vel quòd tales ictus livorem afferant; Ovid. L. 7.* Contorto verbere glandes. *Olim, ante usum bombardarum, apparet missas fuisse è fundis.*

Galeros: *E Lupina pelle erant hi galeri, id est pilei turbinati, & in acumen desinentes.*

Pero: *Rusticum calceamenti genus.*

Messapus. *Græcus ex Anthedonia, Bœotiæ region', ubi Messapio monti nomen dedit: postmodum profectus in Italiam, occupavit extremam ejus peninsulam ad orientem, quæ* Messapia *ab eo, deinde Calabria vo-*

Aaa 5 *cata*

Quem neque fas igni cuiquam, nec sternere ferro,
Jampridem resides populos desuetáque bello
Agmina in arma vocat subitò, ferrumque retractat,
Hi Fescenninas acies, æquósque Faliscos,
Hi Soractis habent arces, Flaviniáque arva,

Et

cata est. Dicitur Neptunia *proles ob navigandi peritiam.* Equûm domitor, *quia equus Neptuno sacer est.*

Quem neque fas: *Invulnerabilem dicit, quia nusquam periit, nec in hoc bello. Ignem autem ei non posse nocere dicit, quia aquarum Deus est.*

Resides populos: *Etruscos, dudum otiosos.*

Ferrúmque retractat: *Resumit arma.*

Hi Fescenninas acies: *Hi duces* Messapi *regunt exercitus Fescenninos. Oppidum Etruriæ* Fescennia *sive Fescennium, unde orta est licentia nuptialium carminum, quæ inde* Fescennina *dicta sunt.*

Faliscos. *Populi sunt paulò infra* Fescennium, *quorum urbs* Falerii, *quæ* Faliscum *aliquando appellatur.* Æquos *dixit, quia legum duodecim tabularum aliqua supplementa Romani ab iis acceperant.*

Soracte. *Mons in agro Falisco, nunc monte di S. Silvestro.*

Flaviniáque arva: *Locus est in Italia*, Flavinia, *Hetruriæ oppidum.*

Cimini

Et Cimini cùm monte lacum, lucosque Capenos
Ibant æquati numero, regémque canebant.
Ceu quondam nivei liquida inter nubila cycni
Cùm sese è pastu referunt, & longa canoros
Dant per colla modos : sonat amnis, & Asia longè
Pulsa palus.
Nec quisquam æratas acies ex agmine tanto
Misceri putet, aëriam sed gurgite ab alto

Cimini. *Ciminus mons & lacus cum Cimina sylva ad occidentem in Etruriam interior subit. Putat Cluverius montem eum esse qui modò nuncupatur* di Viterbo; *lacum* di Ronciglione.

Capenos. *Capena urbs cum luco & templo Feroniæ, ad ripam Tiberis inter agrum Faliscum, & Vejentem fuit; nunc* Canepina.

Æquati numero : *Digesti in ordinem : vel ibant pari ordine & numero, ad tympana se moventes.*

Ceu quondam : *Quemadmodum candentes cygni aliquando in serenis nubibus, cùm referunt se è pastu, & canunt emittentes numerosam vocem per oblonga colla; resonat tum amnis, & Asia longè repercussa.* Asia *fluvius est, qui cobæret Asiæ paludi; quam cùm significamus a longum est.*

Nec quisquam : *Nemo crederet milites armatos confertim mixtos incedere, sed putaret esse cygnorum canentium turbam, præ multitudine obtegentem auras instar nubis, quæque à vento terram versùs urgetur.* Nubes *pro agmine.*

Ecce

Urgeri volucrum raucarum ad littora nubem,
Ecce, Sabinorum prisco de sanguine, magnum
Agmen agens Clausus, magníque ipse agminis instar:
Claudia nunc à quo diffunditur & tribus & gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.
Unà ingens Amiterna cohors, priscique Quirites:

Ere-

Ecce Sabinorum : *Ecce Clausus, ex antiquo sanguine Sabinorum, ducens magnam turbam, & ipse instar magnæ turbæ. Sabini eam habuerunt Italiæ partem, quæ est ad septentrionem Latii, inter fluvios Narem, Tyberim, Anienem, & montem Apenninum : nunc regio retinet fere nomen, éstque sub ditione Pontificia.*

Clausus. *Atta Clausus, post exactos reges cum tota familia & 5000. clientum & amicorum è Sabinorum urbe Regillo, Romam transmigravit : atque ut ad formam Romanam nomen aptaret suum, Appius Claudius dici voluit; ideò in patriciorum numerum admissus est, & in distributione populi R. in tribus, dicta est ejus* Tribus Claudia. *At hic* Clausus, *de quo Virgilius, è majoribus illius Claudii fuisse tantùm fingitur.*

Roma Sabinis. *Postquam Roma in partem data est Sabinis, quando nempe populus Romanus in tribum Claudiam divisus, & Sabini in communia Romæ jura recepti sunt.*

Amiterna Cohors. *Varia Sabinorum loca enumerantur;* Amiternum, *urbs.*

Prisci Quirites : *illi ex urbe Curibus, unde postmo-*

dum

Ereti manus omnis, oliviferæque Mutuscæ:
Qui Nomentum urbem, qui rosea rura Velini;
Qui Tetricæ horrentes rupes, montémque Severum,
Casperiámque colunt, Forulósque, & flumen Himellæ:
Qui Tyberim Fabarímque bibunt: quos frigida misit

Nur-

dum Romani Quirites *dicti.*

Eretum: *vicus ad confluentem Alliæ* & *Tyberis*; *nunc* monte ritundo. Nomentum: *Ereto vicinum*, *nunc* Lamentano.

Mutuscæ, *aliter* Trebula, *vicus ultrà paludem Reatinam*, *nunc* Monte Leone.

Rosea rura Velini: *alii* Roscida *volunt legi. Pars agri Reatini*, *ubi* Ros *fertilissimum illum tractum efficit circa* Velinium *fl. nunc* Velino, & *Velinum lacum*, *nunc* lago di pie di Luco.

Tetricæ: Severum; Tetrica, Severus, *montes incerti sitûs.*

Casperiámque: Casperia *paullò supra Cures*, *oppidum*, *nunc* Aspera.

Foruli: *Vicus in rupe circa Amiternum*, *excisus.*

Himella; *fluvius*, *prope Casperiam nascens*, *in Tyberim infra Cures delabitur*: *nunc* Aja.

Tyberim, Fabarímque: *De Tybri Æn.* 8. 330. Fabaris *vel* Farfarus *in Orientalem Tyberis ripam influens*, *nunc* Farfa.

Nursia

Nursia, & Hortinæ classes, populique Latini:
Quósque secans infaustum interluit Allia nomen:
Quàm multi Libyco volvuntur marmore fluctus,
Sævus ubi Orion hybernis conditur undis:
Vel quàm Sole novo densæ torrentur aristæ,
Aut Hermi campo, aut Lyciæ flaventibus arvis.

Scu-

Nursia. *Ultima Sabinarum urbium ad septentrionem, inter Apennini pruinas, quare frigida appellatur; nunc* Norcia.

Hortinæ classes: *Ex Horta, vel Hortano Hetruriæ oppido milites in classes divisi. Nam classem hîc exercitum terrestrem interpretor, juxta id, quod suprà dictum.* Horta, *vel Hortanum urbs apud Confluentes Naris, ac Tyberis fluviorum, in Hetruria quidem, sed Sabinis contermina, nunc* Orta.

Infaustum Allia nomen: *Allia fluvius haud longè ab Urbe est, juxta quem Galli, Brenno duce, deleto exercitu, etiam urbem vastaverunt. Quamobrem infaustum ejus nomen dicit. Nunc dicitur* Rio di Mosso.

Quàm multi: *Tanta erat multitudo, quàm multi fluctus in mari &c.* Libyco marmore: *Mari Africano*: Orion: *Sidus ortu & occasu nimbosum.*

Vel quàm: *Vel quàm multæ aristæ excoquuntur in æstate prima, quâ maturescunt aristæ.*

Hermi campo: *Hermus Phrygiæ fluvius, qui superfusus campis gignit fertilitatem. Unde arenas dicitur trahere.*

Lyciæ flaventibus arvis: *Lycia ferax item frumen-*

men-

Scuta sonant, pulsúque pedum tremit excita tellus.
Hinc Agamemnonius Trojani nominis hostis
Curru jungit Halesus equos, Turnoque feroces
Mille rapit populos: vertunt felicia Baccho
Massica qui rastris: & quos de collibus altis
Aurunci misêre patres: Sidicináque juxta

Æque

menti, meridionalis Asiæ minoris regio. Æn. 4. 143.

Agamemnonius Halesus: *Agamemnonis dudum partes secutus. Hunc Agamemnonis plerique comitem, alii nothum filium fuisse dicunt; qui cùm venisset in Italiam, audito adventu Æneæ, in bellum ruit; non tam amore Turni, quàm odio hostilitatis antiquæ. Unde ait:* Trojani nominis hostis.

Rapit populos: *Raptim addidit populos Campanos, Auruncos, Sidicinos, Cilenos, Vulturni fluvii accolas, Saticulos, Oscos &c.*

Massica: *Populos, qui rastris colles Massicos in Campania findunt. Est enim Massicus mons ad mare, ubi tractus vino optimo celebris, nunc* Monte d' Dragone.

Aurunci: *Reliquiæ Opicorum sive Ausonum in Italia, qui inter Campaniam & Volscos consederunt.* Sidicini, *pars eorundem Opicorum alia, quæ in mediterraneis Auruncorum finibus consedit.* Cales *plurali numero, oppidum supra Massicum montem Campaniæ, nunc* Calvi. Vulturnus, *etiamnum retinens nomen, fluvius Campaniæ.* Saticula, *vel* Satricula *urbs ad orientem Vulturni & Capuæ, nunc* Caserta.

Osci;

Æquora: quique Cales linquunt: amnisque vadosi
Accola Vulturni: paritérque Saticulus asper,
Oscorúmque manus. Teretes sunt aclides illis
Tela, sed hæc lento mos est aptare flagello:
Lævas cetra tegit: falcati cominùs enses.
Nec tu carminibus nostris indictus abibis,
Oebale: quem generâsse Telon Sebethide Nymphâ
Fertur, Teleboûm Capreas cum regna teneret
Jam senior: patriis sed non & filius arvis
Contentus, latè jam tum ditione premebat.

Sarr

Osci: *nomen diminutum ab* Opicis *gente Ausonia, & hujus regionis indigena.*

Teretes aclides. *Arma Campanorum, & vel exigua missilia, vel clavæ breves eminentibus hinc inde acuminibus asperæ, loro sive flagello alligatæ, ut post impactum vulnus revocari possent. Nomen, vel quasi* ἀκίδες, *ab* ἀκὶς acumen, *vel quasi* ἀγκυλίδες, *ab* ἀγκύλη, *quæ jaculi species fuit ejusmodi loro alligati.*

Cetra. *Scutum loreum, Afris Hispanísque familiare.*

Falcati. *Ad pugnandum cominùs habent gladios curvos.*

Oebale: *Oebalus, filius Telonis, & Nymphæ Sebethidis, quæ filia Sebethi, fluvii ad Neapolin.*

Teleboum Capreas: Capreæ *plur. num. insula est contra Surrentinum promontorium, deliciæ olim Tiberii Cæsaris, nunc* Capri, *quam tenuerunt Teleboæ ex Acarnania, Epiri regione, profecti.*

Sar-

Sarrastes populos, & quæ rigat æquora Sarnus;
Quíque Rufas, Batulúmque tenent, atque arva Celennæ;
Et quos maliferæ despectant mœnia Abellæ:
Teutonico ritu soliti torquere cateias,
Tegmina queïs capitum raptus de subere cortex,
Ærataéque micant peltæ, micat æreus ensis.

Et

Sarrastes. *Parebant Oebalo populi circa Surrentinum promontorium, nempe Campani orientales, Hirpini, & Picentini.* Sarnus *fluv. loca tractûs illius alluit, nunc* Sarno, *fluens per Campaniam ex Hirpinorum finibus, in illud Sinûs Neapolitani latus, quod Surrentino promontorio terminatur. Hujus accolas vocat* Sarrastes.

Quíque Rufas: Batulúmque &c. Rufæ *vel* Rufræ, *nunc* Ruvo, *urbs Campaniæ.* Batulum & Celenna *urbs ignoti sitûs.* Abella, *nunc* Avella *urbs in angulo Campaniæ Samnitibus & Hirpinis confini, excelso situ, quare despectare subjectos populos videtur: ferax nucum, quæ inde Avellanæ dictæ sunt.*

Cateias. *Vel tormenti genus, unde torquebantur saxa, vel telum, quod propter gravitatem non longè evolabat, sed vi maxima perfringebat. Hæ Gallorum erant propriæ,* Teutonúmque, *qui Germaniæ erant populi, circa Cimbricam Chersonesum, ubi nunc* Dania.

Raptus de subere cortex: *Galeæ è recenti subere.* Raptus, *id est, raptim sublatus; quia recens suberis cortex in quamvis formam flectitur facilè.*

Ærataéque peltæ: *Æreis laminis tectæ.* Peltæ

Et te montosæ misêre in prælia Nursæ,
Ufens, insignem famâ & felicibus armis:
Horrida præcipuè cui gens, assuetáque multo
Venatu nemorum, duris Æquicola glebis:
Armati terram exercent, sempérque recentes
Convectare juvat prædas, & vivere rapto.
Quin & Marrubia venit de gente sacerdos,
Fronde super galeam & felici comptus oliva,
Archippi regis missu, fortissimus Umbro:
Vipereo generi & graviter spirantibus hydris
Spargere qui somnos cantúque manúque solebat,

clipei breves, lunati.

Et te montosæ. *Æqui, vel Æquicoli, gens Æquicola, ad Orientem superioris partis antiqui Latii, nunc pars est Campaniæ Romanæ, ubi urbs olim fuit* Nursæ, *jam ignoti situs.*

Venatu: *Pro, venatui. Ecl. 5.29.*

Marrubia, Marrubium, *vel* Marruvium *Marsicæ regionis caput.*

Fronde super &c. *Oleagina fronde undique compta coronatus, uti sacerdos.*

Archippi. *Archippe, urbs olim, quæ hiatu terræ hausta, & in Fucinum lacum dissoluta est, quo ex nomine Virgilius Archippi regis nomen finxit.*

Vipereo generi. *Umbro solebat cantu & tactu viperas sopire, atque incantare.*

Graviter spirantibus: *Noxiè halantibus, & solo flatu nocentibus.*

Sed

Mulcebátque iras, & morsus arte levabat,
Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum
Evaluit: neque eum juvêre in vulnera cantus
Somniferi, & Marsis quæsitæ in montibus herbæ.
Te nemus Angitiæ, vitreâ te Fucinus undâ,
Te liquidi flevêre lacus.
Ibat & Hippolyti proles pulcherrima bello,

Viri-

Sed non Dardaniæ: *Non potuit suis carminibus sanare plagam, quam accepit à Dardano.*

Marsis. *Marsi, ad orientem ac septentrionem Æquorum, inter continua Apennini juga, gens orta è Circes filio: à quo vim adversùs venena & serpentes dicitur accepisse.*

Te nemus Angitiæ: *Umbronis mortem luxit nemus Angitiæ, consecratum Medeæ, quam Marrubii Angitiam vocabant. Angitia juxta Solinum fuit soror Circes, venitque cum ea in Italiam, & vicina Fucino lacui occupavit. Inde lucus hic dictus, qui situs est ad lacum.*

Fucinus: *Lacus, nunc Lago* Fucino.

Hippolyti proles &c. *Hippolytus Thesei Athenarum regis filius, à noverca Phædra, frustra interpellatus stupro, ideóque ab eadem de vi in se parata falsò delatus ad patrem; cùm ad littus maris currum ageret, devotus à patre, equis subito marini monstri incursu efferatis raptatus ac discerptus est. Diana ejus cultu & castitate commota per Æsculapium revocavit eum ad vitam, commendavitq; ipsum Egeriæ Nymphæ Aricini nemoris, ubi inter minores Divos cultus fuit, appellatúsque*

Virbius: insignem quem mater Aricia misit,
Eductum Egeriæ lucis humentia circùm
Littora, pinguis ubi & placabilis ara Dianæ.
Námque ferunt famâ Hippolytum, postquam arte novercæ
Occiderit, patriásque explêrit sanguine pœnas
Turbatis distractus equis, ad sidera rursùs
Ætherea & superas cœli venisse sub auras,
Pæoniis revocatum herbis, & amore Dianæ.
Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ,
Ipse repertorem medicinæ talis & artis

Ful-

que Virbius, quòd inter viros bis *fuerat. Fingitur à Virgilio filium habuisse sibi cognominem, qui Turni auxilio venerit.*

Mater Aricia, *Vel Aricia urbs antiqua Latii, vel Aricia quædam Nympha.*

Egeriæ lucis. *Circa Ariciam nemus ingens fuit, dictum* Dianæ, *vel* Egeriæ; *item templum Dianæ Scythicæ vel Tauricæ, & lacus Dianæ Aricinæ. Lacus multis impletur fontibus, aquarum præcipuus fons* Egeriæ *dictus est.* Pinguis ubi: *Frequenti Sacrificio.*

Placabilis ara Dianæ. *Quo loco est ara Dianæ, sed hîc placabilis, id est, non ita gaudens humano cruore, ut olim in Taurica Chersoneso, sed aliis victimis.*

Pæoniis herbis. *Herbis Medicis.* Pæon *certum est Medici nomen apud Homerum; videtur tamen esse commune medicorum rerúmque medicarum nomen ab Apolline medicorum Deo deductum, qui Pæan dictus.*

Phœ-

Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit ad undas.
At Trivia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus, & Nymphæ Egeriæ nemorísque relegat:
Solus ubi in sylvis Italis, ignobilis ævum
Exigeret, versóque ubi nomine Virbius esset,
Unde etiam Triviæ templo lucísque sacratis
Cornipedes arcentur equi, quòd littore currum
Et juvenem monstris pavidi effudêre marinis.
Filius ardentes haud seciùs æquore campi
Exercebat equos, currúque in bella ruebat.
Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur, arma tenens, & toto vertice supra est.
Cui triplici crinita jubâ galea alta Chimæram

Sua

Phœbigenam &c. *Æsculapium, Phœbo & Coronide genitum; Hic Æsculapius, cùm arte medendi insignis, non unum Hippolytum, sed alios complures ad vitam revocâsset, fulmine adactus est ad inferos à Jove. Apollo Cyclopas fabricatores fulminis, sagittis confixit: Jupiter Apollinem ob eam cædem cælo expulit, coëgítque mortali regi servire.*

Trivia: *Diana, quæ colebatur in trivijs.*

Cornipedes: *Equi corneis ungulis.*

Haud seciùs: *Non segniùs patre; & tantæ fuit audaciæ, ut nec paternæ mortis terreretur exemplo.*

Vertitur. *Id est, agit. Versatur hinc inde se rotans.*

Cui triplici: *Galea erat insignis tribus conis, seu cristis, & Chimæra pro insigni. Mos etiam hodie est, ut insignia familiarum exornata sint leonibus, aquilis, draconibus, & aliarum bestiarum sive capitibus sive cornibus.*

 Jo

Sustinet, Ætnæos efflantem faucibus ignes:
Tam magis illa fremens, & tristibus effera flammis?
Quàm magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.
At levem clypeum sublatis cornibus Jo
Auro insignibat, jam setis obsita, jam bos,
(Argumentum ingens) & custos virginis Argus,
Cælatáque amnem fundens pater Inachus urnâ.
Insequitur nimbus peditum, clypeatáque totis
Agmina densantur campis, Argiváque pubes,

Jo &c. *Inachus Argivorum rex fluvio ibidem nomen dedit, unde pro fluvio ipse sumitur a Poëtis. Hujus fluvii filia Jo cùm amaretur à Jove: ab eodem, ne à Junone agnosceretur, in juvencam est conversa. Juno juvencam à Jove petiit, acceptámque dedit custodiendam pastori: cui centum erant oculi, nomen Argus. Is à Mercurio sopitus fistulæ cantu, & obtruncatus est. Juno pastoris oculos pavoni imposuit suo, juvencam furore perculit: quæ in Ægyptum usque fugiens, ibi tandem à Jove pristinæ reddita est formæ: nupsitque Osiridi regi, & ab Ægyptiis sub Isidis nomine culta est. Hanc fabulam imposuit Turnus clypeo, qui originem ab Inacho ducere gloriabatur.*

Argumentum ingens: *Cælatura hæc argumentum erat illustris generis.*

Custos: *Additus à Junone, ne reverti posset in formam priorem.*

Inachus, *Auctor originis Turni.*

Argiváque pubes. *Populos enumerat, qui ducem Turnum sequebantur.* *Is* Argivi *incolæ urbis* Ar-

Auruncæque manus, Rutuli, veterésque Sicani,
Et Sacranæ acies; & picti scuta Labici:
Qui saltus, Tiberine, tuos, sacrúmque Numici
Littus arant; Rutulósque exercent vomere colles,
Circæúmque jugum: queîs Juppiter Anxurus arvis

Ardeæ, *ex Danaë Argiva orti. II.* Aurunci; *Reliquiæ Ausonum inter Volscos & Campanos considentes. III.* Rutuli, *populi Turno subditi, Latinis consanguinitate, connubiis & vicinitate juncti. IV.* Sicani *ex Hispania oriundi, qui relictis sedibus suis in Italiam se contulerunt, pulsísque Aboriginibus Latium occupârunt; ipsíque posteà ab ipsis pulsi, quos antè pepulerant, insulam vicinam Italiæ, Siciliam occupaverunt, & eam* Sicaniam *à suo nomine vocârunt. V.*

Sacrani, *ita dicti, quia apud ipsos* sacra *Cybeles magno erant in bonore. VI.* Labici, *quorum urbs* Labicum, *nunc* Zagarvolo. Picti scuta: *In bello frequenter probati; nam apud majores virorum fortium picta erant scuta; contrà inertium & tyronum pura erant. Unde est*; Parmáque inglorius albâ *id est, non pictâ. VII.* Qui saltus: Accolæ Tyberis, *ad saltus & sylvas ejusdem habitantes. VIII. Accolæ* Numici *fluvii, de quo suprà v.* 150. *IX.* Circæi *montis & promontorii incolæ.*

X. Jupiter Anxurus: Anxur *urbs neutro masculinóque genere: Jupiter ab urbe dictus* Anxur *aut* Anxurus *singulari cultu colebatur. Urbs posteà Græcis propter situs asperitatem dicta est* Τϱαχίνη Trachine *indéque* Tarracina, *nunc* Terracine. *XI.*

Præſidet, & viridi gaudens Feronia luco :
Quà Saturæ jacet atra palus, gelidúsque per imâs
Quærit iter valles atque in mare conditur Ufens.
Hos ſuper advenit Volſca de gente Camilla,
Agmen agens equitum & florentes ære catervas,
Bellatrix : non illa colo calathíſve Minervæ
Fœmineas aſſueta manus : ſed prælia virgo
Dura pati, curſúque pedum prævertere ventos.
Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina : nec teneras curſu læſiſſet ariſtas :
Vel mare per medium, fluctu ſuſpenſa tumenti,
Ferret iter : celeres nec tingeret æquore plantas.

Illam

Feroniæ Lucus *cum fonte ac templo fuit inter Circæos & Terracinam.* Feronia *Dea florum & hortorum fuit.* XI'. Saturæ *palus, quæ &* Pometina, & Pomptina, & *Pontina dicta eſt, duobus fluviis ibi reſtagnantibus Amaſeno, & Ufente.*

Volſca de gente Camilla : Volſci *populi in Latio ultra Circæos.* Camillæ *caſus & origo narratur Æn.* 11. 535.

Florentes ære catervas : *Ornatas, fulgentes.*

Calathíſve Minervæ : *Minerva & armorum Dea eſt, & lanificii. Sed Camilla animum ad arma ſola contulit.*

Illa vel intactæ : *Auxeſis, quâ celeritatem Camillæ amplificat. Voláſſet illa per ſummas herbas ſegetis, & ariſtas non tetigiſſet, ejúſque curſu ne tumor quidem fluctuum deprimeretur, nec madefaceret aquis pedes.*

Oſtro

Illam omnis tectis agrísque effusa juventus
Turbáque miratur matrum, & prospectat euntem:
Attonitis inhians animis, ut regius ostro
Velet honos leves humeros; ut fibula crinem
Auro internectat; Lyciam ut gerat ipsa pharetram
Et pastoralem præfixa cuspide myrtum.

Ostro velet honos. *Purpura ex ostrei sive muricis sanguine expressa.*

Lyciam Pharetram *Camillæ tribuit, pro qualibet insigni pharetra, quia sagittandi arte Lycii nobiles.*

Pastoralem myrtum: *Myrtum hastilibus ob ligni firmitatem aptam arborem fuisse, jam notavit Virgilius G.* 2.447. Pastoralem *appellat, quia vitâ sylvestri ac pastorali instituta à Metabo fuerat Camilla, ut videbitur Æn.* 11.569.

P. VIRGILII M.

ÆNEIDOS

LIBER VIII.

ARGUMENTUM.

Turnus Venulum ad Diomedem mittit, ut eum ad belli societatem alliciat. Æneas, Tyberini fluvii monitu, iter eodem consilio suscipit ad Evandrum: qui ex Arcadia profugus in Palatino monte consederat. Evander, sacris Herculis tum intentus, Æneam iisdem adhibet: eorum originem edocet, victoriam scilicet Herculis de Caco, regionis illius insigni olim prædone. Tum Æneam quadringentorum equitum subsidio juvat: iisdem Pallantem filium præfixit: Æneam ad Tyrrhenos, expulso Mezentio regem poscentes, cùm certa regni axiliique spe dimittit. Æneas postridiè, parte alterâ copiarum secundo

do flumine ad suos remissa, cum altera Tyrrhenos adit. Interim Venus arma Æneæ suo defert, à Vulcano fabricata: clypeum inprimis, in quo Æneas res præclarè olim gerendas à Romanis posteris mira arte cælatas admiratur. Præcipuus eo in opere locus est Augusto; cujus egregiam de Antonio & Cleopatra Ægypti regina victoriam, triplicémque triumphum diligentiùs poëta describit.

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco strepuerunt cornua cantu;
Utque acres concussit equos, utque impulit arma;

Ex-

Belli signum. *Vexillum Romanis fuit velum minus, quadratum, ex hasta suspensum.*

Laurenti ab arce. *Urbe Laurente; regia Latini regis sede, quam Turnus adnitente Amatâ, habenis rerum à Latino relictis, belli sedem fecerat.* Cur Laurens *dicta*, *V. Æn.* 7. 63.

Concussit equos &c. *Turnus excitavit equos sonitu cornuum: milites impulsu armorum, id est, allisis ad clypeos hastis: cujus moris innumera sunt apud auctores vestigia.*

Ex-

Extemplo turbati animi: simul omne tumultu
Conjurat trepido Latium, sævítque juventus
Effera. Ductores primi, Messapus, & Ufens,
Auxilia, & latos vastant cultoribus agros.
Mittitur & magni Venulus Diomedis ad urbem:
Qui petat auxilium: & Latio consistere Teucros
Advectum Æneam classi, victósque Penates
Inferre, & fatis regem se dicere posci,
Edoceat; multásque viro se adjungere gentes
Dardanio, & latè Latio increbrescere nomen.
Quid struat his cœptis; quem, si fortuna sequatur,
Eventum pugnæ cupiat: manifestiùs ipsi,
Quàm Turno regi aut regi apparere Latino.
Talia per Latium: quæ Laomedontius heros
Cuncta videns, magno curarum fluctuat æstu:
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc;
In partésque rapit varias, pérque omnia versat:
Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen ahenis,

Sole

Extemplo &c. *Subitò exortæ sunt ubique turbæ, & tumultus, & ferox juventus furit in armis.*

Diomedis ad urbem &c. Arpos, *vel* Argyrippam *urbem in Apulia Daunia, conditam à Diomede. v. l.* 11. 243.

Laomedontius Heros: *Æneas ex eadem, qua Laomedon, rex Trojanus, familia.*

Sicut aquæ &c. *Veluti quando lux tremula, emissa à sole, aut specie rutulantis Lunæ, resiliens e vasis æreis pervagatur latè cuncta loca, & jam attollitur in aërem, & perstringit summi tecti laquearia; sic Æneas &c.*

Cùm

Sole repercussum aut radiantis imagine Lunæ,
Omnia pervolitat latè loca: jámque sub auras
Erigitur, summíque ferit laquearia tecti.
Nox erat; & terras animalia fessa per omnes
Alituum pecudúmque genus sopor altus habebat:
Cùm pater in ripa gelidíque sub ætheris axe
Æneas, tristi turbatus pectora bello,
Procubuit, serámque dedit per membra quietem.
Huic Deus ipse loci, fluvio Tyberinus amœno,
Populeas inter senior se attollere frondes
Visus. Eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus, & crines umbrosa tegebat arundo.
Tum sic affari, & curas his demere dictis:
O sate gente Deûm, Trojanam ex hostibus urbem
Qui revehis nobis, æternáque Pergama servas,

Ex-

Cùm pater: *Æneas.* Sub ætheris axe. *Sub aëre, sub dio.*

Serámque dedit: *Cùm præ solicitudine ad multam noctem vigilâsset.*

Deus ipse loci: *Fluvius Tyberinus, Deus, genius loci.*

Umbrosa arundo: *Corona arundinea; ex arundine, quâ prætexuntur ripæ.*

Qui revehis: *Qui reducis ad nos urbem Trojanam ex hostibus, & perpetua tueris pergama, efficis nempe ita servando, ut æterna sint Pergama. Gens Trojana per Dardanum olim ex Italia profecta erat.*

Ne

Expectate solo Laurenti, arvísque Latinis:
Hîc tibi certa domus; certi, ne absiste, penates;
Neu belli terrêre minis, tumor omnis & iræ
Concessêre Deûm,
Jámque tibi, ne vana putes hæc fingere somnum,
Littoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa, jacebit;
Alba, solo recubans, albi circùm ubera nati.
Hîc locus urbis erit: requies ea certa laborum:
Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis
Ascanius clavi condet cognominis Albam
Haud incerta cano. Nunc, qua ratione, quod instat,
Expedias victor, paucis, adverte, docebo.
Arcades his oris, genus à Pallante profectum,

Qui

Ne absiste: *Ne desiste ab incepto, propter pericula, quæ videntur imminere.*

Albam. *Cognomento* longam, *ob situm, inter lacum & montem, inde Albanum appellatum: Româ dissitam quindecim circiter millibus ad orientem. Hæc ab Ascanio condita: postquam annos triginta Lavinii regnatum esset: ex augurio repertæ albæ suis, cum triginta procellis. At anni illi* 30. *de quibus Tyberinus loquitur, non ab hoc ipso Æneæ adventu numerandi sunt; sed ab urbe Lavinio condita: aut potiùs ab ipsa Æneæ morte, qui tres ibi annos regnavit, ut dictum Æn.* I. 270.

Arcades &c. *Arcadia regio est Peloponnesi media. Hinc profectus est Evander, consedítque juxta Tybrim in monte & oppidulo, quod vocavit* Palantium, Pallanteum, Palatium, *à Pallante Arcadiæ rege,*

pro-

Qui regem Evandrum comites, qui signa secuti,
Delegêre locum, & posuêre in montibus urbem,
Pallantis proavi de nomine, Pallanteum.
Hi bellum assiduè ducunt cum gente Latina:
Hos castris adhibe socios, & fœdera junge.
Ipse ego te ripis & recto flumine ducam,
Adversum remis superes subvectus ut amnem.
Surge age, nate Deâ: primísque cadentibus astris
Junoni fer ritè preces, irámque minásque
Supplicibus supera votis: mihi victor honorem
Persolves. Ego sum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, & pinguia culta secantem,
Cæruleus Tybris, cælo gratissimus amnis.
Hîc mihi magna domus, celsis caput urbibus exit.

Di-

proavo suo. Condita deinde Roma est in eo monte, qui Palatinus *dictus est, nunc* Palazzo magiore *seu* Palatino. Genus à Pallante: *Gens orta à Pallante, qui secuti sunt socii Evandrum Regem, & vexilla ejus &c.*

Adversum remis: *Ut adverso flumine, contra fluxum amnis faciliùs possis navigare.*

Cadentibus astris: *Decedentibus, sub primam diei lucem.*

Hîc mihi magna Domûs. *Hîc mihi est ampla domus; fons erumpit apud altas urbes. Alia affertur, sed durior interpretatio:* Magna domus exit: *assurgit paulatim, lapsu temporis: id est, fundabitur, erigetur; & innuit Romam, fundandam circa exitum suum, & ostia.*

Æther

Dixit, deinde lacu fluvius se condidit alto
Ima petens: nox Ænean somnúsque reliquit.
Surgit, & ætherii spectans orientia Solis
Lumina, ritè cavis undam de flumine palmis
Sustulit, ac tales effudit ad æthera voces:
Nymphæ, Laurentes Nymphæ, genus amnibus unde est:
Túque ô Tybri tuo genitor cum flumine sancto,
Accipite Ænean, & tandem arcete periclis.
Quo te cumque lacus miserantem incommoda nostra
Fonte tenet, quocunque solo pulcherrimus exis;
Semper honore meo, semper celebrabere donis,
Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum:

Ad

Ætherii spectans: *Ad orientem solem conversus, ter libato flumine se lustravit.*

Genus amnibus: *Nymphæ, aquarum & fontium quorumlibet præsides; quorum ex fontium colluvie fiunt augentúrque fluvii.*

Quo te cunque: *Ubicunque te invenero, sive ex fonte nascentem, sive collectum, sive fluentem, venerabor te pro meritis tuis, & semper offeram vota.*

Corniger Hesperidum. *Rex Italicarum aquarum; ob futuram magnitudinem Reginæ urbis Romæ, quam præterfluet.* Dicitur Corniger, *quia forma Tauri à Poëtis vulgò fluviis attribuitur, vel quia fluvii aquarum pleni mugitum taurorum imitantur, vel quia flexuosos dividuntur in alveos, qui vocantur* cornua.

Propiùs

Adsis ô tantùm, & propiùs tua numina firmes.
Sic memorat: geminásque legit de classe biremes,
Remigióque aptat: socios simul instruit armis.
Ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum;
Candida per sylvam cum fœtu concolor albo
Procubuit, viridíque in littore conspicitur sus.
Quam pius Æneas, tibi enim, tibi maxima Juno,
Mactat, sacra ferens, & cum grege sistit ad aram.
Tybris eâ fluvium, quàm longa est, nocte tumentem
Leniit: & tacitâ refluens ita substitit undâ,
Mitis ut in morem stagni placidæque paludis
Sterneret æquor aquis, remo ut luctamen abesset.
Ergo iter inceptum celerant rumore secundo.
Labitur uncta vadis abies: mirantur & undæ,
Miratur nemus insuetum, fulgentia longè
Scuta virûm fluvio pictásque innare carinas.
Olli remigio noctémque diémque fatigant,
Et longos superant flexus, variísque teguntur

Ar

Propiùs: *Præsenti auxilio.* Tua numina: *Tua oracula, & promissa.*

Monstrum: *Prodigium repentinum, & admirandum visu, quod prædictum fuerat ab Heleno lib.3. & à Tyberino suprà.*

Concolor albo: *Ejusdem coloris cum suis procellis.*

Rumore secundo. *Sparso inter milites, de successu itineris bene ominantes.*

Abies: *Arbor, quæ hîc pro nave sumitur.* G. 2. 68. Uncta: *Pice oblita.*

Pictásque: *Vario & pulchro colore illitas.*

Arboribus, virideſque ſecant placido æquore ſylvas.
Sol medium cæli conſcenderat igneus orbem:
Cùm muros, arcémque procul, & rara domorum
Tecta vident, quæ nunc Romana potentia cælo
Æquavit: tum res inopes Evandrus habebat.
Ociùs advertunt proras, urbíque propinquant.
Fortè die ſolemnem illo rex Arcas honorem
Amphitryoniadæ magno Divíſque ferebat,
Ante urbem, in luco. Pallas huic filius unà,
Unà omnes juvenum primi, paupérque ſenatus,
Tura dabant: tepidúſque cruor fumabat ad aras.
Ut celſas videre rates, atque inter opacum
Allabi nemus, & tacitis incumbere remis:
Terrentur viſu ſubito, cunctíque relictis
Conſurgunt menſis: audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat, raptóque volat telo obvius ipſe,
Et procul è tumulo: Juvenes, quæ cauſa ſubegit
Ignotas tentare vias? quò tenditis, inquit.
Qui genus, unde domo? pacémne huc fertis an arma?
Tum pater Æneas puppi ſic fatur ab alta,
Paciferæque manu ramum prætendit olivæ:
Trojugenas ac tela, vides inimica Latinis,

Quos

Rara tecta: *Pauca domorum culmina.*

Cælo æquavit. *Nunc ad cælum extulit.*

Amphitryoniadæ. *Herculi.*

Senatus. *Concilium ſenum: quod deinde à Romulo & Romanis vocatum eſt* ſenatus.

Qui genus? *Qui eſtis ſecundùm genus?*

Inimica Latinis: *Nam audierat*: ut hi bellum aſſiduè ducunt cum gente Latina.

Quos

Quos illi bello profugos egêre superbo,
Evandrum petimus: ferte hæc, & dicite, lectos
Dardaniæ venisse duces, socia arma rogantes,
Obstupuit tanto perculsus nomine Pallas:
Egredere ô quicunque es, ait, corámque parentem
Alloquere, ac nostris succede penatibus hospes.
Accepítque manu, dextrámque amplexus inhæsit,
Progressi subeunt luco, fluviúmque relinquunt.
Tum regem Æneas dictis affatur amicis:
Optime Grajugenûm, cui me fortuna precari,
Et vittâ comptos voluit prætendere ramos:
Non equidem extimui, Danûm quòd ductor & Arcas;
Quódque à stirpe fores geminis conjunctus Atridis?

Quos illi: *Nos Trojugenas profugos Latini expulerunt bello feroci, & injusto.*

Evandrum petimus: *Arcadum Regem.*

Tanto nomine; *Dardaniæ scilicet commemoratione.*

Subeunt luco: *Intrant sylvam, & recedunt à fluvio.*

Optime Grajugenûm &c. *Optime Græcorum, cui fortuna me voluit supplicare, & proferre ramos tæniis ornatos.*

Atridis. *Atrei filiis, Agamemnoni, & Menelao. Cognatio hæc deducebatur ex Atlante, cujus septem filiæ fuerunt, quarum ex una & Jove Tantalus Atrei avus prognatus est; ex alia, nempe Maja, Mercurius pater Evandri.*

Sed mea me virtus, & sancta oracula Divûm,
Cognatíque patres, tua terris didita fama,
Conjunxêre tibi, & fatis egêre volentem.
Dardanus, Iliacæ primus pater urbis & auctor,
Electrâ, ut Graij perhibent, Atlantide cretus,
Advehitur Teucros: Electram maximus Atlas
Edidit, æthereos humero qui sustinet orbes,
Vobis Mercurius pater est, quem candida Maja
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.
At Majam, auditis si quicquam credimus, Atlas,
Idem Atlas generat, cæli qui sidera tollit.
Sic genus amborum scindit se sanguine ab uno.
His fretus: non legatos, neque prima per artem
Tentamenta tui pepigi: meme ipse meúmque
Objeci caput, & supplex ad limina veni.
Gens eadem, quæ te, crudeli Daunia bello
Insequitur: nos si pellant, nihil abfore credunt,
Quin omnem Hesperiam penitus sua sub juga mittant;
Et mare quod suprà, teneant, quódque alluit infrà.

Mea me virtus. *Conscientia virtutis meæ, quâ nihil mihi videbar commisisse, quod odio tuo dignum esset.*

Dardanus: *De Dardani origine. Æn. 3. De Atlante. Æn. 4. 247. De Electra & Maja, & Pleiadibus Sororibus G. 1. 138.*

Vobis Mercurius: *Vel* vobis Arcadibus; *quia natus ille in Arcadia; vel vobis Evandro & Pallanti; quia multi putant, Mercurium Evandri patrem fuisse.*

Cyllenes: *Montis in Arcadia.*

Daunia. *Rutula à Dauno rege, patre Turni.*

Et mare quod suprà: *Superum, sive Adriaticum;*

Accipe, dáque fidem: ſunt nobis fortia bello
Pectora, ſunt animi, & rebus ſpectata juventus.
Dixerat Æneas: ille os oculoſque loquentis
Jamdudum & totum luſtrabat lumine corpus.
Tunc ſic pauca refert: ut te, fortiſſime Teucrûm,
Accipio agnoſcóque libens! ut verba parentis
Et vocem Anchiſæ magni vultúmque recordor!
Nam memini Heſiones viſentem regna ſororis
Laomedontiaden Priamum, Salamina petentem,
Protinus Arcadiæ gelidos inviſere fines.
Tum mihi prima genas veſtibat flore juventa:
Mirabárque duces Teucros, mirabar & ipſum
Laomedontiaden: ſed cunctis altior ibat
Anchiſes. Mihi mens juvenili ardebat amore
Compellare virum, & dextræ conjungere dextram.
Acceſſi, & cupidus Phenei ſub mœnia duxi.
Ille mihi inſignem pharetram, Lyciáſque ſagittas

Di-

cum; ad ſeptentrionem Italiæ. Inferum, *ſive Tyrrhenum ad meridiem.*

Luſtrabat Lumine: *Luminibus, oculis.*

Nam memini: *Refert, ubi Anchiſen viderit Evander, qui Trojano bello non interfuiſſet: comitem ſcilicet Priamo, cùm ſororem Heſionem Telamoni Salaminio nuptam viſeret: inde in Arcadiam venère, ubi excepti ſunt ab Evandro in Pheneo, urbe Arcadiæ.* Heſione *Laomedontis filia, uxor Telamonis, Salaminis inſulæ regis.*

Laomedontiaden: *Priamum, Laomedontis filium.*

Phenei. *Pheneum, vel Pheneus Arcadiæ urbs & lacus, apud Cyllenem montem.*

 Sub-

Discedens, chlamydémque auro dedit intertextam,
Frænáque bina, meus quæ nunc habet aurea Pallas.
Ergo & quam petitis, juncta est mihi fœdere dextra,
Et lux cùm primùm terris se crastina reddet;
Auxilio lætos dimittam, opibusque juvabo
Intereà sacra hæc, quando huc venistis amici,
Annua, quæ differre nefas, celebrate faventes
Nobiscum, & jam nunc sociorum assuescite mensis.
Hæc ubi dicta: dapes jubet & sublata reponi
Pocula, gramineóque viros locat ipse sedili:
Præcipuúmque toro & villosi pelle leonis
Accipit Æneam, solióque invitat acerno.
Tum lecti juvenes certatim aræque sacerdos
Viscerà tosta ferunt taurorum, onerántque canistris
Dona laboratæ Cereris, Bacchumque ministrant.
Vescitur Æneas, simul & Trojana juventus,
Perpetui tergo bovis & lustralibus extis.
Postquam exempta fames, & amor compressus edendi:

Sublata pocula: *Metu navium adventantium.*

Toro: *Herbeo sedili, pelle leonis instrato.*

Solióque acerno: *Ex acere arbore, quæ species est quercûs.*

Certatim: *Studiosè.*

Perpetui tergo bovis. *Boves integri ad ignem & epulas apponi solebant apud veteres, & præcipuè viris principibus apponebatur* dorsum, *illúdque* longum, continuum, porrectum, *quod hîc* perpetuum *dicitur.* Exta lustralia; *quæ religiosè comesa*, lustrare, *id est, purgare putabantur.*

Ser-

Rex Evandrus ait: non hæc solemnia nobis,
Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram,
Vana superstitio veterúmve ignara Deorum
Imposuit: sævis, hospes Trojane, periclis
Servati facimus, meritósque novamus honores.
Jam primùm saxis suspensam hanc aspice rupem:
Disjectæ procul ut moles, desertáque montis
Stat domus, & scopuli ingentem traxêre ruinam.
Hîc spelunca fuit vasto submota recessu,
Semihominis Caci facies quam dira tenebat,
Solis inaccessam radiis: sempérque recenti
Cæde tepebat humus: foribúsque affixa superbis
Ora virûm tristi pendebant pallida tabo.
Huic monstro Vulcanus erat pater: illius atros
Ore vomens ignes, magna se mole ferebat.

Servati facimus: *Ista solemnia obimus, dum salutis adeptæ à latrone sævissimo anniversariam memoriam celebramus.*

Jamprimùm: *Considera nunc primò hanc rupem, labentem, & ruinam minitantem: lapsuræ similem.*

Recessu: *A vestigiis hominum recedens, & altè sub terra effossa.*

Semihominis Caci: *Cacus secundùm fabulas Vulcani filius fuit; ore ignem ac fumum vomens, qui vicina omnia populabatur; mediâ parte fera, mediâ homo fuisse dicitur; nihil tamen ei Virgilius affingit ex fera, præter villosum pectus, infrà V. 266. Nomen à κακὸς malus.*

Magna se mole ferebat: *Ingenti corporis magnitudine incedebat.*

Attulit & nobis aliquando optantibus ætas
Auxilium adventúmque Dei: nam maximus ultor,
Tergemini nece Geryonis spoliísque superbus,
Alcides aderat: taurósque hàc victor agebat
Ingentes: vallémque boves amnémque tenebant.
At furiis Caci mens effera, ne quid inausum
Aut intentatum scelerísve dolíve fuisset:
Quatuor à stabulis præstanti corpore tauros
Avertit, totidem forma superante juvencas,
Atque hos, nequa forent pedibus vestigia rectis;
Caudâ in speluncam tractos, versísque viarum
Indiciis raptos, saxo occultabat opaco.
Quærentem nulla ad speluncam signa ferebant.
Interea cùm jam stabulis saturata moveret
Amphitryoniades armenta, abitúmque pararet;
Discessu mugire boves, atque omne querelis
Impleri nemus, & colles clamore relinqui.
Reddidit una boum vocem, vastóque sub antro

MM

Et nobis: *Sicut antè aliis multis, quibus Hercules profuit monstra purgando.*

Geryonis. *Trigeminus & triceps à poëtis dicebatur Geryon. Vide Æn. 7.662.*

Alcides: *Nomen Herculis, ab* Alceo *Amphitryonis patre.*

Taurósque: *Quos Geryone necato ab Hispania victor abducebat.*

Furiis Caci. *Alii legunt* Furis Caci.

Avertit: *Abegit.*

Amphitryoniades. *Hercules.*

Custo-

Mugiit, & Caci spem custodita fefellit.
Hic verò Alcidæ furiis exarserat atro
Felle dolor: rapit arma manu, nodísque gravatum
Robur, & aërii cursu petit ardua montis.
Tum primùm nostri Cacum vidêre timentem,
Turbatúmque oculis. Fugit ilicet ocior Euro,
Speluncámque petit: pedibus timor addidit alas.
Ut sese inclusit; ruptísque immani catenis
Dejecit saxum, ferro quod & arte paterna
Pendebat; fultósque emuniit obice postes:
Ecce furens animis aderat Tirynthius, omnémque
Accessum lustrans, huc ora ferebat & illuc,
Dentibus infrendens. Ter totum fervidus irâ
Lustrat Aventini montem; ter saxea tentat

Custodita fefellit: *Inclusa frustravit spem Caci.*

Atro felle dolor: *Felle, pro bile: in qua videtur Poëta iracundiam ponere.*

Robur: *Nodosam clavam.*

Ferro quod: *Quod ferreis catenis libratum arte Vulcania obstrueret aditum antri.*

Tirynthius: *Hercules, à Tirynthia, ubi natus est, civitate.*

Lustrat: *Obit, circuit, quærens aditum, quo possit in speluncam irrumpere.* Aventini: *Unus è septem collibus, qui posteà Romanis mœnibus inclusi fuerunt, in quo tunc Cacus habitabat.*

Limina nequicquam; ter fessus valle resedit.
Stabat acuta silex, præcisis undique saxis,
Speluncæ dorso insurgens, altissima visu,
Dirarum nidis domus opportuna volucrum.
Hanc, ut prona jugo lævum incumbebat ad amnem,
Dexter in adversum nitens concussit, & imis
Avulsam solvit radicibus: inde repentè
Impulit, impulsu quo maximus insonat æther:
Dissultant ripæ, refluítque exterritus amnis.
At specus, & Caci detecta apparuit ingens
Regia, & umbrosæ penitùs patuêre cavernæ.
Non secùs ac si quà penitùs vi terra dehiscens
Infernas reseret sedes, & regna recludat
Pallida, Diis invisa: superque immane barathrum
Cernatur, trepidéntque immisso lumine Manes.
Ergo insperata deprensum in luce repentè,
Inclusúmque cavo saxo, atque insueta rudentem,
Desuper Alcides telis premit, omniáque arma
Advocat, & ramis vastísque molaribus instat.

Ille

Dirarum volucrum. *Bubonum, corvorum &c.*
Lævum. *Aventinus, nunc monte* di S. Sabina, *Tyberim habet ad occidentem, quam Virgilius sinistram montis partem appellat. Hercules igitur stabat ad orientem illius rupis, quæ erat in monte: Siquidem* dexter in adversum.

Ingens regia: *Aula Caci; sicut & de Æolo:* Illa se jactet in aula Æolus.
Telis: *Omne, quod jaci potest, telum vocatur.*
Molaribus: *Saxis grandibus, quæ molarium instar essent.*

Fuga

Ille autem (neque enim fuga jam ſuper ulla pericli eſt)
Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,
Evomit: involvítque domum caligine cæca,
Proſpectum eripiens oculis: glomerátque ſub antro
Fumiferam noctem, commixtis igne tenebris.
Non tulit Alcides animis: séque ipſe per ignem
Præcipiti jecit ſaltu, quà plurimus undam
Fumus agit, nebuláque ingens ſpecus æſtuat atrâ.
Hîc Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Corripit, in nodum complexus; & angit inhærens
Eliſos oculos, & ſiccum ſanguine guttur.
Panditur extemplo foribus domus atra revulſis:
Abſtractæque boves, abjuratæque rapinæ
Cælo oſtenduntur: pedibúſque informe cadaver
Protrahitur: nequeunt expleri corda tuendo
Terribiles oculos, vultum, villoſáque ſetis
Pectora ſemiferi, atque extinctos faucibus ignes.
Ex illo celebratus honos, lætique minores
Servavére diem, primúſque Potitius auctor;

Fuga jam ſuper: *Nullum enim jam reſtat effugium periculi.*

Undam fumus agit. *Vaporem in modum undæ erumpentem.*

Corripit in nodum: *Conſtrictum tenet.*

Abjuratæque rapinæ: *Obſtinatè abnegatæ. Abjurare enim eſt rem negare perjurio.*

Ex illo: *Ex illo tempore, vel die celebratus eſt dies ille, & ſolennis factus in honorem Herculis.* Minores. *Poſteri.*

Potitius. *Teſtatur Livius l. 1. poſt cædem Caci, adhibitos ad miniſterium dapémque Potitios ac Pinarios,*

Et domus Herculei custos Pinaria sacri,
Hanc aram luco statuit: quæ maxima semper
Dicetur nobis, & erit quæ maxima semper,
Quare agite, ô juvenes, tantarum in munere laudum,
Cingite fronde comas, & pocula porgite dextris:
Communémque vocate Deum, & date vina volentes.
Dixerat, Herculeâ bicolor cùm populus umbrâ
Velavítque comas, foliísque innexa pependit:,
Et sacer implevit dextram scyphus. Ocyùs omnes
In mensam læti libant, Divósque precantur.

rios, quæ tum familiæ maximè inclytæ ea loca incolebant.

Custos Sacri: *Ministra hujus sacri erat familia Pinaria.*

In munere laudum: *In remuneratione & celebratione tantæ virtutis.*

Communem Deum. *Dii communes vocantur, qui coluntur ab omnibus populis propter communem utilitatem: sic Mars propter bellum, Mercurius propter artes, Hercules propter debellata ubique monstra.*

Volentes: *Ex animo, promptè.*

Bicolor populus: *Arbor viridis, & pallida, Herculi sacra. Ex hac Hercules ad inferos descendens, & nunc Evander in sacris Herculeis suo capiti coronam adaptavit.*

In mensam libant. *De patera vinum modicum in mensam effundunt religionis causâ.*

De-

Devexo intereà propior fit vesper Olympo:
Jámque sacerdotes, primúsque Potitius, ibant
Pellibus in morem cincti, flammásque ferebant,
Instaurant epulas, & mensæ grata secundæ
Dona ferunt, cumulántque oneratis lancibus aras.
Tum Salii ad cantus incensa altaria circum,
Populeis adsunt evincti tempora ramis.
Hic juvenum chorus; ille senum: qui carmine laudes
Herculeas & facta ferunt: ut prima novercæ

Mon-

Devexo Olympo: *Inclinante in noctem cælo.*

Pellibus in morem cincti: *Vel in morem pastoritiæ vitæ, & Panos Arcadum Dei: vel potiùs in morem Herculis, qui leonis pelle indutus erat.*

Mensæ secundæ: *De secundis mensis, ubi poma, bellaria, melleæ placentæ &c. inferebantur, Æn. 1. 727.*

Salii. *Primò instituti à Numa, duodecim numero è patriciorum genere, duplicati deinde à Tullo Hostilio: armati saltabant ad tibiæ modulos: concussis hastâ brevibus scutis, quæ ancilia vocabant. Nomen à saliendo.*

Populeis ramis: *Coronati & ipsi foliis & ramis ex arbore populo.*

Prima novercæ monstra. *Hercules Jovis filius & Alcmenæ, quæ Amphitryonis Thebani uxor erat, Junonis novercæ odio multis laboribus expositus est: præcipui ejus labores hîc recensentur. Ac primò quidem, quòd cùm esset in cunis, immissos à Junone angues duos eliserit.*

Tro-

Monstra manu, geminósque premens eliserit angues:
Ut bello egregias idem disjecerit urbes,
Trojámque Oechaliámque: ut duros mille labores
Rege sub Eurystheo, fatis Junonis iniquæ,
Pertulerit. Tu nubigenas, invicte bimembres,
Hylæúmque, Pholúmque, manu: tu Cressia mactas

Trojámque, Oechaliámque. *Hercules Trojam cepit sub Laomedonte, ob negatam sibi mercedem liberatæ à ceto Hesiones, cúmque Eurytus Oechaliæ rex in Thessalia Jolen filiam ipsi promisisset uxorem, & postea denegásset, urbem diruit.*

Rege sub Eurystheo: *Antequam nati essent Hercules & Eurystheus Mycenarum rex; cùm esset in fatis, hunc alteri serviturum, qui posterior natus esset, effecit Juno, ut Hercules posterior nasceretur: quare subditus Eurystheo, ab eodem ad laboriosissimas expeditiones missus est.*

Nubigenas bimembres. *Cùm hospitio exceptus esset à Pholo Centauro, & Centauri alii ad vini Herculi appositi odorem hostiliter incurrissent, dicitur eos sagittis confixisse.* Bimembres *fingebantur Centauri, superiore parte humana; inferiore equinà.* Nubigenæ, *quia Nube & Ixione geniti.*

Hylæúmque, Pholúmque: *Nomina Centaurorum.*

Cressia prodigia &c. *Taurum apros Cretensium populantem non occidit quidem, sed ad Eurystheum adduxit. Hunc ajunt quidam immissum à Neptuno, quem Minos Cretæ rex offenderat. Alii Taurum fuisse, qui Euro-*

Prodigia, & vastum Nemeæ sub rupe leonem.
Te Stygii tremuêre lacus: te janitor Orci,
Ossa super recubans antro semesa cruento.
Nec te ullæ facies, non terruit ipse Typhoëus,
Arduus, arma tenens: non te rationis egentem
Lernæus turbâ capitum circumstetit anguis.

* Salve

Europam Minois matrem in Cretam transtulerat; alii Taurum, cujus amore insanierat Pasiphaë Minöis uxor.

Nemeæ leonem. *Leonem in sylva Nemea, cùm neque sagittis, neque impactâ clavâ, occidere posset, unguibus apprehensum dissecuit: ejúsque pellem, quòd non esset ferro penetrabilis, in vestem sibi assumpsit.*

Janitor Orci. *Per Tænari promontorii antrum ingressus ad inferos, Cerberum canem, ad Plutonis solium metu fugientem, inde pertraxit ad Eurystheum, & reducere jussus est.*

Typhoëus. *Diis magno præsidio fuit contra gigantes, cælum aggressos: quorum inter præcipuos fuit Typhoëus.*

Non te rationis egentem: *Non exanimatum aut confusum te sensit Hydra multiplex.*

Lernæus &c. *Hydram serpentem in Lerna palude degentem capitibus 7. aut juxta alios 50. terribilem, quorum quoties unum abscissum erat, toties alia duplicato numero pullulabant, admoto ad singula vulnera igni, tandem interfecit.*

Circumstetit: *Id est, non te consternavit, cùm multis te capitibus circumcingeret.*

Salve

Salve, verà Jovis proles, decus addite Divis:
Et nos, & tua dexter adi pede sacra secundo.
Talia carminibus celebrant: super omnia Caci
Speluncam adjiciunt, spirantémque ignibus ipsum.
Consonat omne nemus strepitu, collésque resultant.
Exin se cuncti divinis rebus ad urbem
Perfectis referunt. Ibat rex obsitus ævo:
Et comitem Æneam juxtà, natúmque tenebat
Ingrediens, varióque viam sermone levabat.
Miratur, facilésque oculos fert omnia circùm
Æneas, capitúrque locis. & singula lætus
Exquirítque audítque virûm monimenta priorum.
Tum rex Evandrus, Romanæ conditor arcis:
Hæc nemora indigenæ Fauni, Nymphæque tenebant,

Salve: *Sis felix.* Dexter: *Propitius, favens.* Pede secundo. *Omine prospero.*

Super omnia Caci: *Factum in necando Caco laudant ultra omnia.* Spirantem ignibus. *Flammas exhalantem Cacum.*

Obsitus ævo: *Annis confectus, senio obrutus.*

Romanæ conditor arcis. *Conditor oppiduli in monte Palatino, ut diximus v. 51. cujus in ruinis Romulus deinde prima Romanæ urbis initia constituit.*

Hæc nemora: *Aborigines Fauni, homines rudes & bruti sub dio agebant, quibus Nymphæ suæ fœtum sub ilicibus, aut fagis fuderunt; mox & cavas arbores habitârunt, unde nasci dicebantur.*

Fauni Nymphæque. *De Faunis Ecl. 6. 27.*

Nym-

Gensque virûm, truncis & duro robore nata:
Queîs neque mos, neque cultus erat: nec jungere tauros,
Aut componere opes nôrant, aut parcere parto;
Sed rami, atque asper victu venatus alebat.
Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens & regnis exul ademptis.
Is genus indocile ac dispersum montibus altis
Composuit, legésque dedit: Latiúmque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.

Aa-

Nymphæ, *Nympha quasi νέα φαίνεσα* nova apparens, *& significat tum* novam nuptam: *tum fœminea illa numina, quæ non immortalia quidem, sed longissimi, & penè innumerabilis ævi putabantur: præerant autem aquis fluvialibus, & marinis, & montibus & sylvis.*

Robore nata. *Cùm enim in cavis arborum truncis primò habitarent, inde nati putabantur.*

Parcere parto: *Non sciebant moderatè uti rebus partis, nec inventa servare.*

Primus ab &c. *Saturnus Cretensis rex monente oraculo, ut à Jove filio sibi caveret, cùm eidem strueret insidias, occupatus à filio, & è regno ejectus, navi in Italiam venit; ibique exceptus à Jano antiquissimo rege, populos cum eo composuit legibus: unde propter morum castitatem è cælo venisse creditus est, & aureum nomen suo sæculo fecit.* Latium *Italiam appellavit, quòd in ea contra filii insidias latuisset.*

Maluit: *Nam & Saturnia dicta est & Italia.*

Aurea, quæ perhibent, illo sub rege fuerunt
Secula; sic placida populos in pace regebat,
Deterior donec paulatim ac decolor ætas,
Et belli rabies, & amor successit habendi.
Tum manus Ausonia, & gentes venêre Sicanæ:
Sæpiùs & nomen posuit Saturnia tellus.
Tum reges, aspérque immani corpore Tybris:
A quo pòst Itali fluvium cognomine Tybrim
Diximus: amisit verum vetus Albula nomen.
Me pulsum patriâ, pelagique extrema sequentem,
Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum
His posuère locis: matrísque egêre tremenda
Carmentis Nymphæ monita, & Deus auctor Apollo.
Vix ea dicta: dehinc progressus, monstrat & aram,
Et Carmentalem Romano nomine portam:

Quam

Decolor ætas: *Argentea, ab aureo colore deficiens, tum ærea, & ferrea. G. 1. 125.*

Tybris. *Rex Tuscorum, qui occisus juxta fluvium Albulam, huic nomen reliquit suum.*

Albula: *Ita vocabatur priùs ab albo colore aquæ, dein Tybris, & Tuscus amnis.*

Fortuna: *Causas reddit, quibus impulsus in Italiam venerit; seditione pulsus; iniquitate fortunæ, necessitate fatali, & monitis matris fatidicæ Carmentis, atque adeò etiam ipsius Apollinis jussu.*

Carmentis &c. *Seu* Carmentæ, *matris Evandri, quæ Græcis dicta Themis, aut Nicostrata.* Carmenta *ideò dicta, quia futura* carmine *evulgabat.*

Aram, & Carmentalem &c. *Vel aram Herculis suprà v. 271, vel aram ipsius Carmentæ juxta* Carmen-

men-

Quam memorant Nymphæ priſcum Carmentis honorem,
Vatis fatidicæ: cecinit quæ prima futuros
Æneadas magnos, & nobile Pallanteum.
Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer aſylum
Rettulit, & gelida monſtrat ſub rupe Lupercal,

Par-

mentalem *portam*, *ſub Capitolino monte.* *Nomen hoc* Carmenta *Latinum eſt.*

Memorant : *Ajunt*, *Nymphæ Carmentis*, *Vatis fatidicæ*, *priſcum honorem eam eſſe aram*, *vel portam*; *& ipſa prima prædixit*, *Romanos illuſtres evaſuros*, *& Pallanteum celebre fore.* Pallanteum, *Palatium Romani imperii ſedes*, *de quo v.* 51.

Aſylum. *Locum à Romulo conſtitutum inter querceta duo*, *Capitolinúmque & Palatinum montem, quò quicunque confugerent e vicinis urbibus*, *ſalvi ac ſecuri eſſent : qua arte novam urbem ſuam frequentem effecit.* *De Aſylo Æn.* 2. 761.

Rettulit. *Quem lucum Romulus retulit in aſylum*, *locum refugii.*

Lupercal. *Locum in Palatino monte*, *ubi Arcades Evandro auctore templum extruxerant Pani Arcadiæ Deo. Illic quotannis ludicrum celebrabatur*, *juvenibus paſſim diſcurrentibus nudis*, *cum ſcuticis è caprina pelle*, *quibus obvios quosque cædebant.* Luperci *ipſi dicebantur* ; Lupercal *nomen deductum à* Lupa *ſeu* Lycæo *monte Arcadiæ*, *ubi Pan colebatur*; *eſt enim* λύκος lupus. *Unde quidam Romulum putant bujus lu-*

Parrhaſio dictum Panos de more Lycæi,
Necnon & ſacri monſtrat nemus Argileti:
Teſtatúrque locum, & letum docet hoſpitis Argi.
Hinc ad Tarpejam ſedem & Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim ſylveſtribus horrida dumis.

Jam

di auctorem eſſe, quòd eo in loco à lupa *nutritus fuiſſet.*

Parrhaſio: *Parrhaſia dicta eſt Arcadia, ab Arcadiæ rege, & oppido ejus nominis, cujus conditor fuit Parrhaſus Lycaonis filius: Senſus: Monſtrat Lupercal, ſeu templum Panos Lycæi, ita dictum more & ritu Arcadico.*

Nemus Argileti, *Locum pariter inter Aventinum & Capitolinum montem, circa forum boarium, quæ pars erat Argei campi. Nomen vel ab argilloſa hujus loci terra, vel ab Argo; quem ajunt, cùm Evandri hoſpes eſſet, ob affectati regni ſuſpicionem ab Arcadibus fuiſſe occiſum, inſcio Evandro, qui eum hoc loco ſepultum præcipuis honoribus effecerit. Quare* teſtatur locum *Evander, id eſt locum atteſtatur, & quaſi adjurat, ſe violati hoſpitii reum non eſſe, & narrat mortem hoſpitis Argi.*

Tarpejam &c. *Montem dictum primò* Saturnium *ob Saturniam urbem in eo conditam à Jano ad memoriam ſuæ cum Saturno ſocietatis: deinde appellatum* Tarpeium: *denique* Capitolinum, *ab humano capite ibidem invento, cùm templi fundamenta Tarquinius Priſcus jaceret.*

Re-

Jam tum relligio pavidos terrebat agrestes
Dira loci: jam tum sylvam saxúmque tremebant,
Hoc nemus, hunc inquit, frondoso vertice collem,
(Quis Deus, incertum est,) habitat Deus. Arcades ipsum
Credunt se vidisse Jovem: cùm sæpè nigrantem
Ægida concuteret dextrâ, nimbósque cieret.
Hæc duo prætereà disjectis oppida muris,
Relliquias, veterúmque vides monimenta virorum.
Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit urbem:
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.
Talibus inter se dictis ad tecta subibant,
Pauperis Evandri: passimque armenta videbant

Ro-

Relligio dira: *Religio sæpissimè est sacer horror.* **Saxúmque**: *Capitolium.*

Hoc nemus: *Nam tunc ædificia non erant.* Hunc collem: *Rupem Tarpejam.*

Ægida. *Clypeum Jupiter sibi finxisse dicitur ex pelle Amalthee Capræ, nutricis suæ. Est autem αἴξ, capra.* Nigrantem: *Quæ agis concussa nigras movet tempestates, & pluvias;*

Disjectis oppida muris: *Unum Jani, aliud Saturni, jam tunc vetusta.*

Janiculum &c. Saturnia &c. *Montes Tybri interfluente discreti:* Janiculum *quidem ad occidentalem ripam;* Saturnius *sive* Capitolinus *ad Orientalem. In utroque gemina olim urbs fuerat.*

Romanóque foro & lautis mugire Carinis.
Ut ventum ad ſedes: hæc, inquit, limina victor
Alcides ſubiit: hæc illum regia cepit.
Aude, hoſpes, contemnere opes, & te quoque dignum
Finge Deo, rebúſque veni non aſper egenis.
Dixit, & anguſti ſubter faſtigia tecti
Ingentem Æneam duxit: ſtratíſque locavit,
Effultum foliis & pelle Libyſtidis urſæ.
Nox ruit, & fuſcis tellurem amplectitur alis.
At Venus haud animo nequicquam exterrita mater,
Laurentúmque minis & duro mota tumultu,

Vul-

Romanóque foro &c. *Deflexo ad orientem itinere, inter Capitolinum & Aventinum: Spatium inviſunt illud, ubi deinceps fuit* forum maximum Romanum, *civilibus negotiis tractandis conſtitutum. Forum hoc attingebat locum, qui* Carinæ *deinde dictus;* Carinæ lautæ *ob magnificentiam, & lautitiam ædificiorum, in quibus domus fuit Pompeii. Nominis ratio non affertur alia tolerabilis, niſi quòd locus in modum* carinæ *curvus ac longus eſſet. Tempore verò Evandri in illo loco paſſim ſpectabantur armenta; poſteà primum factum eſt forum Romanum, &* Lautæ, *ſive magnificæ Carinæ dictæ.*

Dignum finge Deo: *Oſtende, te quoque Deo parem, & veni non offenſus rerum inopiâ.*

Non aſper: *Non aſpernator.*

Effultum foliis: *In lecto è foliis confecto, & pelle urſæ Libycæ. Vide Æn. 5. v. 37.*

Haud nequicquam: *Non fruſtra territa.*

Dum

Vulcanum alloquitur: thalamóque hæc conjugis aureo
Incipit, & dictis divinum aspirat amorem:
Dum bello Argolici vastabant Pergama reges
Debita, casurásque inimicis ignibus arces;
Non ullum auxilium miseris, non arma rogavi
Artis opísque tuæ: nec te, carissime conjux,
Incassúmve tuos volui exercere labores,
Quamvis & Priami deberem plurima natis,
Et durum Æneæ flevissem sæpè laborem.
Nunc, Jovis imperiis, Rutulorum constitit oris:
Ergo eadem supplex venio, & sanctum mihi numen
Arma rogo, genitrix nato. Te filia Nerei,
Te potuit lachrymis Tithonia flectere conjux.
Aspice qui coëant populi, quæ mœnia clausis
Ferrum acuant portis, in me excidiúmque meorum.
Dixerat, & niveis hinc atque hinc Diva lacertis
Cunctantem amplexu molli fovet: ille repentè
Accepit solitam flammam, notúsque medullas
Intravit calor, & labefacta per ossa cucurrit:

Non

Dum bello Argolici: *Dum reges Græci evertebant armis Trojam, nunquam tibi molesta fui. Nam* Pergama, *seu Troja, erat fatis debita, & arces illæ necessariò erant excindendæ inimicis ignibus.*

Priami natis. *Paridi, à quo pulchritudinis præmium tulerat, pomum aureum.*

Filia Nerei. *Thetis, quæ pro filio Achille arma à Vulcano impetravit.*

Tithonia. *Aurora, Tithoni uxor pro Memnone filio ad Trojanum bellum proficiscente pariter obtinuit arma à Vulcano.*

Non secùs atque olim tonitru cùm rupta corusco
Ignea rima micans percurrit lumine nimbos,
Sensit læta dolis, & formæ conscia conjux.
Tum pater æterno fatur devinctus amore:
Quid caussas petis ex alto? fiducia cessit
Quo tibi, Diva, mei? similis si cura fuisset,
Tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset.
Nec pater omnipotens Trojam, nec fata vetabant
Stare, decémque alios Priamum superesse per annos.
Et nunc, si bellare paras, atque hæc tibi mens est:
Quidquid in arte mea possum promittere curæ,
Quod fieri ferro, liquidóve potest electro,
Quantum ignes animæque valent: absiste, precando,
Viribus indubitare tuis. Ea verba locutus,

Non secùs: *Comparatione ostendit, quo pacto calor amoris per ossa Vulcani serpserit, ídque repentè, ut fulmen, quod veluti rima micans, perrumpit* Nimbos, *id est, nubes.*

Sensit: *Advertit hoc Venus, & gaudet successisse dolum artificiosæ orationis ad impetrandum, quod volebat, sciens se pulchritudine sua traxisse mentem mariti.*

Tum pater: *Vulcanus.* Ex alto: *E longinquo, & longa circuitione verborum, ab ovo quasi Trojani belli, ab exemplis.*

Ferro, liquidóve electro: *Electrum hîc non intelligitur succinum, ut Ecl. 8. sed factitium; cùm auro admiscetur quinta argenti portio ad duritiem metalli;* ideò liquido, *liquefacto. Et elegans est, simul ac firmum.*

Indubitare. *Dubitare. Et hîc auget particula* in, ut

Optatos dedit amplexus: placidúmque petivit
Conjugis infuſus gremio per membra ſoporem.
Inde, ubi prima quies, medio jam noctis abactæ
Curriculo, expulerat ſomnum: cùm fœmina, primum
Cui tolerare colo vitam tenuíque Minervâ,
Impoſitum cinerem & ſopitos ſuſcitat ignes,
Noctem addens operi, famulásque ad lumina longo
Exercet penſo; caſtum ut ſervare cubile
Conjugis, & poſſit parvos educere natos.
Haud ſecus ignipotens, nec tempore ſegnior illo,
Mollibus è ſtratis opera ad fabrilia ſurgit.

In-

at in voce infractus, incanus, *pro* fractus, canus.

Cùm fœmina: *Illo tempore, quo ſedulæ fœminæ, ſtudioſæ vitam ſuſtentandi colo, & lanificio, ſurgunt, & excitant ignem, adjicientes noctem labori, & occupantes ad lucernam eas, quas habent famulas &c.* Haud ſecùs; *ſic Vulcanus, non ſegnior è molli lecto ſurgit ad laborem fabrilem.*

Tolerare vitam: *Cui fœminæ* primum *ac præcipuum eſt, parco victu & labore ſe ſuſtentare. Tenuis Minerva, eſt opus lanificii, cui arti præeſt Minerva.*

Impoſitum cinerem: *Ignem coopertum cineribus excitat, & noctu adhuc famulas occupat ad lucernam, ut penſum faciant.*

Caſtum ut ſervare cubile &c. *Ut otia vitet, infeſta pudicitiæ.*

Infula Sicanium juxta latus Æoliámque
Erigitur Liparen, fumantibus ardua faxis:
Quam fubter fpecus & Cyclopum exefa caminis
Antra Ætnea tonant, validique incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, ftridúntque cavernis
Stricturæ Chalybum, & fornacibus ignis anhelat:
Vulcani domus, & Vulcania nomine tellus.
Huc tunc ignipotens cælo defcendit ab alto.
Ferrum exercebant vafto Cyclopes in antro,
Brontéfque, Steropéfque, & nudus membra Pyracmon.

His

Infula Sicanium &c. *Ad Latus Siciliæ funt Infulæ,* Æoliæ *feu* Vulcaniæ *dictæ: maxima earum* Lipara, *bodie* Lipari; *inter quam & Siciliam eft* Hiera, *id eft*, facra, *quia Vulcano dicata, unde bodiéque dicitur* Bolcano, *quam hîc defcribit Virgilius. Ex hac præcipuè ignes erumpunt, quod inde fit, ut ait Solinus*, quia ipfæ infulæ naturâ foli igneâ, per occulta commercia, aut mutuantur Ætnæ incendia, aut fubminiftrant. *Totum enim illud Italiæ inferioris & Siciliæ folum, fubterraneis montibus cavum, & fulfure incenfum eft.*

Stricturæ Chalybum. Strictura, *ferrum, ut è fodinis extrahitur, in maffas quafi terreas conftrictum ac ftipatum.* Chalybes *populi, vel Ponti vel Hifpaniæ, ferrariis fodinis & operibus infignes.*

Brontéfque &c. *Nomina Cyclopum.*

His

His informatum manibus jam parte polita
Fulmen erat, toto genitor quæ plurima cælo
Dejicit in terras, pars imperfecta manebat.
Tres imbris torti radios, tres nubis aquosæ
Addiderant, rutili tres ignis & alitis Austri
Fulgores nunc terrificos, sonitúmque, metúmque
Miscebant operi, flammísque sequacibus iras.
Parte alia Marti currúmque rotásque volucres
Instabant, quibus ille viros, quibus excitat urbes:
Ægidáque horrificam, turbatæ Palladis arma,

Cer-

His informatum: *Erat illis inter manus fulmen inchoatum, ex his, quæ Jupiter pater multa torquet è cælo.* Informare *est primam dare formam, adhuc rudem, designatam, sed nondum planè perfectam.*

Tres imbris torti radios &c. *Fulmina in antiquis marmoribus duodecim radiis effinguntur, in circulum dispositis, non rectis illis quidem, sed varios in angulos inflexis, qui trifidam in cuspidem singuli desinunt. Talis est forma Virgiliani hujus fulminis. Solent autem torqueri fulmina vel* grandinante cœlo, *vel* ruentibus magnis pluviis, *vel* aëre fulguribus æstuante; *vel* ventis flantibus; *quæ omnia hîc denotat Poëta.*

Instabant: *Intentâ operâ fabricabant.*

Ægidáque. *Ægida horriferam, seu clypeum Palladis, de quo suprà v. 354 aureis squamis serpentum certatim polibant. Gorgonis, id est, Medusæ caput anguiferum in anteriore loricæ parte ad pectus fabricabant. Fuit autem clypeus hic Palladis squamoso corio serpentis ex auro tectus; ipsum verò Gorgonis, id est, Medusæ,*

caput

Certatim squamis serpentum auróque polibant;
Connexósque angues, ipsámque in pectore Divæ
Gorgona, desecto vertentem lumina collo.
Tollite cuncta, inquit, cæptósque auferte labores,
Ætnei Cyclopes, & huc advertite mentem.
Arma acri facienda viro, nunc viribus usus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra:
Præcipitate moras. Nec plura effatus; at illi
Ociùs incubuêre omnes, pariterque laborem
Sortiti: fluit æs rivis, aurúmque metallum:
Vulnificúsque chalybs vastâ fornace liquescit.
Ingentem clypeum informant, unum omnia contra
Tela Latinorum; septenósque orbibus orbes
Impediunt: alii ventosis follibus auras
Accipiunt, reddúntque: alii stridentia tingunt
Æra lacu: gemit impositis incudibus antrum.
Illi inter sese multâ vi brachia tollunt
In numerum, versántque tenaci forcipe massam.

Hæc

caput anguiferum non in clypeo ut aliàs, sed in anteriore loricæ parte ad pectus affixum. Turbatæ Palladis: *Iratæ, & turbidis oculis torvùm tuentis.*

Fluit æs rivis: *Æs conflatum liquitur ad modum fluentis aquæ.*

Chalyps. *Genus ferri densissimi, ac durissimi, à populis hujus nominis, de quibus suprà, v. 421.*

Orbibus orbes: *Septem textus rotundos textibus implicant, & veluti septem scuta facta in unitatem connectunt.*

In numerum. *Eo ordine, qui numerosum quendam ictuum concentum referat.*

Pa-

Hæc pater Æoliis properat dum Lemnius oris,
Evandrum ex humili tecto lux suscitat alma,
Et matutini volucrum sub culmina cantus.
Consurgit senior, tunicâque inducitur artus,
Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plandis:
Tum lateri atque humeris Tegeæum subligat ensem,
Demissa ab lævâ pantheræ terga retorquens.
Nec non & gemini custodes limine ab alto
Procedunt, gressúmque canes comitantur herilem.
Hospitis Æneæ sedem & secreta petebat,
Sermonum memor & promissi muneris heros.

Pater Lemnius. *Vulcanus : qui à Junone matre propter deformitatem, è cælo dejectus est in insulam Lemnum, nunc* Stalimene *in Ægeo mari : ubi à Græcis dictus est officinam suam exercere, ob frequentia ibidem fulmina.*

Sub culmina : *Sub tectis ; nempe hirundines, galli &c.*

Tyrrhena pedum vincula. *Calceamenta Tyrrheno more : quorum solea lignea erat, quatuor digitorum latitudine, lora autem inaurata. Et notandum, calceamenta veterum, ut ex antiquis statuis constat, ferè soleas fuisse, non latis integumentis desuper ; sed vinculis tantùm lorísque aptas pedibus :* Tyrrheni, *vicini erant Evandro populi.*

Tegeæum ensem. *Arcadicum*, à Tegea *urbe Arcadiæ, ubi Pan colebatur.*

Demissa ab læva : *A sinistro humero pellem demissam habuit, quam retorquens & in dextram revocans partem se amiciebat.* Panthera, *fera est maculosa pelle, cujus mas est* Pardus.

Se

Nec minùs Æneas ſe matutinus agebat.
Filius huic Pallas, olli comes ibat Achates.
Congreſſi jungunt dextras, mediiſque reſidunt
Ædibus, & licito tandem ſermone fruuntur.
Rex prior hæc:
Maxime Teucrorum ductor, quo ſoſpite nunquam
Res equidem Trojæ victas aut regna fatebor;
Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
Exiguæ vires: hinc Tuſco claudimur amni;
Hinc Rutulus premit, & murum circumſonat armis.
Sed tibi ego ingentes populos, opulentáque regnis
Jungere caſtra paro, quam fors inopina ſalutem
Oſtentat; fatis huc te poſcentibus affers.
Haud procul hinc ſaxo colitur fundata vetuſto
Urbis Agyllinæ ſedes: ubi Lydia quondam

Se matutinus agebat: *Rem temporis ad perſonam tranſtulit. Etiam Æneas ſummo mane experrectus ferebat ſe ad eum.* Filius huic, *Evandro*: Olli, *Æneæ.*

Licito ſermone: *Dato ſecreto & remotis arbitris utuntur libere colloquio.* Tandem, *Quia amborum deſiderio nox fecerat moram.*

Pro nomine tanto. *Pro dignitate Trojani nominis: pro tanta cauſa, id eſt, tanto bello*: Nomen *enim ſæpe pro cauſa ſumitur.*

Quam fors inopina: *Hoc beneficium caſus præſtat; quoniam eo tempore quæris auxilium, quo Tyrrheni ducem requirunt.*

Saxo vetuſto: *Antiquo opere.*

Urbis Agyllinæ &c. *Agyllina urbs erat Etruriæ, à Lydis dicta deinde* Cære, *hodie* Cerveteri. *Ajunt Etru-*

Gens, bello præclara, jugis insedit Etruscis.
Hanc multos florentem annos rex deinde superbo
Imperio & sævis tenuit Mezentius armis.
Quid memorem infandas cædes? quid facta tyranni
Effera? Dii capiti ipsius generíque reservent!
Mortua, quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibúsque manus atque oribus ora,
Tormenti genus! & sanie tabóque fluentes
Complexu in misero, longa sic morte necabat.
At fessi tandem cives, infanda furentem
Armati circumsistunt, ipsúmque, domúmque:
Obtruncant socios, ignem ad fastigia jactant.
Ille inter cædes, Rutulorum elapsus in agros
Confugere, & Turni defendier hospitis armis.
Ergo omnis furiis surrexit Etruria justis,
Regem ad supplicium præsenti Marte reposcunt.
His ego te, Ænea, ductorem millibus addam:
Toto námque fremunt condensæ littore puppes,
Signáque ferre jubent. Retinet longævus aruspex,

Fa-

Etruscos, eam Italiæ regionem, quæ est ad occidentem Tybris, incoluisse; hinc à Pelasgis bello petitos; qui post Agyllinam ibi conditam à Tyrrhenis e Lydia profectis expulsi sunt. Hi sive Etrusci, sive Tyrrheni, etiam Tusci vocati sunt, à θύω sacrifico: ob religionis cæremonias, quæ apud eos vigebant, inprimis in urbe Cære, *quam vocat Livius l.* 7. sacrarium populi Romani, diversorium sacerdotum, ac receptaculum sacrorum: *ab hac religiones deinde dictæ sunt* cæremoniæ.

Defendier. *Defendi; id est, defendebatur.*

Aruspex. *Qui exta* conspicit arvigæ, *vel* arugæ: *est autem* arviga, hostia, *ab* ἄρνχα *aries.*

O

Fata canens: ô Mæoniæ delecta juventus,
Flos veterum virtúsque virûm: quos justus in hostem
Fert dolor, & meritâ accendit Mezentius irâ:
Nulli fas Italo tantam subjungere gentem:
Externos optate duces. Tum Etrusca resedit
Hoc acies campo, monitis exterrita Divûm.
Ipse oratores ad me regníque coronam
Cum sceptro misit, mandátque insignia Tarchon
Succedam castris, Tyrrhenáque regna capessam.
Sed mihi tarda gelu, seclisque effœta senectus
Invidet imperium, seræque ad fortia vires.
Gnatum exhortarer, nî mixtus matre Sabella
Hinc partem patriæ traheret. Tu, cujus & annis
Et generi fatum indulget, quem numina poscunt:
Ingredere, ô Teucrûm atque Italûm fortissime ductor.

Hunc

O Mæoniæ. *Lydiæ. Vide Æn. 4. 216. Alloquitur eos aruspex, & hæc oracula edicit.*

Tum Etrusca resedit: *Postquam audivit hoc responsum aruspicis exercitus Tyrrhenus, oraculo Deorum territus, in agris constitit.*

Tarchon: *Princeps Hetruscorum legatos ad me misit, qui regni insignia mihi deferrent.* Mandat insignia; *ita dicimus: mandari magistratum.*

Gnatum exhortarer: *Impellerem ad id filium Pallantem, nisi originem traheret à matre* Sabella, *id est* Sabini, *vel* Samnitici *generis, quæ gens Italiæ indigena per oraculum excludebatur.*

Partem patriæ traheret: *A materna parte esset Italus.*

Ingredere: *Intra in regnum.*

Pu-

Hunc tibi præterea, ſpes & ſolatia noſtri,
Pallanta adjungam. Sub te tolerare magiſtro
Militiam & grave Martis opus, tua cernere facta
Aſſueſcat: primis & te miretur ab annis.
Arcadas huic equites bis centum, robora pubis
Lecta, dabo; totidémque ſuo tibi nomine Pallas,
Vix ea fatus erat, defixíque ora tenebant
Æneas Anchiſiades, & fidus Achates,
Multáque dura ſuo triſti cum corde putabant:
Ni ſignum cælo Cytherea dediſſet aperto.
Námque improviſò vibratus ab æthere fulgor
Cum ſonitu venit: & ruere omnia viſa repentè,
Tyrrhenúsque tubæ mugire per æthera clangor.
Suſpiciunt: iterum atque iterum fragor intonat ingens:
Arma inter nubem, cæli in regione ſerena,
Per ſudum rutilare vident, & pulſa tonare.
Obſtupuêre animis alii: ſed Troïus heros
Agnovit ſonitum, & Divæ promiſſa parentis.

Tum

Putabant: *Cogitabant.*

Cytherea: *Venus ab inſula Cythera.*

Cælo aperto: *Diſrupto & hiante fulgetris & tonitribus.*

Tyrrhenúsque tubæ &c. *Dicitur tubæ* clangor Tyrrhenus; *quia Tyrrheni cornua & tubas dicuntur inveniſſe; indicátque ſonus ille Tyrrhenus, Æneam à Tyrrhenis ad regnum vocari.*

Per Sudum; *Sudum eſt quaſi ſub udum, ſerenum poſt pluvias.*

Tum memorat: ne verò, hoſpes, ne quære profectò,
Quem caſum portenta ferant: ego poſcor Olympo.
Hoc ſignum cecinit miſſuram Diva creatrix,
Si bellum ingrueret; Vulcaniáque arma per auras
Laturam auxilio.
Heu quantæ miſeris cædes Laurentibus inſtant!
Quas pœnas mihi, Turne, dabis! quàm multa ſub undas
Scuta virûm, galeáſque, & fortia corpora volves,
Tybri pater! poſcant acies, & fœdera rumpant.
Hæc ubi dicta dedit, ſolio ſe tollit ab alto:
Et primùm Herculeis ſopitas ignibus aras

Ex-

Ne verò hoſpes: *Æneas ait: Ne autem tu, qui me excipis hoſpitio, ne ſanè petas à me, qualem exitum prodigia iſta prædicant; ego vocor è cælo ad bellum, Dea Venus, mater mea, monuit, ſe daturam hoc indicium, ſi bellum immineret &c.*

Heu quantæ; *Affectus ab exclamatione, in futuram cladem, quam inter hoſtes ſit editurus, cælo imperante.*

Poſcant acies; *Quaſi: eant nunc, & flagitent bellum. Permiſſio Ironica.*

Fœdera rumpant: *Quæ ſe facturum Latinus promiſerat, dum in ſocerum & generum admitteret.*

Herculeis. *Non videntur in lucum rediiſſe, ubi heſternâ die Sacra Herculi fecerant, ſed Aras domeſticas, in quibus ignis ſopitus erat, excitârunt prunis ex heſterno ſacrificio aſſervatis. Neque enim ignem ſacrum niſi ex ſacro licebat accendere.*

He-

Excitat: hesternúmque Larem, parvósque Penates
Lætus adit: mactat lectas de more bidentes:
Evandrus pariter, pariter Trojana juventus.
Posthinc ad naves graditur, sociósque revisit:
Quorum de numero, qui sese in bella sequantur,
Præstantes virtute legit; pars cætera pronâ
Fertur aquâ, segnísque secundo defluit amni,
Nuntia ventura Ascanio rerúmque patrísque.
Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arva:
Ducunt exsortem Æneæ, quem fulva leonis
Pellis obit totum præfulgens unguibus aureîs.
Fama volat parvam subitò vulgata per urbem,
Ociùs ire equites Tyrrheni ad limina regis.
Vota metu duplicant matres, propiúsque periclo
It timor, & major Martis jam apparet imago.
Tum pater Evandrus dextram complexus euntis
Hæret, inexpletùm lacrymans, ac talia fatur:

Hesternúmque Larem. *Vel qui pridie cultus ab iis fuerat, antequam decumberent: vel potiùs, quem Æneas novus hospes, ab hesterna duntaxat die noverat, & colendum susceperat.*

Segnísque secundo: *Lenta, sine remigio, id est, cessans, nihil administrans.*

Exsortem Æneæ. *Adducunt ad Æneam equum extra sortem aliorum, optimum, eximium.*

Propiúsque periclo. *Timor accedit propiùs ad periculum instans ex bello.*

O mihi præteritos referat si Juppiter annos!
Qualis eram, cùm primam aciem Præneste sub ipsa
Stravi, scutorúmque incendi victor acervos:
Et regem hac Herilum dextrâ sub tartara misi:
Nascenti cui tres animas Feronia mater,
Horrendum dictu, dederat; terna arma movenda;
Ter leto sternendus erat: cui tunc tamen omnes
Abstulit hæc animas dextra, & totidem exuit armis.
Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquam,
Nate, tuo: neque finitimus Mezentius unquam,
Huic capiti insultans, tot ferro sæva dedisset
Funera, tam multis viduâsset civibus urbem.
At vos, ô superi, & Divûm te maxime rector
Juppiter, Arcadii quæso miserescite regis,
Et patrias audite preces. Si numina vestra
Incolumem Pallanta mihi, si fata reservant;
Si visurus eum vivo, & venturus in unum:
Vitam oro: patiar quemvis durare laborem.
Sin aliquem infandum casum, Fortuna, minaris;

Nunc

Qualis eram: *Evandrum ex Arcadia venientem in Italiam repellere conatus est Herilus rex Prænestinus: sed ab Evandro victus cæsúsque.*

Præneste. *De hac urbe Æn.7.678.* Præneste *modò neutrius, modò fœminini est generis.* Herilus *hic tricorpor ad similitudinem Geryonis fingitur.*

Feronia. *Dea Herili mater: habita hæc est Dea florum & hortorum.*

Arcadii Regia: *Mei, Evandri.*

Venturus in unum: *Si vivo visurus eum, & rediturus in commune cum eo; siquidem pro ejus vita oro; paratus ero tolerare quemlibet laborem. Sin &c.*

Cru-

Nunc ô, nunc liceat crudelem arumpere vitam:
Dum curæ ambiguæ, dum spes incerta futuri;
Dum te, care puer, mea sera & sola voluptas
Complexu teneo: gravior ne nuntius aures
Vulneret. Hæc genitor digressu dicta supremo
Fundebat: famuli collapsum in tecta ferebant.
Jámque adeò exierat portis equitatus apertis:
Æneas inter primos & fidus Achates:
Inde alii Trojæ proceres: ipse agmine Pallas
In medio, chlamyde & pictis conspectus in armis.
Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer undâ,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum cælo, tenebrásque resolvit.
Stant pavidæ in muris matres, oculísque sequuntur
Pulveream nubem, & fulgentes ære catervas.
Olli per dumos, quà proxima meta viarum,
Armati tendunt: it clamor, & agmine facto
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

Est

Crudelem vitam: *Vitam superstitem sine filio, crudelem mihi & molestam potiùs nunc finiam, dum adhuc sum in metu, & spe.*

Conspectus: *Conspicuus, conspicabilis. Nam pro nomine participium posuit.*

Qualis ubi: *Comparat incedentis pulchritudinem cum stella Luciferi, quam Venus quasi propriam sibi habet: & quæ oriens Lucifer, occidens dicitur* Vesper & Hesperus.

Pulveream nubem: *Ab equitibus concitatam.*

Quadrupedante putrem &c. Putrem, *in pulverem facilè solubilem. Quadrupedante sonitu; quasi numerosò quadrupedum equorum incessu.*

Est ingens gelidum lucus prope Cæritis amnem,
Relligione patrum latè sacer: undique colles
Inclusêre cavi, & nigra nemus abjete cingunt.
Sylvano fama est veteres sacrâsse Pelasgos,
Arvorum pecorísque Deo lucúmque diémque,
Qui primi fines aliquando habuêre Latinos.
Haud procul hinc Tarcho & Tyrrheni tuta tenebant
Castra locis: celsóque omnis de colle videri
Jam poterat legio, & latis tendebat in arvis.
Huc pater Æneas & bello lecta juventus
Succedunt, fessíque & equos & corpora curant.
At Venus æthereos inter Dea candida nimbos
Dona ferens aderat: natúmque in valle reducta

Est ingens lucus: *Magna est sylva prope frigidum flumen Cæretanæ urbis. Flumen vel amnis hic dicebatur Minio, uti patet ex Æn. l.* 10. 183. *erátque ad urbem Cære. unde incolæ dicebantur* Cærites *mediâ syllabâ brevi, vel Cærétes, mediâ longâ.*

Latè sacer: *Hoc est, non solùm colebatur à civibus, sed etiam ab accolis.*

Abjete; *Arbore umbrosa, de qua passim in Georg.* De Sylvano *Eclog.* 10. 24.

Pelasgos: *Populos e Græcia, qui primi omnium dicuntur in Italia habitâsse. Vide suprà* 479.

Lucúmque, diémque. *Et sylvam, & festum diem annua celebritate.*

Tarcho: *De quo suprà,* latis in arvis tendebat, *castra ibi metabatur, tentoria figebat, eáque tuta ob naturam locorum; & totus exercitus eorum poterat jam aspici ab Ænea.*

At Venus: *Ibi adfuit Venis per nubes aëreas ap-*

por

Ut procul egelido secretum flumine vidit;
Talibus affata est dictis, séque obtulit ultrò:
En perfecta mei promissâ conjugis arte
Munera: ne mox, aut Laurentes, nate, superbos,
Aut acrem dubites in prælia poscere Turnum.
Dixit, & amplexus nati Cytherea petivit:
Arma sub adversâ posuit radiantia quercu.
Ille Deæ donis & tanto lætus honore,
Expleri nequit, atque oculos per singula volvit:
Miratúrque, intérque manus & brachia versat
Terribilem cristis galeam flammásque vomentem,
Fatiferúmque ensem, loricam ex ære rigentem,
Sanguineam, ingentem: qualis cùm cærula nubes
Solis inardescit radiis, longéque refulget.

Tum

portans munera. Natúmque: *Æneam, ubi eminùs aspexit, remotum à frigido fluvio, in valle separata.*

Obtulit ultrò: *Deam confessa, agnoscendam se exhibuit ultrò.*

Sub adversa quercu: *Opposita.*

Cristis galeam &c. *Cristis, id est, pennis avium, aut jubis equinis, igneo colore tinctis, è cono seu apice galeæ, in modum flammarum erumpentibus.*

Fatiferúmque: *Lethiferum, & fatalem Turno aliisque.*

Sanguineam: *Velut cruentam, ob colorem etiam rubescentem; nam comparat iridi, nubi cæruleæ, quæ à radiis solis rubore tingitur. Nec est incongrua hæc comparatio, cùm lorica de diversis metallis fieri consuêsset.*

Tum leves ocreas electro auróque recocto,
Hastámque, & clypei non enarrabile textum.
Illic res Italas, Romanorúmque triumphos,
Haud vatum ignarus venturíque inscius ævi,
Fecerat ignipotens: illic genus omne futuræ
Stirpis ab Ascanio, pugnatáque in ordine bella.
Fecerat & viridi fœtam Mavortis in antro
Procubuisse lupam: geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere matrem
Impavidos: illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos, & corpora fingere linguâ.
Nec procul hinc Romam, & raptas sine more Sabinas
Con-

Leves ocreas: *Lævigata & nitida tibi alia.* Electro, *metallo misto; ubi auro conflatur quinta argenti portio. Suprà.* Recocto: *Sæpè purgato, quia quantò plus coquitur igne, tantò melius fit.*

Clypei textum. *Quia è multis coriis, aut laminis compacti erant clypei.*

Illic: *In illo clypei contextu.*

Ab Ascanio: *Usque ad Augustum Cæsarem.*

Fœtam Mavortis in antro: *Expresserat illic lupam enixam in Mavortis antro; De qua altrice Romuli & Remi, filiorum Martis, Vide Æn.* 1, 278.

Raptas sine more Sabinas. *Romulus cum, urbe condita, deesse suis civibus fœminas videret, ludos indixit, qui* Consuales *tum, deinde* Circenses *dicti sunt: ad eos cùm convenissent vicini, præcipuè ex urbe Sabinorum* Curibus; *eorum fœminæ raptæ sunt à Romanis.* Sine more: *Sine exemplo. Hinc bellum grave*

Consessu caveæ, magnis Circensibus actis,
Addiderat: subitóque novum consurgere bellum
Romulidis, Tatióque seni, Curibúsque severis.
Post iidem inter se posito certamine reges
Armati, Jovis ante aras, paterásque tenentes
Stabant: & cæsâ jungebant fœdera porcâ.
Haud procul inde citæ Metium in diversa quadrigæ

Di-

ve inter utramque gentem: quod inter Tatium Sabinorum regem, & Romulum denique compositum est; ea lege, ut pars Sabinorum Romanam in urbem Curibus commigrarent, in ea Tatius ac Romulus regnarent, urbs quidem à Romulo Roma, *populus à Curibus Curites seu Quirites dicerentur.*

Circensibus actis: *Magno apparatu factis ludis Circensibus.*

Addiderat: *Apposuerat hæc in clypeo Vulcanus.*

Subitóque novum: *Et statim novum bellum oriri cœpit inter Romanos, & senem Tatium, & Cures se*veros, *id est, austeros, rigidos in disciplina &c.*

Post iidem: *Romulus & Tatius in acie conciliati, interventu Sabinarum.* Posito certamine: *finito, & relicto prælio ante aram Jovis, adhuc armati, libabant è pateris, & cæsâ porcâ fœdus inibant. Erat enim hic ritus.*

Metium in diversa quadrigæ. *Cùm Tullus Hostilius, Albanos imperio suo subdidisset, susceptóque adversùs Fidenates bello, Metius Suffetius Albanorum dictator Romanos in pugna deseruisset: Tullus victor eum duabus curribus per quadrigas in diversa raptis illigari ac discerpi jussit.*

 At

Distulerant, (at tu dictis, Albane, maneres)
Raptabátque viri mendacis viscera Tullus
Per sylvam, & sparsi rorabant sanguine vepres.
Nec non Tarquinium ejectum Porsenna jubebat
Accipere, ingentíque urbem obsidione premebat.
Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.
Illum indignanti similem, similémque minanti
Aspiceres: pontem auderet quòd vellere Cocles,
Et fluvium vinclis innaret Clœlia ruptis.

In

At tu dictis: *Id supplicium non Romanorum crudelitati, sed Metii perfidiæ tribuendum est; si enim fœdus servásses, ô Dictator Albane, & promissis stetisses, tam acerbum supplicium tibi non contigisset.*

Mendacis: *Qui fidem fefellerat.*

Tarquinium: *Tarquinium Superbum ejectum Porsenna Etruscorum Rex in regnum restituturus, urbem arctissima obsidione cinxit.*

Æneadæ: *Romani ab Ænea descensuri (tum nondum erant) in arma ruebant ad tuendam libertatem partam, exactis regibus.*

Illum indignanti &c. *Porsennam similem irato, & similem minanti, ideò quia Cocles audebat diruere montem, & quia Clœlia trajiciebat flumen fractis catenis.*

Cocles: *Horatius, ab uno oculo, amisso altero Cocles dictus, Etruscos in urbem irrumpere parantes in ipso pontis aditu tamdiu sustinuit, dum Romani à tergo pontem revellerent.*

Clœlia: *Virginum Vestalium una, quæ obses Porsennæ*

In summo custos Tarpejæ Manlius arcis
Stabat pro templo, & Capitolia celsa tenebat:
Romuleóque recens horrebat regia culmo.
Atque hîc auratis volitans argenteus anser
Porticibus, Gallos in limine adesse canebat,
Galli per dumos aderant, arcémque tenebant,
Defensi tenebris & dono noctis opacæ.
Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis:
Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla

Au-

sennæ data, deceptis custodibus per Tybrim ad suos tranavit.

In summo: *In suprema clypei parte efformatus erat Manlius defensor arcis Tarpeiæ, sive Capitolii. Historiam Manlii excitati ab ansere, cùm Galli Brenno duce noctu Capitolium conscenderent, vide apud Florum & Livium.* Pro templo. *Pro defensione templi, seu Capitolii.*

Romuleóque: *Expressa etiam erat Romuli domus regia, sed uti temporis illius mores ferebant, tanquam casa stramento & paleis tecta. Illa diu superfuit, & ad monumentum priscæ frugalitatis colebatur.*

Recens. *Ratione sculpturæ; à Vulcano nunc primùm sculpta.*

Auratis porticibus: *In capitolii porticu aureo videbatur pendere anser ex argento conflatus, qui quodammodo monebat cantu, adesse Gallos hostes; & Galli ascendebant per dumos, & jam occupaturi erant arcem tuti tenebris & nocte caliginosa.*

Virgatis sagulis. *Erant sagula virgis, sive segmen-*

tis

Auro inneƈtuntur: duo quisque Alpina coruſcant
Gæſa manu, ſcutis proteƈti corpora longis,
Hîc exultantes Salios, nudósque Lupercos,
Lanigerósque apices, & lapſa ancilia cælo

tis diſtinƈta verſicoloribus, & in longum varia ſerie porreƈtis.

Alpina Gæſa. *Haſtæ ſunt longiores, ſed leves & exiles, quæ binæ una manu ferri poterant.* Alpina *dicuntur; vel quia è ligno Alpinarum arborum, vel quia Gallorum propria, qui circa Alpinos montes habitabant.*

Hîc: *In eodem ſcuto ſaltantes ſculpſerat Salios.*

Salios. *De Saliis ſuprà v. 285. & de* Lupercis *v. 343.*

Lanigerósque apices. *Sacerdotes, præcipuè flamines, pileos geſtabant oblongos, quorum ex faſtigio virga eminebat, cui lana erat filo circumligata: quòd ſi per æſtatem geſtare pileum moleſtius ducerent, filo illo caput circuibant, quòd nefas eſſet, eos nudo eſſe capite: hinc* Flamines *diƈti, quaſi Filamines, & lana illa,* apex *ab* apo, *quod eſt ab* ἄπτω ligo.

Lapſa ancilia &c. *Scuta brevia, quaſi* amciſa, *id eſt,* circumciſa, *quòd ovali figura eſſent absque angulis. Ovid. Faſt.* 3. Atque ancile vocat, quod ab omni parte reciſum eſt: quémque notes oculis, angulus omnis abeſt. *Horum unum regnante Numa, decidiſſe dicitur è cælo, & edita vox: omnium potentiſſimam fore civitatem, quamdiu id in ea manſiſſet. Ideò Mamurius Veturius auƈtor fuit, ut ejus-*

dem

Extuderat: castæ ducebant sacra per urbem
Pilentis matres in mollibus. Hinc procul addit
Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis:
Et scelerum pœnas: & te, Catilina minaci
Pendentem scopulo, furiarúmque ora trementem:
Secretósque pios, his dantem jura Catonem.

Hæc

dem modi fierent plura, quibus id misceretur, ne internosci posset cæleste. Quod factum est omniáque in sacrario Martis reposita sub custodia Saliorum: qui certis diebus efferebant ea, pulsabántque per urbem, ac deinde recondebant.

Extuderat: *Cælaverat, tundendo exsculpserat.*

Castæ ducebant sacra: *Ibant ad Sacrificia per urbem pudicæ matronæ in vehiculis, quæ dicebantur* pilenta, *Istis vehiculis ad sacra ludósque vehi solùm erat castis matronis indultum.*

Hinc procul: *Procul hinc adjicit quoque in sculptura plagas infernas, & profundos Plutonis aditus, & punitos sceleratos homines, qualis erat Catilina.*

Catilina. *L. Serg. Catilina, qui de opprimenda republica conjuravit cum pluribus nobilissimis viris, & M. Cicerone Consule, urbe excedere coactus est.*

Secretósque pios: *Pios segregatos ab impiis, & Catonem his dicentem jus.*

Catonem. *Minorem, quem Virgilius præficit juri dicundo apud pios homines in Elysiis campis ob severam virtutem.*

Hæc

Hæc inter tumidi latè maris ibat imago
Aurea, sed fluctu spumabat cærula cano:
Et circùm argento clari delphines in orbem
Æquora verrebant caudis, æstúmque secabant.
In medio classes æratas, Actia bella,
Cernere erat: totúmque instructo Marte videres
Fervere Leucaten, auróque effulgere fluctus.
Hinc Augustus agens Italos in prælia Cæsar,
Cum patribus, populóque, Penatibus & magnis Diis,
Stans celsa in puppi: geminas cui tempora flammas
Læta vomunt, patriúmque aperitur vertice sidus,

Par-

Hæc inter: *Inter inferos & superos apparebat imago aurea maris latè intumescentis, & aquæ ceruleæ spumabant canis, id est albis, ex argento fluctibus. Circùm Delphines in circuitu ludebant.* Delphines *vel* Delphini *porci dicuntur marini.*

Actia bella: *Actium promontorium & oppidum Epiri est, ubi Augustus, navali prælio Antonium & Cleopatram devicit.*

Leucaten. *Leucates promontorium est Acarnaniæ, à petræ candore nomen habens,* λευκὸς *enim est* albus.

Tempora flammas. *Aliqui referunt ad galeam, cujus conus cristas habebat flammivomas; alii ad diadema rutilis gemmis hinc inde distinctum; alii ad Augusti oculos, quos acres inprimis & igneos fuisse testatur Suetonius.*

Patrium vertice sidus. *Stella Julii Cæsaris, quæ quia ejus in morte effulserat, pro eo habita est, ideo ejus simulacris in capite imposita.*

Agrip-

Parte alia, ventis & Diis Agrippa secundis,
Arduus, agmen agens; cui belli insigne superbum,
Tempora navali fulgent rostrata coronâ.
Hinc ope barbarica variísque Antonius armis
Victor, ab Auroræ populis & littore rubro
Ægyptum virésque Orientis & ultima secum
Bactra vehit: sequitúrque, nefas! Ægyptia conjux.
Unà omnes ruere, ac totum spumare reductis
Convulsum remis rostrísque tridentibus æquor.

Alta

Agrippa. *M. Agrippa, omnium Augusti operum ac victoriarum administer, præcipuè Actiaco bello. Ter Consul fuit, consors tribunitiæ potestatis cum Augusto, gener ejusdem & adoptione filius.*

Rostrata coronâ. *Corona navalis aurea, in speciem rostrorum navalium conformata, dabatur victoribus in pugna navali.*

Hinc ope barbaricâ: *A parte contraria Antonius cum auxiliaribus copiis Africæ, Thraciæ &c. qui victor erat Orientis, &* Auroræ, *sive Orientales populos, Parthos nempe decem & octo præliis superavit.* Littore rubro: *Et victor accolarum ad mare rubrum, quod Arabiam ad occidentem & meridiem alluit.*

Bactra vehit: *Secum trahit accolas regionis Bactrianæ. Bactra, orum, urbs est præcipua illius regionis.*

Sequitúrque, nefas: *Et proh scelus! etiam sequitur ipsum Cleopatra, Ægypti regina, quam perditè amavit Antonius.*

Unà omnes ruere: *Ruebant, veniebant cum impetu.*

Cy-

Tum memorat: ne verò, hoſpes, ne quære profectò,
Quem caſum portenta ferant: ego poſcor Olympo.
Hoc ſignum cecinit miſſuram Diva creatrix,
Si bellum ingrueret; Vulcaniáque arma per auras
Laturam auxilio.
Heu quantæ miſeris cædes Laurentibus inſtant!
Quas pœnas mihi, Turne, dabis! quàm multa ſub undas
Scuta virûm, galeáſque, & fortia corpora volves,
Tybri pater! poſcant acies, & fœdera rumpant.
Hæc ubi dicta dedit, ſolio ſe tollit ab alto:
Et primùm Herculeis ſopitas ignibus aras

Ex-

Ne verò hoſpes: *Æneas ait: Ne autem tu, qui me excipis hoſpitio, ne ſanè petas à me, qualem exitum prodigia iſta prædicant; ego vocor è cœlo ad bellum, Dea Venus, mater mea, monuit, ſe daturam hoc indicium, ſi bellum immineret &c.*

Heu quantæ: *Affectus ab exclamatione, in futuram cladem, quam inter hoſtes ſit editurus, cœlo imperante.*

Poſcant acies: *Quaſi: eant nunc, & flagitent bellum. Permiſſio Ironica.*

Fœdera rumpant: *Quæ ſe facturum Latinus promiſerat, dum in ſocerum & generum admitteret.*

Herculeis. *Non videntur in lucum rediiſſe, ubi heſternâ die Sacra Herculi fecerant, ſed Aras domeſticas, in quibus ignis ſopitus erat, excitârunt prunis ex heſterno ſacrificio aſſervatis. Neque enim ignem ſacrum niſi ex ſacro licebat accendere.*

He-

Excitat : hesternúmque Larem, parvósque Penates
Lætus adit : mactat lectas de more bidentes :
Evandrus pariter, pariter Trojana juventus.
Posthinc ad naves graditur, sociósque revisit :
Quorum de numero, qui sese in bella sequantur,
Præstantes virtute legit ; pars cætera pronâ
Fertur aquâ, segnísque secundo defluit amni,
Nuntia ventura Ascanio rerúmque patrísque.
Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arva :
Ducunt exsortem Æneæ, quem fulva leonis
Pellis obit totum præfulgens unguibus aureîs.
Fama volat parvam subitò vulgata per urbem,
Ociùs ire equites Tyrrheni ad limina regis.
Vota metu duplicant matres, propiúsque periclo
It timor, & major Martis jam apparet imago.
Tum pater Evandrus dextram complexus euntis
Hæret, inexpletùm lacrymans, ac talia fatur :

Hesternúmque Larem. *Vel qui pridie cultus ab iis fuerat, antequam decumberent : vel potiùs, quem Æneas novus hospes, ab hesterna duntaxat die noverat, & colendum susceperat.*

Segnísque secundo : *Lenta, sine remigio, id est, cessans, nihil administrans.*

Exsortem Æneæ. *Adducunt ad Æneam equum extra sortem aliorum, optimum, eximium.*

Propiúsque periclo. *Timor accedit propiùs ad periculum instans ex bello.*

O mihi præteritos referat si Juppiter annos!
Qualis eram, cùm primam aciem Præneste sub ipsa
Stravi, scutorúmque incendi victor acervos:
Et regem hac Herilum dextrâ sub tartara misi:
Nascenti cui tres animas Feronia mater,
Horrendum dictu, dederat; terna arma movenda;
Ter leto sternendus erat: cui tunc tamen omnes
Abstulit hæc animas dextra, & totidem exuit armis.
Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquam,
Nate, tuo: neque finitimus Mezentius unquam,
Huic capiti insultans, tot ferro sæva dedisset
Funera, tam multis viduâsset civibus urbem.
At vos, ô superi, & Divûm te maxime rector
Juppiter, Arcadii quæso miserescite regis,
Et patrias audite preces. Si numina vestra
Incolumem Pallanta mihi, si fata reservant;
Si visurus eum vivo, & venturus in unum:
Vitam oro: patiar quemvis durare laborem.
Sin aliquem infandum casum, Fortuna, minaris;

Nunc

Qualis eram: *Evandrum ex Arcadia venientem in Italiam repellere conatus est Herilus rex Prænestinus: sed ab Evandro victus cæsúsque.*

Præneste. *De hac urbe Æn.7.678.* Præneste *modò neutrius, modò fœminini est generis.* Herilus *hic tricorpor ad similitudinem Geryonis fingitur.*

Feronia. *Dea Herili mater: habita hæc est Dea florum & hortorum.*

Arcadii Regis: *Mei, Evandri.*

Venturus in unum: *Si vivo visurus eum, & rediturus in commune cum eo; siquidem pro ejus vita oro; paratus ero tolerare quemlibet laborem.* Sin &c.

Cru-

Nunc ô, nunc liceat crudelem abrumpere vitam:
Dum curæ ambiguæ, dum spes incerta futuri;
Dum te, care puer, mea sera & sola voluptas
Complexu teneo: gravior ne nuntius aures
Vulneret. Hæc genitor digressu dicta supremo
Fundebat: famuli collapsum in tecta ferebant.
Jámque adeò exierat portis equitatus apertis:
Æneas inter primos & fidus Achates:
Inde alii Trojæ proceres: ipse agmine Pallas
In medio, chlamyde & pictis conspectus in armis.
Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer undâ,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum cælo, tenebrásque resolvit.
Stant pavidæ in muris matres, oculísque sequuntur
Pulveream nubem, & fulgentes ære catervas,
Olli per dumos, quà proxima meta viarum,
Armati tendunt: it clamor, & agmine facto
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

Est

Crudelem vitam: *Vitam superstitem sine filio, crudelem mibi & molestam potiùs nunc finiam, dum adhuc sum in metu, & spe.*

Conspectus: *Conspicuus, conspicabilis. Nam pro nomine participium posuit.*

Qualis ubi: *Comparat incedentis pulchritudinem cum stella Luciferi, quam Venus quasi propriam sibi habet: & quæ oriens* Lucifer, *occidens dicitur* Vesper & Hesperus.

Pulveream nubem: *Ab equitibus concitatam.*

Quadrupedante putrem &c. Putrem, *in pulverem facilè solubilem. Quadrupedante sonitu; quasi numeroso quadrupedum equorum incessu.*

 Est

Eſt ingens gelidum lucus prope Cæritis amnem,
Relligione patrum latè ſacer: undique colles
Incluſêre cavi, & nigra nemus abjete cingunt.
Sylvano fama eſt veteres ſacráſſe Pelasgos,
Arvorum pecoríſque Deo lucúmque diémque,
Qui primi fines aliquando habuêre Latinos.
Haud procul hinc Tarcho & Tyrrheni tuta tenebant
Caſtra locis: celsóque omnis de colle videri
Jam poterat legio, & latis tendebat in arvis.
Huc pater Æneas & bello lecta juventus
Succedunt, feſsíque & equos & corpora curant.
At Venus æthereos inter Dea candida nimbos
Dona ferens aderat: natúmque in valle reducta

Eſt ingens lucus: *Magna eſt ſylva prope frigidum flumen Cæretanæ urbis. Flumen vel amnis hic dicebatur Minio, uti patet ex Æn. l.* 10. 183. *erátque ad urbem Cære. unde incolæ dicebantur* Cærites *mediâ ſyllabâ brevi, vel Cærétes, mediâ longâ.*

Latè ſacer: *Hoc eſt, non ſolùm colebatur à civibus, ſed etiam ab accolis.*

Abjete; *Arbore umbroſa, de qua paſſim in Georg.* De Sylvano *Eclog.* 10. 24.

Pelasgos: *Populos e Græcia. qui primi omnium dicuntur in Italia habitâſſe. Vide ſuprà* 479.

Lucúmque, diémque. *Et ſylvam, & feſtum diem annua celebritate.*

Tarcho: *De quo ſuprà,* latis in arvis tendebat, *caſtra ibi metabatur, tentoria figebat, eáque tuta ob naturam locorum; & totus exercitus eorum poterat jam aſpici ab Ænea.*

At Venus: *Ibi adfuit Venus per nubes aëreas appor*

Ut procul egelido ſecretum flumine vidit;
Talibus affata eſt dictis, ſéque obtulit ultrò:
En perfecta mei promiſsâ conjugis arte
Munera: ne mox, aut Laurentes, nate, ſuperbos,
Aut acrem dubites in prælia poſcere Turnum.
Dixit, & amplexus nati Cytherea petivit:
Arma ſub adverſâ poſuit radiantia quercu.
Ille Deæ donis & tanto lætus honore,
Expleri nequit, atque oculos per ſingula volvit:
Miratúrque, intérque manus & brachia verſat
Terribilem criſtis galeam flammáſque vomentem,
Fatiferúmque enſem, loricam ex ære rigentem,
Sanguineam, ingentem: qualis cùm cærula nubes
Solis inardeſcit radiis, longéque refulget.

Tum

portans munera. Natúmque: *Æneam, ubi eminùs aſpexit, remotum à frigido fluvio, in valle ſeparata.*

Obtulit ultrò: *Deam confeſſa, agnoſcendam ſe exhibuit ultrò.*

Sub adverſa quercu: *Oppoſita.*

Criſtis galeam &c. *Criſtis, id eſt, pennis avium, aut jubis equinis, igneo colore tinctis, è cono ſeu apice galeæ, in modum flammarum erumpentibus.*

Fatiferúmque: *Letbiferum, & fatalem Turno aliiſque.*

Sanguineam: *Velut cruentam, ob colorem etiam rubeſcentem; nam comparat iridi, nubi cærulæ, quæ à radiis ſolis rubore tingitur. Nec eſt incongrua hæc comparatio, cùm lorica de diverſis metallis fieri conſuêſſet.*

Tum leves ocreas electro auróque recocto,
Hastámque, & clypei non enarrabile textum.
Illic res Italas, Romanorúmque triumphos,
Haud vatum ignarus venturíque inscius ævi,
Fecerat ignipotens: illic genus omne futuræ
Stirpis ab Ascanio, pugnatáque in ordine bella.
Fecerat & viridi fœtam Mavortis in antro
Procubuisse lupam: geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere matrem
Impavidos: illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos, & corpora fingere linguâ.
Nec procul hinc Romam, & raptas sine more Sabinas
Con-

Leves ocreas: *Levigata & nitida tibi alia.* Electro, *metallo misto; ubi auro conflatur quinta argenti portio. Suprà.* Recocto: *Sæpè purgato, quia quantò plus coquitur igne, tantò melius fit.*

Clypei textum. *Quia è multis coriis, aut laminis compacti erant clypei.*

Illic: *In illo clypei contextu.*

Ab Ascanio: *Usque ad Augustum Cæsarem.*

Fœtam Mavortis in antro: *Expresserat illic lupam enixam in Mavortis antro; De qua altrice Romuli & Remi, filiorum Martis, Vide Æn.* 1, 278.

Raptas sine more Sabinas. *Romulus cum, urbe condita, deesse suis civibus fœminas videret, ludos indixit, qui* Consuales *tum,* *deinde* Circenses *dicti sunt: ad eos cùm convenissent vicini, præcipuè ex urbe Sabinorum* Curibus; *eorum fœminæ raptæ sunt à Romanis.* Sine more: *Sine exemplo. Hinc bellum grave*

Consessu caveæ, magnis Circensibus actis,
Addiderat: subitóque novum consurgere bellum
Romulidis, Tatióque seni, Curibúsque severis.
Post iidem inter se posito certamine reges
Armati, Jovis ante aras, paterásque tenentes
Stabant: & cæsâ jungebant fœdera porcâ.
Haud procul inde citæ Metium in diversa quadrigæ

ve inter utramque gentem: quod inter Tatium Sabinorum regem, & Romulum denique compositum est; ea lege, ut pars Sabinorum Romanam in urbem Curibus commigrarent, in ea Tatius ac Romulus regnarent, urbs quidem à Romulo Roma, *populus à Curibus Curites seu Quirites dicerentur.*

Circensibus actis: *Magno apparatu factis ludis Circensibus.*

Addiderat: *Apposuerat hæc in clypeo Vulcanus.*

Subitóque novum: *Et statim novum bellum oriri cœpit inter Romanos, & senem Tatium, & Cures* severos, *id est, austeros, rigidos in disciplina &c.*

Post iidem: *Romulus & Tatius in acie conciliati, interventu Sabinarum.* Posito certamine: *finito, & relicto prælio ante aram Jovis, adhuc armati, libabant è pateris, & cæsâ porcâ fœdus inibant. Erat enim hic ritus.*

Metium in diversa quadrigæ. *Cùm Tullus Hostilius, Albanos imperio suo subdidisset, susceptóque adversùs Fidenates bello, Metius Suffetius Albanorum dictator Romanos in pugna deseruisset: Tullus victor eum duabus curribus per quadrigas in diversa raptis illigari ac discerpi jussit.*

Distulerant, (at tu dictis, Albane, maneres)
Raptabátque viri mendacis viscera Tullus
Per sylvam, & sparsi rorabant sanguine vepres.
Nec non Tarquinium ejectum Porsenna jubebat
Accipere, ingentíque urbem obsidione premebat.
Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.
Illum indignanti similem, similémque minanti
Aspiceres: pontem auderet quòd vellere Cocles,
Et fluvium vinclis innaret Clœlia ruptis.

In

At tu dictis: *Id supplicium non Romanorum crudelitati, sed Metii perfidiæ tribuendum est; si enim fœdus serváßes, ô Dictator Albane, & promißis stetisses, tam acerbum supplicium tibi non contigißet.*

Mendacis: *Qui fidem fefellerat.*

Tarquinium: *Tarquinium Superbum ejectum Porsenna Etruscorum Rex in regnum restituturus, urbem arctißima obsidione cinxit.*

Æneadæ: *Romani ab Ænea descensuri (tum nondum erant) in arma ruebant ad tuendam libertatem partam, exactis regibus.*

Illum indignanti &c. *Porsennam similem irato, & similem minanti, ideò quia Cocles audebat diruere montem, & quia Clœlia trajiciebat flumen fractis catenis.*

Cocles: *Horatius, ab uno oculo, amisso altero Cocles dictus, Etruscos in urbem irrumpere parantes in ipso pontis aditu tamdiu sustinuit, dum Romani à tergo pontem revellerent.*

Clœlia: *Virginum Vestalium una, quæ obses Porsennæ*

In summo custos Tarpejæ Manlius arcis
Stabat pro templo, & Capitolia celsa tenebat:
Romuleóque recens horrebat regia culmo.
Atque hîc auratis volitans argenteus anser
Porticibus, Gallos in limine adesse canebat,
Galli per dumos aderant, arcémque tenebant,
Defensi tenebris & dono noctis opacæ.
Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis:
Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla

Au-

sennæ data, deceptis custodibus per Tybrim ad suos tranavit.

In summo: *In suprema clypei parte efformatus erat Manlius defensor arcis Tarpeiæ, sive Capitolii. Historiam Manlii excitati ab ansere, cùm Galli Brenno duce noctu Capitolium conscenderent, vide apud Florum & Livium.* Pro templo. *Pro defensione templi, seu Capitolii.*

Romuleóque: *Expressa etiam erat Romuli domus regia, sed uti temporis illius mores ferebant, tanquam casa stramento & paleis tecta. Illa diu superfuit, & ad monumentum priscæ frugalitatis colebatur.*

Recens. *Ratione sculpturæ; à Vulcano nunc primùm sculpta.*

Auratis porticibus: *In capitolii porticu aureo videbatur pendere anser ex argento conflatus, qui quodammodo monebat cantu, adesse Gallos hostes; & Galli ascendebant per dumos, & jam occupaturi erant arcem tuti tenebris & nocte caliginosa.*

Virgatis sagulis. *Erant sagula virgis, sive segmen-*

tis

Auro inneĉtuntur: duo quisque Alpina coruscant
Gæsa manu, scutis protecti corpora longis,
Hîc exultantes Salios, nudósque Lupercos,
Lanigerósque apices, & lapsa ancilia cælo

tis distincta versicoloribus, & *in longum varia serie porrectis.*

Alpina Gæsa. *Hastæ sunt longiores, sed leves & exiles, quæ binæ una manu ferri poterant.* Alpina *dicuntur; vel quia è ligno Alpinarum arborum, vel quia Gallorum propria, qui circa Alpinos montes habitabant.*

Hîc: *In eodem scuto saltantes sculpserat Salios.*

Salios. *De Saliis suprà v.* 285. & *de* Lupercis *v.* 343.

Lanigerósque apices. *Sacerdotes, præcipuè flamines, pileos gestabant oblongos, quorum ex fastigio virga eminebat, cui lana erat filo circumligata: quòd si per æstatem gestare pileum molestius ducerent, filo illo caput circuibant, quòd nefas esset, eos nudo esse capite: hinc* Flamines *dicti, quasi Filamines, & lana illa*, apex *ab* apo, *quod est ab* ἅπτω ligo.

Lapsa ancilia &c. *Scuta brevia, quasi* amcisa, *id est*, circumcisa, *quòd ovali figura essent absque angulis. Ovid. Fast.* 3. Atque ancile vocat, quod ab omni parte recisum est: quémque notes oculis, angulus omnis abest. *Horum unum regnante Numa, decidisse dicitur è cælo, & edita vox: omnium potentissimam fore civitatem, quamdiu id in ea mansisset. Ideò Mamurius Veturius auctor fuit, ut ejusdem*

Extuderat: castæ ducebant sacra per urbem
Pilentis matres in mollibus. Hinc procul addit
Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis:
Et scelerum pœnas: & te, Catilina minaci
Pendentem scopulo, furiarúmque ora trementem:
Secretósque pios, his dantem jura Catonem.

Hæc

dem modi fierent plura, quibus id misceretur, ne internosci posset cæleste. Quod factum est omniáque in sacrario Martis reposita sub custodia Saliorum: qui certis diebus efferebant ea, pulsabántque per urbem, ac deinde recondebant.

Extuderat: *Cælaverat, tundendo exsculpserat.*

Castæ ducebant sacra: *Ibant ad Sacrificia per urbem pudicæ matronæ in vehiculis, quæ dicebantur* pilenta, *Istis vehiculis ad sacra ludósque vehi solùm erat castis matronis indultum.*

Hinc procul: *Procul hinc adjicit quoque in sculptura plagas infernas, & profundos Plutonis aditus, & punitos sceleratos homines, qualis erat Catilina.*

Catilina. *L. Serg. Catilina, qui de opprimenda republica conjuravit cum pluribus nobilissimis viris, & M. Cicerone Consule, urbe excedere coactus est.*

Secretósque pios: *Pios segregatos ab impiis, & Catonem his dicentem jus.*

Catonem. *Minorem, quem Virgilius præficit juri dicundo apud pios homines in Elysiis campis ob severam virtutem.*

Hæc

Hæc inter tumidi latè maris ibat imago
Aurea, sed fluctu spumabat cærula cano:
Et circùm argento clari delphines in orbem
Æquora verrebant caudis, æstúmque secabant.
In medio classes æratas, Actia bella,
Cernere erat: totúmque instructo Marte videres
Fervere Leucaten, auróque effulgere fluctus.
Hinc Augustus agens Italos in prælia Cæsar,
Cum patribus, populóque, Penatibus & magnis Diis,
Stans celsa in puppi: geminas cui tempora flammas
Læta vomunt, patriúmque aperitur vertice sidus,

Par-

Hæc inter: *Inter inferos & superos apparebat imago aurea maris latè intumescentis, & aquæ cæruleæ spumabant canis, id est albis, ex argento fluctibus. Circùm Delphines in circuitu ludebant.* Delphines vel Delphini *porci dicuntur marini.*

Actia bella: *Actium promontorium & oppidum Epiri est, ubi Augustus, navali prælio Antonium & Cleopatram devicit.*

Leucaten. *Leucates promontorium est Acarnaniæ, à petræ candore nomen habens, λευκὸς enim est albus.*

Tempora flammas. *Aliqui referunt ad galeam, cujus conus cristas habebat flammivomas; alii ad diadema rutilis gemmis hinc inde distinctum; alii ad Augusti oculos, quos acres inprimis & igneos fuisse testatur Suetonius.*

Patrium vertice sidus. *Stella Julii Cæsaris, quæ quia ejus in morte effulserat, pro eo habita est, ideo ejus simulacris in capite imposita.*

Agrip-

Parte alia, ventis & Diis Agrippa secundis,
Arduus, agmen agens; cui belli insigne superbum,
Tempora navali fulgent rostrata coronâ.
Hinc ope barbarica variísque Antonius armis
Victor, ab Auroræ populis & littore rubro
Ægyptum virésque Orientis & ultima secum
Bactra vehit: sequitúrque, nefas! Ægyptia conjux.
Unà omnes ruere, ac totum spumare reductis
Convulsum remis rostrísque tridentibus æquor.

Alta

Agrippa. *M. Agrippa, omnium Augusti operum ac victoriarum administer, præcipuè Actiaco bello. Ter Consul fuit, consors tribunitiæ potestatis cum Augusto, gener ejusdem & adoptione filius.*

Rostrata coronâ. *Corona navalis aurea, in speciem rostrorum navalium conformata, dabatur victoribus in pugna navali.*

Hinc ope barbaricâ: *A parte contraria Antonius cum auxiliaribus copiis Africæ, Thraciæ &c. qui victor erat Orientis,* & Auroræ, *sive Orientales populos, Parthos nempe decem & octo præliis superavit.* Littore rubro: *Et victor accolarum ad mare rubrum, quod Arabiam ad occidentem & meridiem alluit.*

Bactra vehit: *Secum trahit accolas regionis Bactrianæ. Bactra, orum, urbs est præcipua illius regionis.*

Sequitúrque, nefas: *Et proh scelus! etiam sequitur ipsum Cleopatra, Ægypti regina, quam perditè amavit Antonius.*

Unà omnes ruere: *Ruebant, veniebant cum impetu.*

Cy-

Alta petunt: pelago credas innare revulsas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos:
Tantâ mole viri turritis puppibus instant.
Stupea flamma manu, telísque volatile ferrum
Spargitur: arva novâ Neptunia cæde rubescunt.
Regina in mediis patrio vocat agmina sistro,
Necdum etiam geminos à tergo respicit angues.
Omnigenúmque Deûm monstra, & latrator Anubis,

Con-

Cycladas. *Naves Antonii, magnitudine conspicuas, comparat cum insulis maris Ægei* Cycladibus.

Patrio sistro. *Sistrum erat æreum crepitaculum, Ægyptiorum proprium, instar reticuli, quo pilæ per ludum impelluntur. Hoc signo suos regit, & incitat Cleopatra.*

Geminos angues. *Adjicit Poëta cælatos à tergo Cleopatræ angues illos, quorum morsu illa periit, quos tum non respiciebat. Siquidem Cleopatra, victo, & à se ipso occiso Antonio, cùm Octavianum victorem irretire amore suo non potuisset, verita, ne in triumphum duceretur, aspidibus ad pectus admotis sibi ipsa mortem accersivit.*

Omnigenúmque Deûm monstra. *Cicero de Nat. l.* 3. 39. Omne ferè genus bestiarum Ægyptii consecrârunt, *ut felem, gryphem, simiam, scarabæos &c. præcipua tamen eorum numina* Osiris *rex, ejúsque uxor* Isis, & Anubis, *eorum vel filius, vel miles, vel satelles; ideò canino capite depictus; quia vel regem fide custodiebat, vel venator erat; vel ejus quasi canis indagantis operâ Isis usa est in investigandis mariti membris à Typhone fratre discerptis.*

Dira

Contra Neptunum & Venerem, contráque Minervam
Tela tenent: sævit medio in certamine Mavors
Cælatus ferro, tristésque ex æthere Diræ,
Et scissâ gaudens vadit Discordia pallâ,
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo
Desuper: omnis eo terrore Ægyptus, & Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.
Ipsa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare, & laxos jam jámque immittere funes,
Illam inter cædes, pallentem morte futurâ,
Fecerat ignipotens undis & Japyge ferri;

Con-

Diræ; *Furiæ, de quibus passim.* Ex æthere: *tum quia volantes illic exsculptæ erant; tum quia apud superos præsertim dicuntur* Diræ.

Scissâ Discordia pallâ: *Ut ipso habitu vim exprimat suam, quâ dividit animos, fœdera disrumpit &c.*

Bellona: *Soror Martis.*

Actius hæc &c. Apollo. *Apollini sacrum erat* Actium *promontorium. Hic pro Augusto pugnans, & arcum suum contra hostes tendens effingitur, eique Actiaca adscribitur victoria. Eo enim terrore, Ægyptiaci, Indi, Arabes &c. fugam arripuerunt.*

Ipsa videbatur. *In clypei cælatura ejus fuga describitur. Et ignipotens, Vulcanus, fecerat illam inter strages, pallidam morte imminente, fluctibus provehi, &* Japyge *vento, qui ab Apulia, Italiæ maximè orientali parte, flat rectà in Orientem, ideóque in Ægyptum. Dicitur* Japyx *ab ipsa Apulia, quæ sic priùs dicta fuit ab Japyge filio vel Dædali, vel Lycaonis.*

Con-

Contrà autem magno mœrentèm corpore Nilum,
Pandentémque sinus, & tota veste vocantem
Cæruleum in gremium latebrosáque flumina victos.
At Cæsar, triplici invectus Romana triumpho
Mœnia, Diis Italis votum immortale sacrabat,
Maxima ter centum totam delubra per urbem.
Lætitiâ ludísque viæ plausúque fremebant:
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aræ,
Ante aras terram cæsi stravêre juvenci,
Ipse sedens niveo candentis limine Phœbi,

Dona

Contrà autem : *Ex adverso autem Nilum*, magno corpore , *quia septemfluo , celârat, tanquam dolentem, & aperientem sinus suos, totáque veste expassa invitantem victos, ut ad se, & fluenta sua latebrosa se reciperent.*

Triplici &c. triumpho. *Cæsar Octavianus devictis imperii sui æmulis, tribus continuis diebus Romæ triumphavit. Anno V. C. 725. primò quidem die de Salassis, Dalmatis, Illyriis, Pannoniis. Altero die de Cleopatra apud Actium in Epiro littore superata, déque Macedonia. Tertio de Ægypto, post necem Antonii & Cleopatræ, captámque Alexandriam. Unde Octavianus posteà, idémque mensis, Augusti nomine insigniti sunt.*

Tercentum : *id est , multa templa , quæ belli tempore voverat, variis Diis deinde consecravit, immortalia pietatis suæ monumenta.*

Candentis limine Phœbi. *Templo Apollinis è candido marmore Pari insulæ.*

Dona

Dona recognoſcit populorum, aptátque ſuperbis
Poſtibus: incedunt victæ longo ordine gentes,
Quàm variæ linguis, habitu tam veſtis & armis.
Hic Nomadum genus, & diſcinctos Mulciber Afros,
Hic Lelegas, Caráſque, ſagittiferóſque Gelonos
Finxerat. Euphrates ibat jam mollior undis,

Ex-

Dona recognoſcit &c. Coronas aureas, *quas Victoribus Romanis imperatoribus & ſociæ, & vectigales provinciæ gratulationis ergò mittebant.* Coronarum *locô pecunia deinceps ab imperatoribus exacta eſt, quod* aurum coronarium *dicebatur. Plerúmque offerebantur deinde coronæ illæ Diis, præcipue Jovi Capitolino.* Aptátque: *Octavianus poſtibus templorum appendit.*

Nomadum genus. *Nomadæ vel Numidæ Africana gens.* Diſcinctos Afros: *Diſcincti vocantur Afri, vel quia* ignavi, *& labori minime aſſueti; nam qui ſe ad opus parant, accingunt veſtem altius; vel quia revera* fluentibus veſtibus *erant induti.* Lelegas, Caráſque. Leleges *vagi Aſiæ minoris populi.* Cares *regionem occupant Aſiæ, nunc* Aidinelli. Geloni, *populi vel Scythiæ, vel Thraciæ.*

Euphrates &c. *Fluvius Meſopotamiæ, ibat jam mollior, quia ſe ſubmittens, & Auguſti dominatum agnoſcens.*

Contrà autem magno mœrentem corpore Nilum,
Pandentémque sinus, & tota veste vocantem
Cæruleum in gremium latebrosáque flumina victos.
At Cæsar, triplici invectus Romana triumpho
Mœnia, Diis Italis votum immortale sacrabat,
Maxima ter centum totam delubra per urbem.
Lætitiâ ludísque viæ plausúque fremebant:
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aræ,
Ante aras terram cæsi stravêre juvenci,
Ipse sedens niveo candentis limine Phœbi,

Dona

Contrà autem : *Ex adverso autem Nilum*, magno corpore , *quia septemfluo , celârat, tanquam dolentem, & aperientem sinus suos, totáque veste expassa invitantem victos, ut ad se, & fluenta sua latebrosa se reciperent.*

Triplici &c. triumpho. *Cæsar Octavianus devictis imperii sui æmulis, tribus continuis diebus Romæ triumphavit. Anno V. C. 725. primò quidem die de Salassis, Dalmatis, Illyriis, Pannoniis. Altero die de Cleopatra apud Actium in Epiro littore superata, déque Macedonia. Tertio de Ægypto, post necem Antonii & Cleopatræ, captámque Alexandriam. Unde Octavianus posteà, idémque mensis, Augusti nomine insigniti sunt.*

Tercentum : *id est , multa templa , quæ belli tempore voverat, variis Diis deinde consecravit, immortalia pietatis suæ monumenta.*

Candentis limine Phœbi. *Templo Apollinis è candido marmore Pari insulæ.*

Dona

Dona recognoſcit populorum, aptátque ſuperbis
Poſtibus: incedunt victæ longo ordine gentes,
Quàm variæ linguis, habitu tam veſtis & armis.
Hic Nomadum genus, & diſcinctos Mulciber Afros,
Hic Lelegas, Caráſque, ſagittiferóſque Gelonos
Finxerat. Euphrates ibat jam mollior undis,

Ex-

Dona recognoſcit &c. Coronas aureas, *quas Victoribus Romanis imperatoribus & ſociæ, & vectigales provinciæ gratulationis ergò mittebant.* Coronarum *locô pecunia deinceps ab imperatoribus exacta eſt, quod* aurum coronarium *dicebatur. Plerúmque offerebantur deinde coronæ illæ Diis, præcipue Jovi Capitolino.* Aptátque: *Octavianus poſtibus templorum appendit.*

Nomadum genus. *Nomadæ vel Numidæ Africana gens.* Diſcinctos Afros: *Diſcincti vocantur Afri, vel quia* ignavi, & *labori minime aſſueti; nam qui ſe ad opus parant, accingunt veſtem altius; vel quia revera* fluentibus veſtibus *erant induti.* Lelegas, Caráſque. Leleges *vagi Aſiæ minoris populi.* Cares *regionem occupant Aſiæ, nunc* Aidinelli. Geloni, *populi vel Scythiæ, vel Thraciæ.*

Euphrates &c. *Fluvius Meſopotamiæ, ibat jam mollior, quia ſe ſubmittens, & Auguſti dominatum agnoſcens.*

Fff 2 Mo-

Extremíque hominum Morini, Rhenúsque bicornis,
Indomitíque Dahæ, & pontem indignatus Araxes.
Talia, per clypeum Vulcani, dona parentis
Miratur: rerúmque ignarus imagine gaudet,
Attollens humero famámque & fata nepotum.

Morini. *Morini, populi in ea parte Belgicæ Galliæ, quæ proxime ad Britanniam magnam accedit, & ad fretum, quo Britannicus oceanus cum Germanico committitur: unde* extremi *dicuntur in ea parte: horum caput fuit Tarvanna, nunc diruta, in Picardiæ & Artesiæ confinio.*

Rhenúsque bicornis. *Rhenus, etsi fluvius Europæ post Danubium celeberrimus, ad mare tamen nomen non perfert. Nam ubi ad arcem Skinkiam, quæ caput est insulæ Bataviæ, pervenit, in duas se partes dividit, Vahalim & Rhenum, unde* bicornis *dicitur; mox deinde in varios scinditur minores alveos, quorum minimo Rheni permanet nomen, isque ad Lugdunum Batavorum (Leyden) antequam ad Oceanum pervenerit, inter arenas exhauritur.*

Dahæ. *Scythicum genus.*

Araxes: *Ex Armeniæ montibus per Mediam in mare Caspium influens, placido primùm fluxu, sed ubi in asperiora devenit, ingenti impetu ac fragore: cui Alexander magnus pontem fecit, quem fluminis incrementa ruperunt. Hinc* pontem indignatus.

Ignarus imagine: *Ignarus erat veritatis, & rerum eâ sculptura contentarum; sed triumphorum imagine delectabatur; imponítque humero clypeum simul, & gloriam ac famam posterorum.*

P. VIR-

P. VIRGILII M.

ÆNEIDOS

LIBER IX.

ARGUMENTUM.

ÆNea conquirendis auxiliis apud Arcadas ac Tuscos occupato, Turnus admonetur à Junone per Iridem, ut in castrensia novæ Trojæ munimenta impetum faciat. Trojanis, ex Æneæ præscripto, non egredientibus ad pugnam: Turnus eorum naves, oppidi lateri admotas; parat incendere: sed illæ, cum ex Idææ sylvæ materia fabricatæ olim fuissent, Idææ matris beneficio mutantur marinas in Nymphas: tum, nocte imminente, circa oppidum excubiæ disponuntur. Interim Trojani, de revocando per nuncios Ænea solicitisi, dum inter se consultant: Nisus & Euryalus, par nobile amicorum, ultro suscipiunt hanc

provinciam: laudati ab Ascanio, dimissique, cædem Rutulorum noctu magnam faciunt: eorumque spoliis induti dum pergunt porro, à Latinis equitibus obviis occiduntur: capita hastis affixa, & in castris erecta, agnoscuntur procul à Trojanis, & ingentem in oppidò luctum excitant, præsertim matris Euryali. Turnus oppugnationem manè instaurat. Ascanius Numanum insolentiùs illudentem, emissâ è muris sagittâ, configit. Quo successu elati Pandarus & Bitias portas recludunt, & Rutulos subeuntes magna strage propellunt. Turnus facto impetu tandem irrumpit, sed clausis portis, hostium multitudine circumventus, paulatim recedit in eam oppidi partem, quam Tyberis alluebat, & ut erat armatus in flumen desiliens ad suos natatu revertitur.

Atque ea diversa penitus dum parte geruntur:
Irim de cælo misit Saturnia Juno
Audacem ad Turnum. Luco tum fortè parentis

Pi-

Diversa parte. *In Etruria, apud urbem Cære.*

Pa-

Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.
Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est:
Turne, quod optanti Divûm promittere nemo
Auderet, volvenda dies en attulit ultrò.
Æneas, urbe & sociis & classe relicta,
Sceptra Palatini sedémque petivit Evandri.
Nec satis: extremas Coriti penetravit ad urbes:
Lydorúmque manum, collectos armat agrestes.
Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere currus.

Parentis Pilumni: *Parens hîc sumitur generatim, sicut dicimus:* parentes majorésque; *nam Æn.* 10. 76. *Pilumnus dicitur Turni* avus.

Sedebat: *Vel* feriabatur *ad ejus tumulum, vel* deliberabat *secum de rerum statu.*

Thaumantias. *Iris, Thaumantis filia. V. Æ.* 4. 700.

Palatini. *De Evandro Palatini montis incola V. Æn.* 8. 51. *In eo monte deinde structa est Roma, ibíque Romulus unam è pluribus suis habuit domum, Cæsar quoque Octavianus habuit suam; unde imperatorum ædes, ubicunque essent,* palatia *deinde vocata sunt.*

Coriti. *Urbs est Tusciæ à Corito rege fundata, nunc* Cortona.

Lydorúmque manum: *De Lydis, Tusciæ colonis. Æn.* 2. 781. *Æn.* 8. 479.

Auro innectuntur: duo quisque Alpina coruscant
Gæsa manu, scutis protecti corpora longis,
Hîc exultantes Salios, nudósque Lupercos,
Lanigerósque apices, & lapsa ancilia cælo

tis distincta versicoloribus, & in longum varia serie porrectis.

Alpina Gæsa. *Hastæ sunt longiores, sed leves & exiles, quæ binæ una manu ferri poterant.* Alpina *dicuntur; vel quia è ligno Albinarum arborum, vel quia Gallorum propria, qui circa Alpinos montes babitabant.*

Hîc: *In eodem scuto saltantes sculpserat Salios.*

Salios. *De Saliis suprà v.* 285. *& de* Lupercis *v.* 343.

Lanigerósque apices. *Sacerdotes, præcipuè flamines, pileos gestabant oblongos, quorum ex fastigio virga eminebat, cui lana erat filo circumligata: quòd si per æstatem gestare pileum molestius ducerent, filo illo caput circuibant, quòd nefas esset, eos nudo esse capite: binc* Flamines *dicti, quasi Filamines, & lana illa*, apex *ab* apo, *quod est ab* ἄπτω ligo.

Lapsa ancilia &c. *Scuta brevia, quasi* amcisa, *id est*, circumcisa, *quòd ovali figura essent absque angulis. Ovid. Fast.* 3. Atque ancile vocat, quod ab omni parte recisum est: quémque notes oculis, angulus omnis abest. *Horum unum regnante Numa, decidisse dicitur è cælo, & edita vox: omnium potentissimam fore civitatem, quamdiu id in ea mansisset. Ideò Mamurius Veturius auctor fuit, ut ejusdem*

Extuderat: castæ ducebant sacra per urbem
Pilentis matres in mollibus. Hinc procul addit
Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis:
Et scelerum pœnas: & te, Catilina minaci
Pendentem scopulo, furiarūmque ora trementem:
Secretósque pios, his dantem jura Catonem.

Hæc

dem modi fierent plura, quibus id misceretur, ne internosci posset cœleste. Quod factum est omniáque in sacrario Martis reposita sub custodia Saliorum: qui certis diebus efferebant ea, pulsabántque per urbem, ac deinde recondebant.

Extuderat: *Cœlaverat, tundendo exsculpserat.*

Castæ ducebant sacra; *ibant ad Sacrificia per urbem pudicæ matronæ in vehiculis, quæ dicebantur* pilenta, *Istis vehiculis ad sacra ludósque vehi solùm erat castis matronis indultum.*

Hinc procul: *Procul hinc adjicit quoque in sculptura plagas infernas, & profundos Plutonis aditus, & punitos sceleratos homines, qualis erat Catilina.*

Catilina. *L. Serg. Catilina, qui de opprimenda republica conjuravit cum pluribus nobilissimis viris, & M. Cicerone Consule, urbe excedere coactus est.*

Secretósque pios: *Pios segregatos ab impiis, & Catonem his dicentem jus.*

Catonem. *Minorem, quem Virgilius præficit juri dicundo apud pios homines in Elysiis campis ob severam virtutem.*

Hæc

Hæc inter tumidi latè maris ibat imago
Aurea, sed fluctu spumabat cærula cano:
Et circùm argento clari dolphines in orbem
Æquora verrebant caudis, æstúmque secabant.
In medio classes æratas, Actia bella,
Cernere erat: totúmque instructo Marte videres
Fervere Leucaten, auróque effulgere fluctus.
Hinc Augustus agens Italos in prælia Cæsar,
Cum patribus, populóque, Penatibus & magnis Diis,
Stans celsa in puppi: geminas cui tempora flammas
Læta vomunt, patriúmque aperitur vertice sidus,

Par-

Hæc inter: *Inter inferos & superos apparebat imago aurea maris latè intumescentis, & aquæ ceruleæ spumabant canis, id est albis, ex argento fluctibus. Circùm Delphines in circuitu ludebant.* Delphines *vel* Delphini *porci dicuntur marini.*

Actia bella: *Actium promontorium & oppidum Epiri est, ubi Augustus, navali prælio Antonium & Cleopatram devicit.*

Leucaten. *Leucates promontorium est Acarnaniæ, à petræ candore nomen habens,* λευκὸς *enim est* albus.

Tempora flammas. *Aliqui referunt ad galeam, cujus conus cristas habebat flammivomas; alii ad diadema rutilis gemmis hinc inde distinctum; alii ad Augusti oculos, quos acres inprimis & igneos fuisse testatur Suetonius.*

Patrium vertice sidus. *Stella Julii Cæsaris, quæ quia ejus in morte effulserat, pro eo habita est, ideo ejus simulacris in capite imposita.*

Agrip-

Parte alia, ventis & Diis Agrippa secundis,
Arduus, agmen agens; cui belli insigne superbum,
Tempora navali fulgent rostrata coronâ.
Hinc ope barbarica variisque Antonius armis
Victor, ab Auroræ populis & littore rubro
Ægyptum viresque Orientis & ultima secum
Bactra vehit: sequitúrque, nefas! Ægyptia conjux.
Unà omnes ruere, ac totum spumare reductis
Convulsum remis rostrísque tridentibus æquor.

Alta

Agrippa. *M. Agrippa, omnium Augusti operum ac victoriarum administer, præcipuè Actiaco bello. Ter Consul fuit, consors tribunitiæ potestatis cum Augusto, gener ejusdem & adoptione filius.*

Rostrata coronâ. *Corona navalis aurea, in speciem rostrorum navalium conformata, dabatur victoribus in pugna navali.*

Hinc ope barbaricâ: *A parte contraria Antonius cum auxiliaribus copiis Africæ, Thraciæ &c. qui victor erat* Orientis, & Auroræ, *sive Orientales populos, Parthos nempe decem & octo præliis superavit.* Littore rubro: *Et victor accolarum ad mare rubrum, quod Arabiam ad occidentem & meridiem alluit.*

Bactra vehit; *Secum trahit accolas regionis Bactrianæ. Bactra, orum, urbs est præcipua illius regionis.*

Sequitúrque, nefas: *Et proh scelus! etiam sequitur ipsum Cleopatra, Ægypti regina, quam perditè amavit Antonius.*

Unà omnes ruere: *Ruebant, veniebant cum impetu.*

Cy-

Alta petunt: pelago credas innare revulsas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos:
Tantâ mole viri turritis puppibus instant.
Stupea flamma manu, telísque volatile ferrum
Spargitur: arva novâ Neptunia cæde rubescunt.
Regina in mediis patrio vocat agmina sistro,
Necdum etiam geminos à tergo respicit angues.
Omnigenúmque Deûm monstra, & latrator Anubis,

Con-

Cycladas. *Naves Antonii, magnitudine conspicuas, comparat cum insulis maris Ægei* Cycladibus.

Patrio sistro. *Sistrum erat æreum crepitaculum, Ægyptiorum proprium, instar reticuli, quo pilæ per ludum impelluntur. Hoc signo suos regit, & incitat Cleopatra.*

Geminos angues. *Adjicit Poëta cælatos à tergo Cleopatræ angues illos, quorum morsu illa periit, quos tum non respiciebat. Siquidem Cleopatra, victo, & à se ipso occiso Antonio, cùm Octavianum victorem irretire amore suo non potuisset, verita, ne in triumphum duceretur, aspidibus ad pectus admotis sibi ipsa mortem accersivit.*

Omnigenúmque Deûm monstra. *Cicero de Nat. l.* 3. 39. Omne ferè genus bestiarum Ægyptii consecrârunt, *ut felem, gryphem, simiam, scarabæos &c. præcipua tamen eorum numina* Osiris *rex, ejúsque uxor* Isis, & Anubis, *eorum vel filius, vel miles, vel satelles; ideò canino capite depictus; quia vel regem fide custodiebat, vel venator erat; vel ejus quasi canis indagantis operâ Isis usa est in investigandis mariti membris à Typhone fratre discerptis.*

Dira

Contra Neptunum & Venerem, contráque Minervam
Tela tenent: sævit medio in certamine Mavors
Cælatus ferro, tristésque ex æthere Diræ,
Et scissa gaudens vadit Discordia pallâ,
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo
Desuper: omnis eo terrore Ægyptus, & Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.
Ipsa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare, & laxos jam jámque immittere funes,
Illam inter cædes, pallentem morte futurâ,
Fecerat ignipotens undis & Japyge ferri;

Con-

Diræ; *Furiæ, de quibus passim.* Ex æthere: *tum quia volantes illic exsculptæ erant; tum quia apud superos præsertim dicuntur* Diræ.

Scissâ Discordia pallâ: *Ut ipso habitu vim exprimat suam, quâ dividit animos, fœdera disrumpit &c.*

Bellona: *Soror Martis.*

Actius hæc &c. Apollo. *Apollini sacrum erat* Actium *promontorium. Hic pro Augusto pugnans, & arcum suum contra hostes tendens effingitur, eique Actiaca adscribitur victoria. Eo enim terrore, Ægyptiaci, Indi, Arabes &c. fugam arripuerunt.*

Ipsa videbatur. *In clypei cælatura ejus fuga describitur. Et ignipotens, Vulcanus, fecerat illam inter strages, pallidam morte imminente, fluctibus provehi, &* Japyge *vento, qui ab Apulia, Italiæ maximè orientali parte, flat rectâ in Orientem, ideóque in Ægyptum. Dicitur* Japyx *ab ipsa Apulia, quæ sic priùs dicta fuit ab Japyge filio vel Dædali, vel Lycaonis.*

Con-

Contrà autem magno mœrentèm corpore Nilum,
Pandentémque sinus, & tota veste vocantem
Cæruleum in gremium latebrosáque flumina victos.
At Cæsar, triplici invectus Romana triumpho
Mœnia, Diis Italis votum immortale sacrabat,
Maxima ter centum totam delubra per urbem.
Lætitiâ ludísque viæ plausúque fremebant:
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aræ,
Ante aras terram cæsi stravêre juvenci.
Ipse sedens niveo candentis limine Phœbi,

Dona

Contrà autem: *Ex adverso autem Nilum*, magno corpore, *quia septemfluo, celârat, tanquam dolentem, & aperientem sinus suos, totáque veste expassa invitantem victos, ut ad se, & fluenta sua latebrosase reciperent.*

Triplici &c. triumpho. *Cæsar Octavianus devictis imperii sui æmulis, tribus continuis diebus Romæ triumphavit. Anno V. C. 725. primò quidem die de Salassis, Dalmatis, Illyriis, Pannoniis. Altero die de Cleopatra apud Actium in Epiro littore superata, déque Macedonia. Tertio de Ægypto, post necem Antonii & Cleopatræ, captámque Alexandriam. Unde Octavianus posteà, idémque mensis, Augusti nomine insigniti sunt.*

Tercentum: *id est, multa templa, quæ belli tempore voverat, variis Diis deinde consecravit, immortalia pietatis suæ monumenta.*

Candentis limine Phœbi. *Templo Apollinis è candido marmore Pari insulæ.*

Dona

Dona recognoscit populorum, aptátque superbis
Postibus: incedunt victæ longo ordine gentes,
Quàm variæ linguis, habitu tam vestis & armis.
Hic Nomadum genus, & discinctos Mulciber Afros,
Hic Lelegas, Carásque, sagittiferósque Gelonos
Finxerat. Euphrates ibat jam mollior undis,

Ex-

Dona recognoscit &c. Coronas aureas, *quas Victoribus Romanis imperatoribus & sociæ, & vectigales provinciæ gratulationis ergò mittebant.* Coronarum *locô pecunia deinceps ab imperatoribus exacta est, quod* aurum coronarium *dicebatur. Plerúmque offerebantur deinde coronæ illæ Diis, præcipue Jovi Capitolino.* Aptátque: *Octavianus postibus templorum appendit.*

Nomadum genus. *Nomadæ vel Numidæ Africana gens.* Discinctos Afros: *Discincti vocantur Afri, vel quia* ignavi, *& labori minime assueti; nam qui se ad opus parant, accingunt vestem altius; vel quia revera* fluentibus vestibus *erant induti.* Lelegas, Carásque. Leleges *vagi Asiæ minoris populi.* Cares *regionem occupant Asiæ, nunc* Aidinelli. Geloni, *populi vel Scythiæ, vel Thraciæ.*

Euphrates &c. *Fluvius Mesopotamiæ, ibat jam mollior, quia se submittens, & Augusti dominatum agnoscens.*

Extremíque hominum Morini, Rhenúsque bicornis,
Indomitíque Dahæ, & pontem indignatus Araxes.
Talia, per clypeum Vulcani, dona parentis
Miratur: rerúmque ignarus imagine gaudet,
Attollens humero famámque & fata nepotum.

Morini. *Morini, populi in ea parte Belgicæ Galliæ, quæ proxime ad Britanniam magnam accedit, & ad fretum, quo Britannicus oceanus cum Germanico committitur: unde* extremi *dicuntur in ea parte: horum caput fuit Tarvanna, nunc diruta, in Picardiæ & Artesiæ confinio.*

Rhenúsque bicornis. *Rhenus, etsi fluvius Europæ post Danubium celeberrimus, ad mare tamen nomen non perfert. Nam ubi ad arcem Skinkiam, quæ caput est insulæ Bataviæ, pervenit, in duas se partes dividit, Vabalim & Rhenum, unde* bicornis *dicitur; mox deinde in varios scinditur minores alveos, quorum minimo Rheni permanet nomen, isque ad Lugdunum Batavorum (Leyden) antequam ad Oceanum pervenerit, inter arenas exhauritur.*

Dahæ. *Scythicum genus.*

Araxes: *Ex Armeniæ montibus per Mediam in mare Caspium influens, placido primùm fluxu, sed ubi in asperiora devenit, ingenti impetu ac fragore: cui Alexander magnus pontem fecit, quem fluminis incrementa ruperunt. Hinc* pontem indignatus.

Ignarus imagine: *Ignarus erat veritatis, & rerum eâ sculptura contentarum; sed triumphorum imagine delectabatur; imponítque humero clypeum simul, & gloriam ac famam posterorum.*

P. VIR-

P. VIRGILII M.

ÆNEIDOS

LIBER IX.

ARGUMENTUM.

Ænea conquirendis auxiliis apud Arcadas ac Tuscos occupato, Turnus admonetur à Junone per Iridem, ut in castrensia novæ Trojæ munimenta impetum faciat. Trojanis, ex Æneæ præscripto, non egredientibus adpugnam: Turnus eorum naves, oppidi lateri admotas; parat incendere: sed illæ, cum ex Idææ sylvæ materia fabricatæ olim fuissent, Idææ matris beneficio mutantur marinas in Nymphas: tum, nocte imminente, circa oppidum excubiæ disponuntur. Interim Trojani, de revocando per nuncios Ænea solliciti, dum inter se consultant: Nisus & Euryalus, par nobile amicorum, ultro suscipiunt hanc

provinciam: laudati ab Ascanio, dimissique, cædem Rutulorum noctu magnam faciunt: eorúmque spoliis induti dum pergunt porro, à Latinis equitibus obviis occiduntur: capita hastis affixa, & in castris erecta, agnoscuntur procul à Trojanis, & ingentem in oppido luctum excitant, præsertim matris Euryali. Turnus oppugnationem manè instaurat. Ascanius Numanum insolentiùs illudentem, emissâ è muris sagittâ, configit. Quo successu elati Pandarus & Bitias portas recludunt, & Rutulos subeuntes magna strage propellunt. Turnus facto impetu tandem irrumpit, sed clausis portis, hostium multitudine circumventus, paulatim recedit in eam oppidi partem, quam Tyberis alluebat, & ut erat armatus in flumen desiliens ad suos natatu revertitur.

Atque ea diversa penitus dum parte geruntur:
Irim de cælo misit Saturnia Juno
Audacem ad Turnum. Luco tum fortè parentis

Pi-

Diversa parte. *In Etruria, apud urbem Cære.*

Pa-

Pilumni Turnus sacrata valle sedebat,
Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est:
Turne, quod optanti Divûm promittere nemo
Auderet, volvenda dies en attulit ultrò,
Æneas, urbe & sociis & classe relicta,
Sceptra Palatini sedémque petivit Evandri.
Nec satis: extremas Coriti penetravit ad urbes:
Lydorúmque manum, collectos armat agrestes.
Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere currus.
Rumpe

Parentis Pilumni: *Parens hîc sumitur generatim, sicut dicimus:* parentes majorésque; *nam Æn.* 10. 76. *Pilumnus dicitur Turni* avus.

Sedebat: *Vel* feriabatur *ad ejus tumulum, vel* deliberabat *secum de rerum statu.*

Thaumantias. *Iris, Thaumantis filia. V. Æ.* 4. 700.

Palatini. *De Evandro Palatini montis incola V. Æn.* 8. 51. *In eo monte deinde structa est Roma, ibíque Romulus unam è pluribus suis habuit domum, Cæsar quoque Octavianus habuit suam; unde imperatorum ædes, ubicunque essent,* palatia *deinde vocata sunt.*

Coriti. *Urbs est Tusciæ à Corito rege fundata, nunc* Cortona.

Lydorúmque manum: *De Lydis, Tusciæ colonis. Æn.* 2. 781. *Æn.* 8. 479.

Rumpe moras omnes, & turbata arripe castra?
Dixit, & in cælum paribus se sustulit alis,
Ingentémque fugâ secuit sub nubibus arcum.
Agnovit juvenis, duplicésque ad sidera palmas
Sustulit, ac tali fugientem est voce secutus;
Iri, decus cæli, quis te mihi nubibus actam
Detulit in terras? unde hæc tam clara repentè
Tempestas? medium video discedere cælum,
Palantésque polo stellas: sequar omnia tanta,
Quisquis in arma vocas. Et sic effatus, ad undam
Processit, summóque hausit de gurgite lymphas,
Multa Deos orans: oneravítque æthera votis.
Jámque omnis campis exercitus ibat apertis,
Dives equûm, dives pictaï vestis & auri.
Messapus primas acies, postrema coërcent
Tyrrheidæ juvenes: medio dux agmine Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice supra est.
Ceu septem surgens sedatis amnibus altus

Per

Castra. *Novam Trojam, tumultuario opere munitam ab Ænea, ad ostium Tyberis.*

Hausit de gurgite lymphas: *Ut lotis manibus purius precaretur.*

Oneravítque æthera: *Multa petens à Diis, replevit cælum votis pluribus.*

Pictai. *Pictæ. Ut* Aulai *Dissolutio diphtongi æ more veterum, quæ Græcis est αι.*

Postrema coërcent Tyrrheidæ; *Tyrrhi filii, de quibus suprà Æn. 7. 483. Agmen claudunt.*

Septem sedatis *Per comparationem ostendit magno silentio ivisse Turnum, ut improvisus opprimeret incautos: tamen ingens pulvis illos manifestavit.* Septem.

Id

Per tacitum Ganges; aut pingui flumine Nilus,
Cùm refluit campis, & jam se condidit alveo.
Hic subitam nigro glomerari pulvere nubem
Prospiciunt Teucri, ac tenebras insurgere campis.
Primus ab adversa conclamat mole Caïcus:
Quis globus, ô cives, caligine volvitur atra?
Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros.
Hostis adest; eja! Ingenti clamore per omnes
Condunt se Teucri portas, & mœnia complent.
Námque ita discedens præceperat optimus armis
Æneas: siqua interea fortuna fuisset;
Ne struere auderent aciem, neu credere campo:
Castra modò & tutos servarent aggere muros.
Ergo, etsi conferre manum pudor iráque monstrat:
Objiciunt portas tamen, & præcepta facessunt,
Armatíque cavis expectant turribus hostem,
Turnus, ut antevolans tardum præcesserat agmen,
Viginti lectis equitum comitatus: & urbi
Improvisus adest; maculis quem Thracius albis

Id est, pluribus fluviis, qui in Gangem influunt, & quorum societate intumescit, ac verè surgit. Ganges *fluvius mediam Indiam intersecans. Sicut multis fluviis Nilus aut Ganges auctus incedit, sic Turnus multis Italiæ populis.* De Nilo G. 4. 284.

Cùm refluit campis: *Cùm è campis, in quos exundaverat, rediens se reddit suo alveo.*

Ab adversa mole: *Ex opposito aggere.*

Condunt; *Includunt se intra portas.*

Fortuna; *Siquis casus bellicus.*

Thracius: *Equi præstantissimi sunt ex Thracia.*

Portat equus, criſtâque tegit galea aurea rubrâ.
Ecquis erit mecum, ô juvenes, qui primus in hoſtem?
En, ait, & jaculum intorquens emittit in auras,
Principium pugnæ: & campo ſeſe arduus infert,
Clamore excipiunt ſocii, fremitúque ſequuntur
Horriſono. Teucrûm mirantur inertia corda:
Non æquo dare ſe campo, non obvia ferre
Arma viros; ſed caſtra fovere. Huc turbidus atque huc
Luſtrat equo muros, aditúmque per avia quærit.
Ac veluti pleno lupus inſidiatus ovili,
Cùm fremit ad caulas, ventos perpeſſus & imbres,
Nocte ſuper media: tuti ſub matribus agni
Balatum exercent: ille aſper & improbus irâ
Sævit in abſentes: collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & ſiccæ ſanguine fauces.
Haud aliter Rutulo muros & caſtra tuenti
Igneſcunt iræ, & duris dolor oſſibus ardet:
Quâ tentet ratione aditus: & quà via clauſos
Excutiat Teucros vallo: atque effundat in æquor,
Claſſem, quæ lateri caſtrorum adjuncta latebat,
Aggeribus ſeptam circùm & fluvialibus undis,

In-

Æquo campo: *Vel plano, vel potiùs, ubi pari periculo, pari pugnæ modo decertare poſſent.*

Ac veluti: *Venuſta comparatione vim, irámque Turni proponit, ducta à natura lupi, ad ovilia ovibus inſidiantis, cùm irrumpere nequeat.*

Nocte ſuper media. *Ultra mediam noctem.*

In abſentes. *In agnos à ſe per ſepta disjunctos.*

In æquor. *In campum, in planum.*

In-

Invadit, sociósque incendia poscit ovantes:
Atque manum pinu flagranti fervidus implet.
Tum verò incumbunt: urget præsentia Turni,
Atque omnis facibus pubes accingitur atris.
Diripuêre focos: piceum fert fumida lumen
Tæda, & commixtam Vulcanus ad astra favillam.
Quis Deus, ô Musæ, tam sæva incendia Teucris
Avertit? tantos ratibus quis depulit ignes?
Dicite: prisca fides facto, sed fama perrennis.
Tempore quo primùm Phrygia formabat in Ida
Æneas classem, & pelagi petere alta parabat:
Ipsa Deûm fertur genitrix Berecynthia magnum
Vocibus his affata Jovem: da, nate, petenti;
Quod tua chara parens domito te poscit Olympo.
Pinea sylva mihi multos dilecta per annos,

Lu-

Incendia poscit ovantes: *Vocat ad incendium socios, ut materiam ignis suppeditent, qui ovantes & gaudentes hoc faciebant; ipse manum instruit pinea face.*

Focos. *Quos excitaverant ad accendendas arbores pinguis naturæ; quales sunt pinus, tæda &c.*

Prisca fides &c. *Etsi factum ob vetustatem multis subobscurum sit: fama tamen ejus non periit, sed vigebit semper.*

Domito te poscit Olympo. *Præsta ei, cujus beneficio servatus, ad Olympi regna venisti &c. Saturnus enim cùm omnes consumeret filios, Jovem solum non devoravit, matris auxilio celatum.*

Pinea sylva: *Sylva mihi dicata & cara fuit, lucus in supremo vertice;* ex nigranti picea, *arbore umbrosa,*

Lucus in arce fuit summa, quò sacra ferebant,
Nigranti picea trabibúsque obscurus acernis.
Has ego Dardanio juveni, cùm classis egeret,
Læta dedi: nunc solicitam timor anxius urget.
Solve metus, atque hoc precibus sine posse parentem:
Ne cursu quassatæ ullo, neu turbine venti
Vincantur: prosit nostris in montibus ortas.
Filius huic contrà, torquet qui sidera mundi:
O genitrix, quò fata vocas? aut quid petis istis?
Mortaline manu factæ immortale carinæ
Fas habeant? certúsque incerta pericula lustret
Æneas? cui tanta Deo permissa potestas?
Imò ubi defunctæ finem portúsque tenebunt
Ausonios: olim quæcunque evaserit undis,
Dardaniúmque ducem Laurentia vexerit arva,
Mortalem eripiam formam: magníque jubebo
Æquoris esse Deas: qualis Nereïa Doto
Et Galatea secant spumantem pectore pontum.
Dixerat: idque ratum, Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentes atráque voragine ripas,
Annuit: & totum nutu tremefecit Olympum.

Ergo

brosa, unde pix desudat; & arbores has ego Æneæ concessi, quando indigebat navibus.

Fas habeant? *Jus immortalitatis habeant? Et Æneas securus adibit dubia pericula? Num Æneas ob sortem, quâ homo est, navigationis non debet timere periculum? Et cui Deo concessa est tanta facultas?*

Defunctæ: *Functæ cursu suo, & periculis.*

Nereia Doto: *Doto, & Galatea, Nymphæ marinæ, Nerei filiæ.*

Ergo

Ergo aderat promissa dies, & tempora Parcæ
Debita complêrant: cùm Turni injuria matrem
Admonuit sacris ratibus depellere tædas.
Hîc primùm nova lux oculis effulsit, & ingens
Visus ab Aurora cælum transcurrere nimbus,
Idæique chori: tum vox horrenda per auras
Excidit, & Troum Rutulorúmque agmina complet.
Ne trepidate meas, Teucri, defendere naves,
Néve armate manus: maria antè exurere Turno
Quàm sacras dabitur pinus. Vos ite solutæ,
Ite, Deæ pelagi: genitrix jubet. Et sua quæque
Continuò puppes abrumpunt vincula ripis:
Delphinúmque modo demersis æquora rostris

Ergo aderat: *Venerat dies promissi, & dispositionem suam fata compleverant; hoc est, munere suo functæ sunt naves, & Æneam devexerunt in Italiam.*

Turni injuria: *Impugnatio navium & violentia Turni movit matrem Berecynthiam, ut faces à navibus averteret.*

Nova lux: *Repentina.* Nimbus: *Nubes magna & splendida, in qua Cybele, & Phrygii Deæ comites.*

Idæique chori. Corybantes, Curetes, Dactyli, *Cybeles ministri: qui cymbalis æreis ea in nube circa Cybelem perstrepebant.*

Ne trepidate. *Ne festinate egredi ad navium defensionem. Vox enim* trepidare *non semper metum solum significat; sed festinationem, ac tumultuationem, ut patet ex G. 4. 69.*

Vos ite: *Vos (ad naves) ite liberæ, ite in Deas pelagi transformatæ.*

Ima petunt. Hinc virgineæ (mirabile monstrum)
Reddunt se totidem facies, pontóque feruntur;
Quot prius æratæ steterant ad littora proræ.
Obstupuêre animis Rutuli: conterritus ipse
Turbatis Messapus equis: cunctatur & amnis
Rauca sonans, revocátque pedem Tyberinus ab alto.
At non audaci cessit fiducia Turno.
Ultrò animos tollit dictis, atque increpat ultrò:
Trojanos hæc monstra petunt: his Juppiter ipse
Auxilium solitum eripuit: non tela, nec ignes
Expectant Rutulos. Ergo maria invia Teucris,
Nec spes ulla fugæ: rerum pars altera adempta est:
Terra autem in manibus nostris: tot millia gentes
Arma ferunt Italæ. Nil me fatalia terrent,
Si qua Phryges præ se jactant, responsa Deorum.
Sat fatis Veneríque datum, tetigêre quòd arma
Fertilis Ausoniæ Troës: sunt & mea contrà
Fata mihi, ferro sceleratam exscindere gentem,
Conjuge prærepta. Nec solos tangit Atridas
Iste dolor, solísque licet capere arma Mycenis.
Sed periisse semel satìs est? peccare fuisset

Ante

Rerum pars altera: *Fuga scilicet per mare, amissis jam navibus. Humanæ enim naturæ duo elementa concessa sunt, mare, & terra, quibus effugiant pericula.*

Atridas. *Atrei Mycenarum regis filios, Agamemnona & Menelaum, qui ob raptam à Paride Trojano Helenam, Menelai conjugem, Græciam universam in Trojanos concitârunt.* Mycenæ, *Peloponnesi urbs.*

Sed periisse semel &c. *Cape fusiorem hanc explicationem sententiæ concisæ & subobscuræ:* Nónne sufficit ipsis jam semel periisse, propter amorem

Antè satis, penitùs modò non genus omne perosos
Fœmineum. Quibus hæc medii fiducia valli,
Fossarúmque moræ, leti discrimina parva,
Dant animos: an non viderunt mœnia Trojæ,
Neptuni fabricata manu considere in ignes?
Sed vos, ô lecti: ferro quis scindere vallum
Apparat, & mecum invadit trepidantia castra?
Non armis mihi Vulcani, non mille carinis
Est opus in Teucros: addant se protinùs omnes
Etrusci socios: tenebras & inertia furta
Palladii, cæsis summæ custodibus arcis,
Ne timeant: nec equi cæca condemur in alvo.
Luce palàm certum est igni circumdare muros.
Haud sibi cum Danais rem faxo & pube Pelasgâ

rem fœminarum? *Certè quicunque alii nondum odissent penitùs omne genus fœmineum; iis satis fuisset peccare priùs: id est, satis esset peccâsse priùs: sive satìs esset memoria priori peccati & pœnæ, ut ab amore fœminarum averterentur, non iterum idem peccarent, & novam sibi perniciem accerserent.*

Valli. *Dicitur* Vallum & vallus, Vallum *munimentum est, ex aggesta terra, quæ propriè agger dicitur, & sudibus sive palis, qui propriè dicuntur valli, cohibetur.*

Armis Vulcani: *Qualia Achilles habuit.*

Mille carinis: *Tot habuisse dicuntur Græci, Trojam expugnaturi. Absque his, inquit, confido me superaturum Trojanos.*

Tenebras & inertia furta: *Non insidiis, ut Græci, rem agemus; sed palàm, luce media, igni muros circumdabimus. De nocturno furto Palladii Trojani, facto*

Esse putent, decimum quos distulit Hector in annum.
Nunc adeò, melior quoniam pars acta diei:
Quod superest, læti bene gestis corpora rebus
Procurate, viri; & pugnam sperate parati.
Intereà vigilum excubiis obsidere portas
Cura datur Messapo, & mœnia cingere flammis.
Bis septem Rutuli, muros qui milite servent,
Delecti: Ast illos centeni quémque sequuntur,
Purpurei cristis juvenes auróque corusci.
Discurrunt, variántque vices, fusique per herbam
Indulgent vino, & vertunt crateras ahenos.
Collucent ignes: noctem custodia ducit
Insomnem ludo.
Hæc super è vallo prospectant Troës, & armis
Alta tenent: necnon trepidi formidine portas
Explorant: pontésque & propugnacula jungunt:
Tela gerunt. Instant Mnestheus acérque Serestus:

Quos

facto ab Ulysse, & Diomede Æn. 2. 166. Equi: *De equo Trojano, & Græcis eo inclusis. Æn. 2. 260.*

Hector: *Qui decimo tandem obsidionis Trojanæ anno ab Achille occisus est.*

Corpora procurate: *Reficite corpora, & parati expectate prælium.*

Cingere flammis: *Accensis ab excubitoribus, ne Trojani in nocte erumperent rebus desperatis, & aufugerent.*

Milite servent: *Qui observent muros cum militibus.*

Vertunt crateras: *Exhauriunt pocula.*

Pontes & propugnacula: *Pontes, & scalas quibus*

Quos pater Æneas, si quando adversa vocarent,
Rectores juvenum & rerum dedit esse magistros.
Omnis per muros legio sortita periclum
Excubat, exercétque vices, quod cuíque tuendum est.
Nisus erat portæ custos, acerrimus armis,
Hyrtacides; comitem Æneæ quem miserat Ida
Venatrix, jaculo celerem levibúsque sagittis:
Et juxtà comes Euryalus, quo pulchrior alter
Non fuit Æneadum, Trojana nec induit arma;
Ora puer primâ signans intonsa juventâ.
His amor unus erat, paritérque in bella ruebant.
Tunc quoque communi portam statione tenebant.
Nisus ait: Diíne hunc ardorem mentibus addunt
Euryale? an sua cuíque Deus fit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid jam dudum invadere magnum
Mens agitat mihi; nec placidâ contenta quiete est.
Cernis, quæ Rutulos habeat fiducia rerum:
Lumina rara micant: somno vinóque soluti
Procubuère; silent latè loca. Percipe porro

Quid

bus turres & munimenta inter se committebantur, ut possent obsessi discurrere,

Nisus Hyrtacides: *Ac dein Euryalus, par amicorum, ut Pylades & Orestes. De Niso & Euryalo Æneidos,* 5.

Ida venatrix. *Vel mater Nisi, nomine* Ida, *vel mons* Ida, *quæ dicitur venatrix, quia venatoribus frequens, unde Nisus originem duxit.*

An sua cuíque &c. *An verò unusquisque, id quod valde vult, divino impulsu se sibi fingit velle?*

Quid dubitem, & quæ nunc animo sententia surgat:
Æneam acciri omnes, populúsque, patrésque,
Exposcunt: mittíque viros, qui certa reportent.
Si tibi, quæ posco, promittunt (nam mihi facti
Fama sat est) tumulo videor reperire sub illo
Posse viam ad muros & mœnia Pallantea.
Obstupuit magno laudum perculsus amore
Euryalus, simul his ardentem affatur amicum:
Méne igitur socium summis adjungere rebus,
Nise, fugis? solum te in tanta pericula mittam?
Non ita me genitor bellis assuetus Opheltes
Argolicum terrorem inter Trojæque labores
Sublatum erudiit: nec tecum talia gessi,
Magnanimum Ænean & fata extrema secutus.
Est hic, est animus lucis contemptor; & istum
Qui vitâ bene credat emi, quò tendis, honorem.
Nisus ad hæc: equidem de te nil tale verebar,

Nec

Quid dubitem. *Quid mediter, quid deliberem facere: omnis enim deliberatio cum dubitatione conjuncta est.*

Si tibi quæ posco: *Si Proceres Trojani tibi se soluturos promiserint, quæ poscam expeditionis bujus præmia, nam mihi facti fama sat est &c. Ego ibo, & tu hîc feres facti præmia.*

Argolicum. *Græcum ab urbe* Argis.

Sublatum: *Educatum, susceptum inter motus Græcorum, & bella Trojæ.*

De te nil tale verebar: *Nil tale de te timebam, quale suspicaris: nempe ne timidus esses, cùm inter bella natus & educatus sis &c.*

Non:

Nec fas: non; ita me referat tibi magnus ovantem
Juppiter, aut quicunque oculis hæc aspicit æquis.
Sed si quis (quæ multa vides discrimine tali)
Si quis in adversum rapiat casúsve Deúsve,
Te superesse velim: tua vitâ dignior ætas.
Sit, qui me raptum pugnâ, pretióve redemptum
Mandet humo solitâ; aut, si qua id fortuna vetabit,
Absenti ferat inferias, decorétque sepulcro.
Neu matri miseræ tanti sim causa doloris:
Quæ te sola, puer, multis è matribus ausa
Prosequitur; magni nec mœnia curat Acestæ.
Ille autem: causas nequicquam nectis inanes,
Nec mea jam mutata loco sententia cedit:
Acceleremus, ait. Vigiles simul excitat: illi

Suc-

Non: *Distinguendum, ut initium jurisjurandi sit;*

Ita me referat: *Sic magnus Jupiter, aut quisquis Deus considerat hæc nostra justis oculis, reducat me tibi victorem; ut verum dico.*

Raptum pugnâ: *Ut sit aliquis, qui de more mandet corpus meum tumulo, ereptum, & subductum à prælio, pecuniáque redemptum.*

Absenti ferat inferias; *Si cadaver meum haberi non possit, saltem honorarium mihi sepulchrum struat,* inferátque *sepulchro dona, quæ ideò* inferiæ *dicuntur: aquam, lac, mel, vinum, sanguinem, & aliquando etiam exsectos capillos.*

Mœnia Acestæ. *Urbem apud Siculos conditam Trojanis mulieribus, & regi Siciliæ Acestæ commendatam, nam aliæ mulieres ibi remanserant. Æn. 5. 755.*

Succedunt, ſervántque vices: ſtatione relictâ
Ipſe comes Niſo graditur, regémque requirunt.
Cætera per terras omnes animalia ſomno
Laxabant curas, & corda oblita laborum:
Ductores Teucrûm primi, & delecta juventus,
Conſilium ſummis regni de rebus habebant:
Quid facerent, quíſve Æneæ jam nuntius eſſet.
Stant longis adnixi haſtis, & ſcuta tenentes,
Caſtrorum & campi medio. Tum Niſus, & unâ
Euryalus, confeſtim alacres admittier orant:
Rem magnam, pretiúmque moræ fore. Primus Iülus
Accepit trepidos, ac Niſum dicere juſſit.
Tunc ſic Hyrtacides: audite ô mentibus æquis
Æneadæ: néve hæc noſtris ſpectentur ab annis,
Quæ ferimus. Rutuli ſomno vinóque ſepulti
Conticuêre: locum inſidiis conſpeximus ipſi,
Qui patet in bivio portæ, quæ proxima ponto.
Interrupti ignes, atérque ad ſidera fumus
Erigitur. Si fortunâ permittitis uti:
Quæſitum Æneam ad mœnia Pallantea,
Mox hîc cum ſpoliis, ingenti cæde peractâ,
Affore cernetis. Nec nos via fallit euntes:
Vidimus obſcuris primam ſub vallibus urbem

Regémque requirunt: *Regis filium, Aſcanium Principem.*

Pretiúmque moræ. *Se quidem interrumpere conſilia, quæ tum habebantur, iiſque moram afferre; ſed utilitatem aliquam in hac mora eſſe futuram.*

Trepidos. *Feſtinantes, ſuprà v.* 114.

Primam ſub vallibus urbem. *Vicinas urbis Pallanteæ valles, qui primi ſunt urbis veluti aditus: urbs enim ipſa erat in monte.*

Venatu assiduo, & totum cognovimus amnem.
Hìc annis gravis atque animi maturus Alethes:
Dii patrii, quorum semper sub numine Troja est,
Non tamen omnino Teucros delere paratis,
Cùm tales animos juvenum & tam certa tulistis
Pectora. Sic memorans, humeros dextrásque tenebat
Amborum, & vultum lacrymis atque ora rigabat.
Quæ vobis, quæ digna, viri pro talibus ausis
Præmia posse rear solvi? pulcherrima primùm
Dii morésque dabunt vestri: tum cætera reddet
Actutum pius Æneas, atque integer ævi
Ascanius, meriti tanti non immemor unquam.
Immò ego vos, cui sola salus genitore reducto,
Excipit Ascanius, per magnos, Nise, Penates,
Assaracíque Larem, & canæ penetralia Vestæ,
Obtestor: quæcunque mihi fortuna fidésque est,
In vestris pono gremiis: revocate parentem,
Reddite conspectum: nihil illo triste recepto.
Bina dabo argento perfecta atque aspera signis

Po-

Certa pectora: *Firma, fortia.*

Dii, morésque: *Nam virtus, & rectè factorum conscientia, sibi ipsa præmium est.*

Integer ævi: *Integri ævi, id est, adolescens, cui ætas integra superest.*

Penates, Assaracíque &c. *Penates* & Lar, *Dii domestici.* Vesta, *Dea igni inextincto præsidens. De qua, uti & de Laribus Æn l. 5. v. 744.* Assaracus *familiæ caput, Troïs filius, Æneæ proavus.*

Aspera signis: *Insculpta signis & per cælaturam ad asperitatem quandam facta.*

Pocula : devictâ genitor quæ cepit Arisbâ :
Et tripodas geminos, auri duo magna talenta :
Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.
Si verò capere Italiam sceptrísque potiri
Contigerit victori, & prædæ ducere sortem :
Vidisti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus ? ipsum illum clypeum cristásque rubentes
Excipiam sorti, jam nunc tua præmia, Nise,
Præterea bis sex genitor lectissima matrum
Corpora, captivósque dabit, suáque omnibus arma :

In-

Arisbâ. *Urbe Troadis, à Trojanis expugnata paulò ante bellum Græcum circa Abydum & Lampsacum, Propontidem versùs.*

Tripodas : *De quibus Æn. 5. 110.*

Duo magna talenta : *Talentum apud varias nationes varium erat, & diversi pretii. Communiter unum argenti talentum conficiebat 800 flor. Hîc insuper dicitur talentum* auri, & talentum magnum.

Cratera antiquum : *Hoc est, antiquo opere factum, quem mihi dedit Sidonia Dido.*

Prædæ ducere sortem : *Si mihi victori obtigerit Italia, & sors prædæ trahenda ; è sortitione illa eximam Turni clypeum & cristas rubras, tibique dabo.* Excipiam sorti. *Extra sortem tibi dabo ; nec in sortitionem prædæ mittentur, sed tibi extra ordinem cedent.*

Jam nunc : *Quæ jam nunc est tua merces, Nise ; vel quæ jam nunc excipiam.*

Lectissima matrum : *Captivas fœminas duodecim ; & captivos totidem alios, cum armis eorum propriis.*

In-

Insuper id campi, quod rex habet ipse Latinus.
Te verò, mea quem spatiis propioribus ætas
Insequitur, venerande puer, jam pectore toto
Accipio, & comitem casus complector in omnes.
Nulla meis sine te quæretur gloria rebus:
Seu pacem, seu bella geram: tibi maxima rerum
Verborúmque fides. Contra quem talia fatur
Euryalus: me nulla dies tam fortibus ausis
Dissimilem arguerit: tantùm fortuna secunda,
Haud adversa cadat. Sed te super omnia dona
Unum oro. Genitrix Priami de gente vetustâ
Est mihi: quam miseram tenuit non Ilia tellus
Mecum excedentem, non mœnia regis Acestæ,

Insuper id campi: *Mos fuerat, ut viris fortibus pro bonore daretur aliqua publici agri particula; sic agrum obtinuit deinde Tarquinius Romæ in campo Martio. Niso promittitur non totum quidem Latini regnum, sed campus quidam, qui erat in privatis Latini bonis.*

Te verò: *Te Euryale, cui ætas mea succedit spatio viciniore, omni affectu excipio, & adjungo socium in omnes eventus, tecum omne communicabo consilium.*

Me nulla dies: *Nunquam degenerabo à tam audacibus cœptis; & quoad vixero, dabo operam, ut hanc tuam non frustrer expectationem. Tantummodo mibi contingat sors prospera, & non funesta; id est, boc tentato facinore conservem vitam.*

Priami de gente: *Mater mea est ex antiqua stirpe Priami.*

Hanc ego nunc, ignaram hujus quodcunque pericli est,
Inque salutatam linquo: nox & tua testis
Dextera, quòd nequeam lacrymas perferre parentis.
At tu, oro, solare inopem, & succurre relictæ.
Hanc sine me spem ferre tui: audentior ibo
In casus omnes. Perculsâ mente dederunt
Dardanidæ lacrymas; ante omnes pulcher Iülus;
Atque animum patriæ strinxit pietatis imago.
Tum sic effatur:
Spondeo digna tuis ingentibus omnia cœptis.
Námque erit ista mihi genitrix, noménque Creüsæ
Solum defuerit: nec partum gratia talem
Parva manet, casus factum quicunque sequetur.
Per caput hoc juro, per quod pater antè solebat:
Quæ tibi polliceor reduci, rebúsque secundis;
Hæc eadem matríque tuæ generíque manebunt.
Sic ait illacrymans: humero simul exuit ensem
Auratum, mirâ quem fecerat arte Lycaon

Creusæ. *Matris Ascanii, conjugis Æneæ, de qua Æn. 2. 772. fuit hæc filia Priami & Hecubæ.*

Nec partum &c. *Nec levis favor debetur illi, matri tuæ, quòd pepererit talem filium, quicunque eventus sequatur hoc factum.*

Per quod pater antè. *Caput intelligit suum, quod ut sibi carissimum attestari solebat Æneas antè, id est, vel* olim *Trojæ, cùm Ascanius puer esset; vel* priùsquàm *abiret ad Evandrum. Caput enim quasi sacrum reverebantur veteres; unde per illud jurabant.*

Lycaon Gnossius. *Artifex nobilis ex urbe Gnosso in Creta insula: ubi arma singulari arte fabricabantur.*

Gnossius, atque habilem vaginâ aptârat eburnâ.
Dat Niso Mnestheus pellem, horrentísque leonis
Exuvias: galeam fidus permutat Alethes.
Protinus armati incedunt, quos omnis euntes
Primorum manus ad portas juvenúmque senúmque
Prosequitur votis: necnon & pulcher Jülus,
Ante annos animúmque gerens curámque virilem,
Multa patri portanda dabat mandata: sed auræ
Omnia discerpunt, & nubibus irrita donant.
Egressi superant fossas, noctísque per umbram
Castra inimica petunt: multis tamen antè futuri
Exitio. Passim vino somnóque per herbam
Corpora fusa vident: arrectos littore currus
Inter lora rotásque viros, simul arma jacere,
Vina simul. Prior Hyrtacides sic ore locutus:
Euryale, audendum dextrâ: nunc ipsa vocat res.

Sed auræ: *Promissa & mandata, quæ exitum non habent, Poëtæ dicere consueverunt à* ventis discerpi.

Nubibus irrita donant: *Ad Æneam non perventura; quorum scilicet nuntii interjerint, magnisque ausis exciderint.*

Superant fossas: *Transgrediuntur.*

Antè futuri &c. *Vel* antequam ipsi moriantur, *quod subobscurè tantùm significat. Vel* antequam ad castra hostium perveniant: *& sic dicendum, inter urbem & castra spatium fuisse, ubi discurrebant illi, qui propiùs admoti muris à Turno fuerant, & jam vino sepulti in gramine decubuerant.*

Vina simul: *Hoc est, vasa vini, dolia, scyphos.*

Hàc iter eſt: tu, nequa manus ſe attollere nobis
A tergo poſſit, cuſtodi, & conſule longè
Hæc ego vaſta dabo, & lato te limite ducam.
Sic memorat, vocémque premit: ſimul enſe ſuperbum
Rhamnetem aggreditur, qui fortè tapetibus altis
Extructus, toto proflabat pectore ſomnum:
Rex idem, & regi Turno gratiſſimus augur;
Sed non augurio potuit depellere peſtem.
Tres juxtà famulos temerè inter tela jacentes,
Armigerúmque Rhemi premit, aurigámque ſub ipſis
Nactus equis, ferróque ſecat pendentia colla.
Tum caput ipſi aufert domino, truncúmque relinquit
Sanguine ſingultantem: atro tepefacta cruore
Terra toríque madent: necnon Lamyrúmque Lamúmque
Et juvenem Serranum; illâ qui plurima nocte

Lu-

Hæc ego vaſta dabo: *Ego vaſtabo iſta loca*, & *ducam te per ſpatioſam viam.*

Superbum: *Quia nempe* tapetibus altis extructus, *in toro tapetibus circumornato ſtertebat.*

Rex idem &c. *Rex ſacrorum*, *rex ſacrificulus*, *nam aliquem ex patriciis Romæ poſteà eligebant ſacrorum regem, ad quem morem videtur alludere Virgilius.*

Peſtem. *Rem quamcunque exitialem*, *ut alibi monuimus. Hîc* mortem, *alibi* incendium &c.

Temerè: *Paſſim*; *negligenter*, *ſecurè.*

Premit: *Opprimit*, *occidit.* Sub ipſis equis. *Circa ipſos equos.* Pendentia colla: *Quaſi ebriorum; aut ita jacentium*, *ut colla penderent.*

Plurima luſerat. *Plurimùm: neutrum plurale*

pro

Luſerat, inſignis facie, multóque jacebat
Membra Deo victus: felix, ſi protinus illum
Æquâſſet nocti ludum, in lucémque tuliſſet.
Impaſtus ceu plena leo per ovilia turbans,
(Suadet enim veſana fames) mandítque trahítque
Molle pecus, mutúmque metu: fremit ore cruento.
Nec minor Euryali cædes: incenſus & ipſe
Perfurit, ac multam in medio ſine nomine plebem,
Fadúmque Hebeſúmque ſubit, Rhœtúmque, Abarímque,
Ignarus: Rhœtum, vigilantem & cuncta videntem;
Sed magnum, metuens, ſe poſt cratera tegebat:
Pectore in adverſo totum cui cominus enſem

Con-

pro adverbio.

Membra Deo victus. *Baccho, quem Deum ſimpliciter nuncupavit etiam Æn.* 1. 640. munera lætitiámque Dei.

Turbans: *Tumultuans in ovili pleno devorat & lacerat pecudes teneras, & ſilentes præ timore.*

Sine nomine plebem: *Sine gloria, & dignitate, quorum propter humilitatem ignota ſunt nomina.*

Subit ignaros: *Aggreditur dormientes, & rerum inſcios, improvidos.*

Rhœtum vigilantem: *Hic ſolo timore periit; qui nec clamare, nec ire contrà auſus eſt.*

Poſt cratera: *Tanquam clypeum. De magno, & vaſto quondam cratere, quem ſublatum Theſeus in Eurytum certaturum jecit, vide Metamorph. l.* 12.

Multa

Condidit assurgenti, & multâ morte recepit.
Purpuream vomit ille animam, & cum sanguine mista
Vina refert moriens: hic furto fervidus instat.
Jámque ad Messapi socios tendebat, ubi ignem
Deficere extremum, & religatos ritè videbat
Carpere gramen equos: breviter cùm talia Nisus,
(Sensit enim nimiâ cæde atque cupidine ferri:)
Absistamus, ait: nam lux inimica propinquat.
Pœnarum exhaustum satis est: via facta per hostes.
Multa virûm solido argento perfecta relinquunt
Armáque, craterásque simul, pulchrósque tapetas,
Euryalus phaleras Rhamnetis, & aurea bullis
Cingula: Tiburti Remulo ditissimus olim

Quæ

Multa morte recepit: *Vel eduxit multo cruore stillantem: vel non eduxit nisi post certam* (multam) *mortem.*

Purpuream animam. *Locutio ex veterum quorundam opinione, qui præcipuam animæ sedem statuebant in sanguine, animámque esse ipsum sanguinem etiam nonnulli putabant.*

Furto fervidus instat. Furtum *vocat vel spoliationem cadaverum, & armorum direptionem; vel cædem ipsam furtim & tacitè editam: furtum quippe est, quidquid occultè patratur.*

Phaleras &c. aurea bullis cingula. *Phaleræ, sunt ornamenta equorum.* Cingula, *baltei;* bullæ *clavorum aureorum quædam capita cingulis affixa: Ob similitudinem ita dicta*, à bullis, *quæ in aquis* ebullientibus *excitantur.*

Tiburti Remulo: *Quæ munera* Cædicus *opu-*
len-

Quæ mittit dona, hoſpitio cùm jungeret abſens,
Cædicus: ille ſuo moriens dat habere nepoti:
Poſt mortem bello Rutuli pugnàque potiti:
Hæc rapit, atque humeris nequicquam fortibus aptat.
Tum galeam Meſſapi habilem criſtíſque decoram
Induit. Excedunt caſtris, & tuta capeſſunt.
Interea præmiſſi equites ex urbe Latina,
Cætera dum legio campis inſtructa moratur,
Ibant & Turno regi reſponſa ferebant,
Tercentum, ſcutati omnes Volſcente magiſtro.

Jám-

lentiſſimus miſerat quondam Remulo Tiburtino, *cùm abſens vellet eum ſociare hoſpitio: ille*, Remulus, *moriens dedit poſſidenda nepoti ſuo: ſed poſt Remuli mortem Rutuli obtinuerunt ea tempore belli, ceu ſpolia; nunc ab Euryalo hæc reperta ſunt munera apud* Rhamnetem *Rutulum.*

Necquicquam: *Non fruiturus diu, periturus ſcilicet. Et conjungendum*: Necquicquam aptat: *non*: necquicquam fortibus.

Galeam Meſſapi: *Non occiſi Meſſapi abſtulit galeam (nam dimicaturus eſt paulò pòſt) ſed invenit jacentem, & ſuſtulit.* Habilem, *commodam, & inſignem criſtis.*

Ex urbe Latina: *Laurento. Æn.* 7.63. Legio: *Peditatus, cui tardior inceſſus, quàm equitibus. Mittebatur ab Amata Laurenti Regina legio ad Turnum duce Volſcente; ſed equitatus, utpote expeditior, fuerat præmiſſus.*

Muró-

Jámque propinquabant castris, muróque subibant;
Cùm procul hos lævo flectentes limite cernunt:
Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra
Prodidit immemorem, radiísque adversa refulsit.
Haud temere est visum, conclamat ab agmine Volscens;
State, viri: quæ causa viæ? quíve estis in armis?
Quóve tenetis iter? nihil illi tendere contrà;
Sed celerare fugam in sylvas, & fidere nocti.
Objiciunt equites sese ad divortia nota
Hinc atque hinc, omnémque aditum custode coronant.
Sylva fuit latè dumis atque ilice nigrâ
Horrida, quam densi complêrant undique sentes:
Rara per occultos ducebat semita calles.
Euryalum tenebræ ramorum onerosáque præda
Impediunt, fallíque timor regione viarum.
Nisus abit: jámque imprudens evaserat hostes;
Atque locos, qui pòst Albæ de nomine dicti

Al-

Muróque subibant. *Accedebant ad munimenta castrensia.*

Ilice nigra: *Ilex, arbor glandifera.* Nigra. *Opaca, umbrosa.*

Fallíque timor: *Metus aberrandi à recto spatio itineris.*

Imprudens: *Non providens amico Euryalo.*

Locos, qui pòst Albæ &c. *Jam elapsus erat Nisus ex illis agris, qui deinde vocati sunt* Albani, *de nomine* Albæ. *Tum rex Latinus illic habebat alta stabula.*

Nec

Albani: tum rex stabula alta Latinus habebat,
Ut stetit, & frustra absentem respexit amicum:
Euryale infelix, qua te regione reliqui?
Quáve sequar? rursùs perplexum iter omne revolvens
Fallacis sylvæ, simul & vestigia retrò
Observata legit, dumísque silentibus errat:
Audit equos, audit strepitus, & signa sequentûm.
Nec longum in medio tempus, cùm clamor ad aures
Pervenit: ac videt Euryalum; quem jam manus omnis,
Fraude loci & noctis, subito turbante tumultu,
Oppressum rapit & conantem plurima frustrà.
Quid faciat? qua vi juvenem, quibus audeat armis
Eripere? an sese medios moriturus in hostes
Inferat, & pulchram properet per vulnera mortem?
Ociùs adducto torquens hastile lacerto,
Suspiciens altam Lunam, sic voce precatur:
Tu Dea, tu præsens nostro succurre labori,
Astrorum decus, & nemorum Latonia custos,
Siqua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit; si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendíve tholo, aut sacra ad fastigia fixi:

Hunc

Nec longum in medio &c. *Nec longum tempus abiit, illo intervallo, quando clamor attigit aures; & cernit Euryalum,* fraude, *id est difficultate loci & noctis obscuritate, tumultúque subito oppressum & captivum trahi.*

Latonia custos: *Luna, Diana, à Latona matre. G. 3. 6.*

Tholo. *Media ac suprema pars est tecti, in formam scuti brevis, in qua trabes coëunt; unde est quasi fornicis, ut ajunt, clavis.*

Præ-

Hunc sine me turbare globum, & rege tela per auras,
Dixerat: & toto connixus corpore ferrum
Conjicit: hasta volans noctis diverberat umbras,
Et venit adversi in tergum Sulmonis, ibíque
Frangitur, ac fisso transit præcordia ligno.
Volvitur ille, vomens calidum de pectore flumen
Frigidus, & longis singultibus ilia pulsat.
Diversi circumspiciunt. Hoc acrior idem
Ecce aliud summâ telum librabat ab aure.
Dum trepidant: it hasta Tago per tempus utrumque
Stridens, trajectóque hæsit tepefacta cerebro.
Sævit atrox Volscens, nec teli conspicit usquam
Auctorem: nec quò se ardens immittere possit;
Tu tamen interea calido mihi sanguine pœnas
Persolves amborum, inquit. Simul ense recluso
Ibat in Euryalum. Tunc verò exterritus, amens
Conclamat Nisus: nec se celare tenebris
Ampliùs, aut tantum potuit perferre dolorem:
Me, me, adsum qui feci: in me convertite ferrum
O Rutuli, mea fraus omnis: nihil iste, nec ausus,
Nec potuit; cælum hoc & conscia sidera testor.

Præcordia. *Græcis* διάφραγμα, *membranæ sunt* prætensæ cordi: *suprà sunt cor & pulmones; infrà jecur & lien.* Ilia *sunt partes imi ventris, circa summas coxas.*

Telum librabat ab aure. *Gestus jaculantis exprimitur.*

Persolves amborum: *Sulmonis, & Tagi jam occisorum ab ignota manu.*

Me, Me; adsum: *Abrupta ex animi perturbatione sententia. Me, me occidite &c. Rutulos promiscue pro hostibus appellat, quanquam hi erant Latini.*

Tantùm infelicem nimiùm dilexit amicum.
Talia dicta dabat: sed viribus ensis adactus
Transadigit costas, & candida pectora rumpit.
Volvitur Euryalus leto, pulchrósque per artus
It cruor, inque humeros cervix collapsa recumbit.
Purpureus veluti cùm flos succisus aratro
Languescit moriens: lassóve papavera collo
Demisêre caput, pluvia cùm forte gravantur.
At Nisus ruit in medios, solúmque per omnes
Volscentem petit, in solo Volscente moratur:
Quem circum glomerati hostes hinc comminus atque hinc
Proturbant: instat non segniùs, ac rotat ensem
Fulmineum: donec Rutuli clamantis in ore
Condidit adverso, & moriens animam abstulit hosti.
Tum super exanimem sese projecit amicum
Confossus, placidâque ibi demum morte quievit.
Fortunati ambo! si quid mea carmina possunt,

Nul-

Volscentem petit; *Appetit. Petitiones enim proprie dicimus impetus & ictus gladiatorum.* Moratur. *Perseverat.*

Proturbant; *Premunt hinc atque hinc, avertúntque.*

Rutuli clamantis: *Donec in os Volscentis Rutuli, ex opposito sibi stantis, gladium immisit, & ipse confossus ab hostibus, moriens simul eripuit animam vitámque Volscenti.*

Fortunati ambo: *Poëta & Nisi, & Euryali mortem non luctu aut misericordia, sed felicitatis testimonio prosequitur.*

Nulla dies unquam memori vos eximet ævo:
Dum domus Æneæ Capitolî immobile saxum
Accolet, Imperiúmque pater Romanus habebit.
Victores prædâ Rutuli spoliísque potiti,
Volscentem exanimem flentes in castra ferebant.
Nec minor in castris luctus, Rhamnete reperto
Exangui, & primis unâ tot cæde peremptis,
Serranóque, Numáque: ingens concursus ad ipsa
Corpora, seminecésque viros, tepidâque recentem
Cæde locum, & plenos spumanti sanguine rivos.
Agnoscunt spolia inter se, galeámque nitentem
Messapi, & multo phaleras sudore receptas.
Et jam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile:
Jam sole infuso, jam rebus luce retectis,
Turnus in arma viros, armis circumdatus ipse,

Sui

Domus Æneæ Capitolî. *Roma urbs ab Æneæ posteris fundata, in Palatino monte primùm; deinceps ad alios producta montes sex, præcipuè Capitolinum Palatino vicinum, ubi arx & templum Jovis.* Immobile saxum *vocat, alluditque ad æternitatem Romani Imperii.*

Pater Romanus. *Vel* Augustus, *vel* Senatus Romanus, *vel potiùs* Romulus, *gentis Romanæ conditor & pater.*

Agnoscunt spolia &c. *Quæ Rutilis eripuerant Nisus & Euryalus, & quæ iterum ex iis receperant equites Volscentis.*

Tithoni. *Auroræ conjugi. V. Æn. 4. 585.*

Æneadæ

Suscitat, æratásque acies in prælia cogit
Quisque suos, varisque acuunt rumoribus iras.
Quin ipsa arrectis, visu miserabile, in hastis
Præfigunt capita, & multo clamore sequuntur,
Euryali & Nisi.
Æneadæ duri murorum in parte sinistra
Opposuère aciem, nam dextera cingitur amni:
Ingentésque tenent fossas, & turribus altis
Stant mœsti: simul ora virûm præfixa videbant,
Nota nimis miseris, atróque fluentia tabo.
Intereà pavidam volitans pennata per urbem
Nuntia fama ruit, matrísque adlabitur aures
Euryali: ac subitus miseræ calor ossa reliquit:
Excussi manibus radii, revolutáque pensa:
Evolat infelix, & fœmineo ululatu,
Scissa comam, muros amens atque agmina cursu
Prima petit: non illa virûm, non illa pericli,
Telorúmque memor cælum dehinc questibus implet:
Hunc ego te, Euryale, aspicio? túne illa senectæ
Sera meæ requies? potuisti linquere solam,
Crudelis? nec te sub tanta pericula missum
Affari extremùm miseræ data copia matri?

Æneadæ duri: *Laboribus assueti.*

Radii &c. *Instrumenta textoria.* Pensa, *telæ, quæ priùs involutæ, jam ea surgente revolvuntur. De* Penso *G.* 1. 390.

Senectæ sera meæ requies: *Spes mea futura, requies senectæ meæ, solatium meum.*

Affari extremum: *Romani mortuos statim post obitum inclamabant; tum post funus ter dicto* Vale *relinquebant.*

Heu! terrâ ignotâ, canibus data præda Latinis
Alitibúsque, jaces! nec te, tua funera, mater
Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi,
Veste tegens, tibi quam noctes festina diésque
Urgebam, & telâ curas solabar aniles.
Quò sequar? aut quæ nunc artus avulsáque membra
Et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te,
Nate, refers? hoc sum terráque maríque secuta?
Figite me, siqua est pietas: in me omnia tela
Coniicite, ô Rutuli: me primam absumite ferro.
Aut tu, magne pater Divûm, miserere, tuóque
Invisum hoc detrude caput sub Tartara telo:
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.
Hoc fletu concussi animi, mœstúsque per omnes
It gemitus: torpent infractæ ad prælia vires,
Illam incendentem luctus Idæus & Actor,

Ilio-

Produxi: *Nec ego mater protuli te ante ædes, ut curatrix tui funeris?*

Tibi quam noctes: *In qua veste tibi elaboranda dies noctésque festinans consumebam, & textu telæ leniebam molestias senectutis meæ.*

Funus lacerum: *Cadaver dilaniatum.*

Invisum hoc caput: *Me.* *De* Tartaro, *imis inferis, Æn.* 6. 134.

Infractæ vires: *Fractæ, tardæ, languidæ.*

Incendentem luctus: *Excitantem fletus & dolores inter milites, monente Ilioneo & Julo referunt domum suis manibus.*

Idæus & Actor: *Nomina personarum.*

Te-

Ilionei monitu & multùm lacrymantis Iüli,
Corripiunt, intérque manus sub tecta reponunt.
At tuba terribilem sonitum procul ære canoro
Increpuit: sequitur clamor, cælúmque remugit.
Accelerant actâ pariter testudine Volsci,
Et fossas implere parant, ac vellere vallum:
Quærunt pars aditum, & scalis ascendere muros:
Quâ rara est acies, interlucétque corona
Non tam spissa viris. Telorum effundere contrà
Omne genus Teucri, ac duris detrudere contis,
Assueti longo muros defendere bello
Saxa quoque infesto volvebant pondere, siquà
Possent tectam aciem perrumpere: cùm tamen omnes
Ferre libet subter densa testudine casus.
Nec jam sufficiunt: nam quà globus imminet ingens.
Immanem Teucri molem volvúntque ruúntque,
Quæ stravit Rutulos latè, armorúmque resolvit
Tegmina: nec curant cæco contendere Marte

Am-

Testudine &c. *Milites erant densati in globum, consertis supra capita clypeis, ut sic ad muros tutiùs accederent. De ea Æn. 2. 441. De Volscis Æn. 7. 803.*

Vallum: *Munimentum ex palis, & aggesta terra. Suprà v. 142.*

Ruúntque: *Impellunt, projiciunt, ut Æn. 1. 39.* Spumas salis ære ruebant.

Cæco Marte: *Quia latebant sub testudine, tecti & inumbrati clypeis.*

Ampliùs audaces Rutuli; sed pellere vallo
Missilibus certant.
Parte alia horrendus visu quassabat Etruscam
Pinum, & fumiferos infert Mezentius ignes.
At Messapus, equûm domitor, Neptunia proles,
Rescindit vallum, & scalas in mœnia poscit,
Vos, o Calliope, precor aspirate canenti;
Quas ibi tum ferro strages, quæ funera Turnus
Ediderit, quem quisque virum demiserit Orco:
Et mecum ingentes oras evolvite belli:
Et meministis enim, Divæ, & memorare potestis.
Turris erat vasto suspectu & pontibus altis,
Opportuna loco: summis quam viribus omnes

Ex-

Etruscam pinum &c. ignes. *Vel ignitam facem è pinu, pingui arbore: vel manu altera facem, alterâ hastam pineam.*

Calliope: *Musas omnes invocat, sed præcipuè Calliopen heroici carminis præsidem, de qua Ecl. 4. 57. Numorum singularem cum plurali sic conjunxit Tibullus l. 3. 6. 55.* Nobis inimica merenti. *Et alii Poëtæ.*

Oras belli. *Oræ sunt extremæ partes vestium, quæ quia in ambitum excurrunt, hîc sumuntur pro toto circuitu, ambitu, ac serie belli.*

Vasto suspectu: *Alta suspicientibus.*

Pontibus. *Turres multis contabulationibus erigebantur, è quarum infimis ascensus erat ad summas: hæc ipsa tabulata, vel eorum scalæ,* pontes *hîc dicuntur.*

Opum

Expugnare Itali summâque evertere opum vi
Certabant: Troes contrà defendere saxis,
Pérque cavas densi tela intorquere fenestras.
Princeps ardentem coniecit lampada Turnus,
Et flammam affixit lateri: quæ plurima vento
Corripuit tabulas & postibus hæsit adesis.
Turbati tredidare intus, frustráque malorum
Velle fugam: dum se glomerant, retróque residunt
In partem, quæ peste caret; tum pondere turris
Procubuit subito, & cælum tonat omne fragore.
Semineces ad terram, immani mole secutâ,
Confixíque suis telis, & pectora duro
Transfossi ligno, veniunt. Vix unus Helenor,
Et Lycus elapsi: quorum primævus Helenor,
Mæonio regi, quem serva Lycimnia furtim

Su-

Opum vi. *Enniana locutio, pro*, omni industria, virtute, instrumentis.

Lampada. *Lampades hîc appellantur ignita quæcunque missilia, ex stupa, pice, & resina: quæ compacta simul, & mucronibus uncísque, & hamis ferreis armata, ut ligneis præsertim munimentis adhærerent, vel manu, vel aliquando etiam machinis intorquebantur.*

Hæsit adesis: *Non jam adesis, sed quos exedit adhærendo, id est hæsitans adedit; vel adesos reddidit.*

Peste caret: *Incendio: ut*

Et toto descendit corpore pestis,

Id est, flamma. Vide suprà v. 328.

Mæonio regi. *Regi Mæonum, qui deinde Lydi dicti sunt.* Serva Lycimnia, furtim sustulerat,

clàm

Suſtulerat, vetitíſque ad Trojam miſerat armis:
Enſe levis nudo, primâque inglorius albâ.
Iſque ubi ſe Turni media inter millia vidit;
Hinc acies, atque hinc acies aſtare Latinas:
Ut fera, quæ densâ venantûm ſepta coronâ
Contra tela furit, ſeſeque haud neſcia morti
Injicit, & ſaltu ſuprà venabula fertur;
Haud aliter juvenis medios moriturus in hoſtes
Irruit; & quà tela videt denſiſſima, tendit.
At pedibus longè melior Lycus, inter & hoſtes,
Inter & arma fugâ muros tenet; altáque certat
Prendere tecta manu, ſociûmque attingere dextras.
Quem Turnus pariter curſu, telóque ſecutus,
Increpat his victor: noſtráſne evadere, demens,
Sperâſti te poſſe manus? ſimul arripit ipſum
Pendentem, & magna muri cum parte revellit.

Quæ-

clàm & illegitimo concubitu pepererat.

Vetitis armis. *Vel contra juſſa Deorum, & fati, Trojanis contrarii, vel contra morem Romanorum, quem etiam fingit fuiſſe tum Trojanorum, ut ne ſervi militiæ nomen darent.*

Parmáque inglorius albâ. *Helenor iſte nudum clypeum geſtat, tum quia juvenis nihildum patravit laude dignum, unde facti alicujus inſignia præferret in clypeo deſcripta: tum quia furtivo concubitu ex ſerva editus, paternam originem jactare prohibetur.*

Fugâ muros tenet: *Inter hoſtes, & inter arma ſibi imminentia fugiens evadit in muros.*

Jovis

Qualis ubi aut leporem, aut candenti corpore cycnum
Sustulit alta petens pedibus Jovis armiger uncis:
Quæsitum aut matri multis balatibus agnum
Martius à stabulis rapuit lupus. Undique clamor
Tollitur: invadunt, & fossis aggere complent:
Ardentes tædas alii ad fastigia jactant.
Ilioneus saxo atque ingenti fragmine montis,
Lucetium, portæ subeuntem, ignésque ferentem
Emathiona Liger, Chorinæum sternit Asylas:
Hic jaculo bonus, hic longè fallente sagittâ,
Ortygium Cæneus, victorem Cænea Turnus:

Tur-

Jovis armiger: *Aquila Jovis armigera dicta, quòd sublime volet, nec unquam fulmine exanimetur; vel quia dicitur in bello gigantum Aquila Jovi arma ministrâsse. Sic Turnus corripit Lycum, uti aquila unguibus falcatis abripit aut leporem, aut cygnum.*

Quæsitum aut matri: *Aut quemadmodum lupus,* Martius, *Marti dicatus, sæpe eripuit è stabulis agnum, quæsitum à matre multis balatibus.*

Tædas. *Pinguia ligna picis plena, ex quibus ubertim pix profluit, & facile ignem concipiunt.*

Lucetium &c. *Sequuntur nomina propria virorum.*

Longè fallente: *Sagitta eminus missa, non animadvertitur, neque ita facilè declinatur.*

 Pro

Turnus Ityn, Cloniúmque, Dioxippum, Promulúmque,
Et Sagarim, & summis stantem pro turribus Idam:
Privernum Capys, hunc primò levis hasta Themillæ
Strinxerat: ille manum projecto tegmine demens
Ad vulnus tulit: ergo alis allapsa sagitta,
Et lævo infixa est lateri manus, abditáque intus
Spiramenta animæ letali vulnere rupit.
Stabat in egregiis Arcentis filius armis,
Pictus acu chlamydem, & ferrugine clarus Iberâ,
Insignis facie: genitor quem miserat Arcens,
Eductum Martis luco, Simethia circùm

Pro turribus: *Pro defensione turrium, aut: defendentem turres.*

Projecto tegmine demens: *Abjecto clypeo tulit inconsultus manum ad plagam.*

Alis alapsa sagitta: *Pennata & volucris sagitta, subitò allapsa manum affixit lateri sinistro, & occulta intùs penetravit mortifero ictu pulmones, quibus respirat anima.*

Pictus acu chlamydem: *Habens chlamydem Phrygiam.* Chlamys, *militaris vestis. V. Æn.* 4. 137.

Ferrugine Ibera: *Ferrugo color est politi ferri, in nigrum tendens. Talis memoratur fuisse color purpuræ Ibericæ nigricantis.*

Simethia circùm flumina: *Arcentis filius erat educatus in sylva Martis, circa Simethum fluvium, qui in Sicilia.*

Pin-

Flumina, pinguis ubi & placabilis ara Palici,
Stridentem fundam positis Mezentius armis
Ipse ter adductâ circum caput egit habenâ:
Et media adversi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multâ porrectum extendit arenâ.
Tum primùm bello celerem intendisse sagittam
Dicitur, antè feras solitus terrere fugaces,
Ascanius: fortémque manu fudisse Numanum,
Cui Remulo cognomen erat; Turníque minorem
Germanam, nuper thalamo sociatus, habebat.
Is primam ante aciem digna atque indigna relatu
Vociferans, tumidúsque novo præcordia regno

Ibat,

Pinguis ubi: *Ubi est opima, & benigna Ara Palici.* Pinguis *ara, quia dona plurima ad hanc aram congesta.* Placabilis: *Quia ibi asylum fugitivorum servórum, cùm à dominis inclementiùs haberentur.* Palici: *Erant duo fratres hujus nominis, Jovis filii, & Thaliæ Nymphæ. De quibus Macrobius.*

Stridentem fundam: *Mezentius posuit arma, & stridentem fundam impulit, loro ter rotatò circa caput, & calefacto plumbo medium caput oppositi juvenis discidit, prostravítque eum in arena. Plumbum nimio rotatu jactatum, & aëris attritione celerique motu accenditur, & liquefit.*

Digna atque indigna: *Ut dicimus, fanda & nefanda.*

Novo regno. *Affinitate regia. Græci enim, quorum imitatores Latini, regum filios, fratrésque & affines appellabant reges.*

Bis

Ibat, & ingenti sese clamore ferebat:
Non pudet obsidione iterum vallóque teneri,
Bis capti Phryges, & morti prætendere muros?
En qui nostra sibi bello connubia poscunt!
Quis Deus Italiam, quæ vos dementia adegit?
Non hîc Atridæ: nec fandi fictor Ulysses:
Durum à stirpe genus. Natos ad flumina primùm
Deferimus, sævóque gelu duramus & undis.
Venatu invigilant pueri, sylvásque fatigant:
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.
At patiens operum parvóque assueta juventus,
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne ævum ferro teritur, versâque juvencûm

Bis capti. *Ab Hercule, & à Græcis. Vel potiùs, à Græcis, cùm Troja incensa est, & jam à Latinis, in hac nova Troja.*

Quis Deus Italiam: *Ad, vel in Italiam.*

Non hîc Atridæ: *Atrei filii, Agamemnon & Menelaus, Græci, & hostes ad Trojam.*

Fandi fictor Ulysses: *Fallax & versutus; de quo Æn. 2. 7.*

Durum à stirpe genus: *Se & suos intelligit. Gens nostra fortis est ab ipsa origine. Ut primùm nati sunt infantes, gelidis undis fluviorum induramus.*

Venatu. *Dativus contractus, pro venatui.*

Parvóque assueta: *Juventus contenta tenui victu.*

Versásque juvencûm. *Aramus armati; nec stimulis aut flagris; sed extrema hastæ parte boves arantes incessimus.*

Vo-

Terga fatigamus hastâ. Nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutátque vigorem.
Caniciem galeâ premimus: sempérque recentes
Convectare juvat prædas, & vivere rapto.
Vobis picta croco & fulgenti murice vestis:
Desidiæ cordi: juvat indulgere choreis:
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.
O verè Phrygiæ, neque enim Phryges! ite per alta
Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum.

Tym-

Vobis picta. *Vos Phryges estis molles homines. Vid. Æn.* 4. 216.

Fulgenti murice: *Purpurâ.*

Tunicæ manicas: *Tunica vestis virorum interior, cui respondet mulierum stola. Erat primùm sine manicis; deinde crescente luxu ad primores usque manus digitósque provecta est, quod mollitiei fuit, & à Cicerone vitio vertitur Catilinæ sociis.*

Redimicula mitræ. *Mitra, pileum erat muliebre, incurvum, baccis insigne, ac redimiculis, vinculísque, quibus mento subligabatur.*

Dindyma &c. *Phrygia universa sacra fuit Cybele, matri Deûm. In ea montes Dindymus, Berecynthus, & Ida. Dindymus sic dictus, quòd sit* δίδυμος geminus, *sive* gemello vertice. *Plural.* Dindyma.

Biforem dat tibia &c. *Tibia Musicum instrumentum flatu personum: sic dicta, quia e gruum, hinnulorum, aliorúmque animalium cavis tibiis primò formata*

mata

Tympana vos buxúsque vocat Berecynthia matris
620 Idææ: finite arma viris, & cedite ferro.
Talia jactantem dictis, ac dira canentem
Non tulit Ascanius: nervóque obversus equino
Contendit telum: diversáque brachia ducens,
Constitit antè Jovem supplex per vota precatus:
625 Juppiter omnipotens, audacibus annue cœptis.
Ipse tibi ad tua templa feram solemnis dona:
Et statuam ante aras auratâ fronte juvencum
Candentem, paritérque caput cum matre ferentem;

Jam

mata est: inde è buxo atque ebore. Biforem, *quæ duo habebat foramina, sonúmque acutiorem, & molliorem. Nam olim tibia pauca habuit foramina, & plerúmque unum; sed Phryges adbibebant præter tibiam cum uno foramine, simul alteram cum duobus foraminibus, præcipuè in sacris Cybeles.*

Tympana: *Tympanum est pellis, vel corium ligno extensum; pulsabatur apud veteres manibus & digitis. Adhibebatur ad sacra Cybeles.*

Buxus: *Etiam accipitur pro tibia.* Berecynthia: *Berecynthus mons Phrygiæ, Phryges autem inventores tibiæ Buxeæ, quæ* Elymos *dicebatur.*

Nervo equino. *Nervi arcuum ex equorum setis fieri solebant.*

Diversáque brachia: *Distrahens brachia sejuncta, stetit, priùs supplex obsecrans Jovem.*

Paritérque caput; *Staturâ matri æqualem.*

Jam

Jam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.
Audiit, & cæli genitor de parte serena
Intonuit lævùm: Sonat unà letifer arcus:
Et fugit horrendùm stridens elapsa sagitta,
Pérque caput Remuli venit, & cava tempora ferro
Trajicit, I, verbis virtutem illude superbis.
Bis capti Phryges hæc Rutulis responsa remittunt.
Hæc tantùm Ascanius: Teucri clamore sequuntur,
Lætitiâque fremunt, animósque ad sidera tollunt,
Ætheria tum fortè plagâ crinitus Apollo
Desuper Ausonias acies urbémque videbat,
Nube sedens: atque his victorem affatur Jülum:
Macte novâ virtute, puer, sic itur ad astra;
Diis genite, & geniture Deos: jure omnia bella

Gens

Jam cornu petat : *Qui jam alium impetat suo cornu.*

Intonuit lævùm : *Bonum omen. Ecl.* 1. 16.

Crinitus Apollo ; *Comatus, elegantibus capillis.*

Macte. *Mactus, quasi* mauctus, *id est, magis auctus. Sic herba adulta dicta est à Catone* macta, *quia* aucta: *bostiæ quoque* mactæ, *quia molâ, & thure spargebantur, & quasi cumulabantur*, augebantúrque, *ante sacrificium: unde* mactare *pro cadere, dictum fuit. Diis ipsis in sacrificiis acclamabant:* macte hocce vino inferio esto, macte hacce dape esto, *quia sacrificiis augeri eorum felicitatem putabant. Cicero dixit* mactare aliquem honoribus. *Plautus* mactare infortunio.

Jure omnia bella : *Cuncta bella per fatum oritura*

Gente sub Assaraci fato ventura resident:
Nec te Troja capit. Simul hæc effatus, ab alto
Æthere se mittit, spirantes dimovet auras,
Ascaniúmque petit: forma tum vertitur oris
Antiquum in Buten. Hic Dardanio Anchisæ
Armiger antè fuit, fidúsque ad limina custos:
Tum comitem Ascanio pater addidit. Ibat Apollo
Omnia longævo similis, vocémque, colorémque,
Et crines albos, & sæva sonoribus arma:
Atque his ardentem dictis affatur Jülum:
Sit satis, Æneide, telis, impunè Numanum
Oppetiisse tuis: primam hanc tibi magnus Apollo

tura quiescent, sedabuntur meritò sub posteritate Assaraci; id est, tua. Nam Æneas ab Assaraco ortus. V. Æn. 1. 288.

Nec te Troja capit: *Sic Philippus Macedoniæ rex ad Alexandrum:* Quære tibi regnum par; non enim te capit Macedonia. *De nova Troja intellige. Æn.* 7. 157.

Spirantes dimovet auras: *Spirabilem, & Vitalem, quo spiramus, aërem dissecat, & tendit ad Ascanium; hoc est, è nube ad Ascanium tendit, & vultu ac specie mutatur in Buten, servum atriensem, & armigerum olim Anchisæ, nunc comitem Ascanii.*

Dardanio Anchisæ. *Versus spondaicus cum hiatu diphtongi longæ, more Græcorum.*

Sæva sonoribus arma: *Strepitu terribilia.*

Ardentem: *Desiderio dimicandi.*

Æneide. *Vocativus patronymicus ab Æneides.*

Oppetiisse: *Occubuisse tuâ sagittâ, absque tuo damno.*

Pa-

Concedit laudem, & paribus non invidet armis.
Cætera parce, puer, bello. Sic orsus Apollo,
Mortales medio aspectus sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
Agnovêre Deum proceres, divináque tela
Dardanidæ, pharetrámque fugâ sensêre sonantem.
Ergo avidum pugnæ dictis ac numine Phœbi
Ascanium prohibent: ipsi in certamina rursus
Succedunt, animásque in aperta pericula mittunt:
It clamor totis per propugnacula muris.
Intendunt acres arces, amentáque torquent.
Sternitur omne solum telis: tum scuta cavæque
Dant sonitum flictu galeæ, pugna aspera surgit.

Quan-

Paribus armis. *Non invidet æquali gloriæ in jacienda sagitta. Nam Apollo puer sagittis serpentem Pythona confixit, ut matrem defenderet; quemadmodum Ascanius hic Numanum, ut patriam ulciscatur.*

Dardanidæ: *Principes Trojani cognoverunt Deum, & sagittas divinas, & audiverunt pharetram sonantem, dum abiret. Signa Dei præsentis hæc erant, sonitus pharetræ & sagittarum in aëre auditus, abeunte Apolline.*

Amenta. *Hastas, quæ circa medium amento, id est, loro alligatæ erant, quo implicata manus, æquabili quasi impetu certiùs hastam librabat.*

Flictu: *Pro inflictu, vel allisu, id est, ictu.*

Quantus ab occasu veniens pluvialibus hœdis
Verberat imber humum: quàm multâ grandine nimbi
In vada præcipitant, cùm Juppiter horridus Austris
Torquet aquosam hyemem, & cœlo cava nubila rumpit.
Pandarus & Bitias, Idæo Alcanore creti:
Quos Jovis eduxit luco sylvestris Hiera,
Abjetibus juvenes patriis & montibus æquos:
Portam, quæ ducis imperio commissa, recludunt,
Freti armis, ultróque invitant mœnibus hostem.
Ipsi intus, dextrâ ac lævâ, pro turribus astant,
Armati ferro, & cristis capita alta corusci.
Quales aëriæ liquentia flumina circùm,

Quantus ab occasu: *Telorum grandinem pluviæ comparat, quæ copiosa cadit sub signo pluvialium Hœdorum, & quando* Juppiter horridus: *sive Aër ventis meridionalibus concitatus cælo emittit tempestatem pluviosam.*

Hœdis. *Stellis duabus Astri, cui nomen* Erichtonius *vel* Auriga, *quarum ortus procellosus habetur.* Auster, *meridionalis & pluvius ventus.*

Pandarus & Bitias. *Transitio ad pulcherrimum facinus duorum Trojanorum, quos describit à parentibus, & loco educationis. Pater illorum Alcanor. Patria erat mons Troadis Ida, ubi Cybele colebatur, ac ipse etiam Jupiter. Nomen matris* Hiera; *Juvenes æquales abjetibus, & montibus patriæ suæ.*

Abjetibus: *Abies arbor. Quatuor syllabæ breves in dactylum compressæ.*

Quales: *Ita firmi stabant, ut duæ quercus circa liquidos fluvios Padum & Athesin.*

Pa-

Sive Padi ripis, Athesin seu propter amœnum,
Consurgunt geminæ quercus, intonsáque cælo
Attollunt capita, & sublimi vertice nutant,
Irrumpunt, aditus Rutuli ut vidêre patentes.
Continuò Quercens, & pulcher Equicolus armis,
Et præceps animi Tmarus, & Mavortius Hæmon,
Agminibus totis aut versi terga dedêre,
Aut ipso portæ posuêre in limine vitam.
Tum magis increscunt animis discordibus iræ:
Et jam collecti Troës glomerantur eódem,
Et conferre manum & procurrere longiùs audent.
Ductori Turno diversa in parte furenti,
Turbantíque viros perfertur nuntius: hostem
Fervere cæde novâ, & portas præbere patentes.
Deserit inceptum, atque immani concitus irâ

Padi &c. *Padus sive Eridanus*, Le Po, *fluvius Italiæ maximus.* Athesis *post Padum maximus, ex Tridentinis alpibus per Venetos in mare Hadriaticum influit.*

Quercens, Equicolus, Tmarus, Hæmon, *Duces Rutuli & Itali.* Mavortius: *Bellicosus.*

Agminibus totis: *Vel repulsi objecêre terga totis hostium turmis, vel amiserunt vitam in ipso aditu portæ.*

Animis discordibus: *Infensis.*

Collecti Troës. *Tanti facti exemplo animati Trojani densabantur ad portam; remotáque trepidatione omni, & egredi longiùs audebant, & alios comminùs provocare.*

Dardanîam ruit ad portam, fratrésque superbos,
Et primùm Antiphaten, is enim se primus agebat,
Thebana de matre nothum Sarpedonis alti,
Conjecto sternit jaculo: volat Itala cornus
Aëra per tenuem, stomachóque infixa sub altum
Pectus abit: reddit specus atri vulneris undam
Spumantem, & fixo ferrum in pulmone tepescit.
Tum Meropem atque Erymantha manu, tum sternit Aphydnum:
Tum Bitian ardentem oculis animísque frementem:
Non jaculo, neque enim jaculo vitam ille dedisset;
Sed magnum stridens contorta falarica venit
Fulminis acta modo, quam nec duo taurea terga.

Nec

Dardaniam portam: *Trojæ novæ.*

Thebana de matre. *Ex urbe Thebes in minore Asia oriundum. Nam plures sunt Thebæ, in Ægypto, in Bœotia, in Thessalia.* Nothum: *Non legitimo conjugio susceptum filium.*

Itala cornus: *Telum de Itala cornu factum.*

Specus atri vulneris: *Poëtica exaggeratio pro hiatu & cavitate vulneris.*

Undam spumantem. *Sanguinem undatim, id est, magnâ copiâ in rivos erumpentem.*

Falarica. *Oblonga hasta, teres, præterquam ad extremum, ubi ferrum extabat quadratum, tres longum pedes, ut cum armis transfigere corpus posset.*

Taurea terga: *Pro Taurina: Non clypeus ex duplici taurino tergore valuit sustinere; nec lorica ex laminis aureis squamarum in morem conserta.* Squamæ *autem sunt loricarum catenæ in modum squamæ compositæ.*

Et

Nec duplici squama lorica fidelis & auro
Sustinuit: collapsa ruunt immania membra:
Dat tellus gemitum, & clypeum super intonat ingens,
Qualis in Euboico Bajarum littore quondam
Saxea pila cadit, magnis quam molibus antè
Constructam jaciunt ponto: sic illa ruinam
Prona trahit, penitúsque vadis illisa recumbit:
Miscent se maria, & nigræ attolluntur arenæ:
Tum sonitu Prochyta alta tremit, durúmque cubile
Inarime Jovis imperiis imposta Typhoëo.
Hic Mars armipotens animum virésque Latinis
Addidit, & stimulos acres sub pectore vertit:
Immisitque fugam Teucris, atrúmque timorem.

Et clypeum super intonat: *Et grandis Bitias tonat cadens super clypeum. Qualis agger saxeus aliquando cadit in Cumano Bajarum littore cum ingenti sonitu ac tremore.*

Euboico Bajarum &c. *Bajæ, locus in Campania tepidis aquarum fontibus nobilis.*

Saxea pila: *Moles ex saxo, latere, cæmento, ligneísque pilis jacta, eductáque ad arcendum mare, & tutandos portus.*

Miscent se maria: *Maria turbantur, intra molem & extra se effundunt aquæ, ac refunduntur; è maris fundo nigræ arenæ eriguntur. Insulæ & montes tremunt.*

Prochyta &c. *Vel* Prochyte, *hodie* Procita, *parva & aspera insula Tyrrheni maris.*

Inarime: *Ad meridiem Prochytæ, multò amplior in-*

Undique conveniunt: quoniam data copia pugnæ,
Bellatórque animo Deus incidit.
Pàndarus, ut fuso germanum corpore cernit,
Et quo sit fortuna loco, qui casus agat res;
Portam vi multâ converso cardine torquet,
Obnixus latis humeris: multósque suorum,
Mœnibus exclusos, duro in certamine linquit:
Ast alios secum includit, recipítque ruentes:
Demens! qui Rutulum in medio non agmine regem
Viderit irrumpentem, ultróque incluserit urbi:
Immanem veluti pecora inter inertia tigrim.
Continuò nova lux oculis effulsit, & arma
Horrendùm sonuêre: tremunt in vertice cristæ
Sanguineæ, clypeóque micantia fulgura mittit.

Agno-

sula, fertilitate nobilis, olim Pithecusa, *&* Ænaria *etiam dicta, nunc* Ischia*: solo concavo & sulfureo, qualis est totus ille tractus; ignis eruptionibus olim sæpè infesta; unde Homerus Jovem commentus est hanc impacto fulmine injecisse giganti Typhoëo, qui ab Hesiodo describitur anguineis capitibus centum instructus, iisque flammas eructantibus, Terræ & Tartari filius.*

Undique conveniunt; *Itali concurrunt undecunque, siquidem occasio, apertis portis, pugnandi concessa est ipsis à Trojanis, & Deus bellicosus eorum animos subiit.*

Obnixus. *Connisus, conabundus.*

Demens. *Poëta alloquitur Pandarum, qui non agnoverit in media multitudine regem Rutulum irruentem, & ultrò clauserit in urbe, quasi crudelem tigrim inter ignavas pecudes.*

Continuò nova lux: *Tanta fuit inter cæteros diffi-*

Agnoscunt faciem invisam atque immania membra
Turbati subitò Æneadæ, tum Pandarus ingens
Emicat, & mortis fraternæ fervidus irâ
Effatur: non hæc dotalis regia Amatæ,
Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.
Castra inimica vides: nulla hinc exire potestas.
Olli subridens sedato pectore Turnus:
Incipe, si qua animo virtus, & consere dextram:
Hîc etiam inventum Priamo narrabis Achillem.
Dixerat: ille rudem nodis & cortice crudo
Intorquet, summis adnixus viribus, hastam,
Excepêre auræ vulnus: Saturnia Juno
Detorsit veniens, portæque infigitur hasta.
At non hoc telum, mea quod vi dextera versat,

Effu-

dissimilitudo Turni, ut illum formâ corporis, & armorum qualitate quivis posset agnoscere.

Dotalis regia Amatæ. *Laurentum, urbs regia Latini: cujus uxor Amata, Turno favens, Laviniam ipsi regnúmque in dotem tradere conabatur.*

Ardea: *Neque hæc est Ardea, tua regia.*

Hîc etiam inventum &c. *Manu mea cæsus, nuntius ibis Priamo; & narrabis te incidisse in alterum Achillem, id est, Turnum.*

Ille: *Pandarus*, Rudem nodis, *non levem nec pulchram, sed fortem.* Cortice crudo. *Scabro, aspero.*

Excepêre auræ: *Aër excepit ictum, & destinatum Turno vulnus Juno detorsit, deflexit, ita ut hasta portæ inhæserit.*

At non, *inquit Turnus, tu mea hæc arma evitabis;*

Effigies: neque enim is teli nec vulneris auctor,
Sic ait, & sublatum altè consurgit in ensem:
Et mediam ferro gemina inter tempora frontem
Dividit, impubésque immani vulnere malas.
Fit sonus, ingenti concussa est pondere tellus:
Collapsos artus atque arma cruenta cerebro
Sternit humi moriens: atque illi partibus æquis
Huc caput atque illuc humero ex utroque pependit.
Diffugiunt versi trepidâ formidine Troës,
Et si continuò victorem ea cura subîsset,
Rumpere claustra manu, sociósque immittere portis;
Ultimus ille dies bello gentíque fuisset.
Sed furor ardentem cædisque insana cupido
Egit in adversos.
Principio Phalarim, & succiso poplite Gygen
Excipit: hinc raptas fugientibus ingerit hastas
In tergum: Juno vires animúmque ministrat.
Addit Halyn comitem, & confixâ Phegea parmâ:

Igna-

bis; nam non idem est auctor armorum; se intelligit meliorem, fortiorémque.

Impubésque malas: *Genas adhuc imberbes.*

Et si continuò: *Si Turno in animum venisset statim portas reserare; si tam uti victoriâ, quàm vincere novisset &c.*

Hinc raptas: *Deinde ereptas &c. Raptas autem de hostium cadaveribus hastas intelligit, vel quas in fuga trepidi hostes abjecerunt.*

Confixâ parmâ: *Transfixerat hastâ Turnus parmam junctim, & corpus Phegei.*

Mar-

Ignaros deinde in muris, Martémque cientes,
Alcandrúmque, Haliúmque, Noëmonáque, Prytanimque.
Lyncea tendentem contrà, sociósque vocantem,
Vibranti gladio connixus ab aggere dexter
Occupat; huic uno dejectum cominus ictu
Cum galea longè jacuit caput: inde ferarum
Vastatorem Amycum, quo non felicior alter
Ungere tela manu, ferrúmque armare veneno:
Et Chlytium Æoliden, & amicum Cretea Musis:
Cretea Musarum comitem; cui carmina semper
Et citharæ cordi, numerósque intendere nervis?
Semper equos atque arma virûm, pugnásque canebat.
Tandem ductores auditâ cæde suorum
Conveniunt Teucri: Mnestheus acérque Serestus:
Palantésque vident socios, hostémque receptum.

Et

Martémque cientes: *Pugnam agitantes.*

Tendentem contrà: *In se facientem impetum.*

Connixus ab aggere dexter. *Cùm contrà tenderet Lynceus, Turnus sinistro latere innixus aggeri, dextra manu in dextrum quoque Lyncei latus incurrit.*

Ferarum Vastatorem: *Venatorem.*

Felicior: *Peritior.*

Ungere tela &c. *Medicatis & venenatis herbis imbuere barbarico more.*

Æoliden: *Ex Æoli familia.*

Amicum Musis: *Poëtam, carum Musis, socium Musarum, cui semper cantus & lyræ erant amori, & sonos edere chordis &c.*

 Orco.

Et Mnestheus: quò deinde fugam: quò tenditis? inquit,
Quos alios muros, quæ jam ultrà mœnia habetis?
Unus homo, vestris, ô cives, undique septus
Aggeribus, tantas strages impunè per urbem
Ediderit? juvenum primos tot miserit Orco?
Non infelicis patriæ, veterúmque Deorum,
Et magni Æneæ segnes miserétque pudétque?
Talibus accensi firmantur, & agmine denso
Consistunt. Turnus paulatim excedere pugnâ,
Et fluvium petere ac partem quæ cingitur amni.
Acriùs hoc Teucri clamore incumbere magno,
Et glomerare manum. Ceu sævum turba leonem
Cùm telis premit infensis: at territus ille
Asper, acerba tuens, retrò redit: & neque terga
Ira dare aut virtus patitur; nec tendere contrà,
Ille quidem hoc cupiens potis est per tela virósque.
Haud aliter retrò dubius vestigia Turnus
Improperata refert, & mens exæstuat irâ.
Quin etiam bis tum medios invaserat hostes.

Orco. *Inferorum Deo. Accipitur autem interdum pro ipso inferno; interdum pro Plutone, ut à Cicerone de Nat. Deorum 3.*

Fluvium petere; *Tyberim.*

Acriùs hoc Teucri: *Cùm eum decedentem viderent.*

Neque terga: *Neque solet apertè fugere propter iram & pudorem; nec potest, licèt cupiat, in venantes impetum facere. De voce* potis est *Æn.* 3. 671.

Improperata: *Absque festinatione.*

Agmina

Bis conversa fugâ per muros agmina vertit.
Sed manus è castris properè coit omnis in unum;
Nec contrà vires audet Saturnia Juno
Sufficere: aëriam cælo nam Juppiter Irim
Demisit, germanæ haud mollia jussa ferentem;
Nî Turnus cedat Teucrorum mœnibus altis.
Ergo nec clypeo juvenis subsistere tantùm,
Nec dextrâ valet: injectis sic undique telis
Obruitur. Strepit assiduo cava tempora circùm
Tinnitu galea, & saxis solida æra fatiscunt:
Discussæque jubæ capiti, nec sufficit umbo
Ictibus: ingeminant hastis & Troës, & ipse
Fulmineus Mnestheus: tum toto corpore sudor
Liquitur; & piceum, nec respirare potestas,
Flumen agit: fessos quatit æger anhelitus artus.
Tum demum Præceps saltu sese omnibus armis

In

Agmina vertit: *Vertit in fugam turmas in se conversas.*

Saturnia Juno. *Rejicit in Deos, quod tamen erat in viribus Turni.* Sufficere. *Subministrare.*

Germanæ: *Junoni*: Haud mollia jussa: *Minas, nî cedat Turnus.*

Jubæ &c. *Equinæ jubæ, unde cristæ galearum.*

Umbo. *Umbo ἄμβων, est quidquid in plano eminet rotundâ figurâ. Talis erat media pars eminens in clypeo. Itaque sumitur pars pro toto clypeo.*

Piceum flumen. *Sudor est pulveri commistus, picis instar nigrescens, & adhærens cuti.*

Præceps saltu. *Sub Turni persona videtur pulcherrimum Cæsaris Dictatoris facinus celebrare, qui bello Alexandrino ab hostibus cinctus, armatus de ponte in*

sub-

In fluvium dedit: ille suo cum gurgite flavo
Accepit venientem, ac mollibus extulit undis:
Et lætum sociis abluta cæde remisit.

subjectum mare desiluit, ac ducentis passibus ad proximam navem adnavit, leva manu sublata, quâ libellos habuit, ne madidi corrumperentur; mordicùs paludamentum trahens, ne hostis spolio potiretur.

Abluta cæde. *Quia cæde contaminati, aquâ se abluere solebant.*

P. VIR-

P. VIRGILII M.

ÆNEIDOS

LIBER X.

ARGUMENTUM.

Jupiter advocato Deorum concilio, frustra conatus Junonem ac Venerem in concordiam adducere, de Trojanorum Rutulorúmque rebus inter se dissidentes: pronuntiat se neutrarum partium fore; sed fatis omnia permissurum. Rutuli ad oppugnandam, Trojani ad defendendam urbem redeunt. Æneas dies aliquot in Etruria commoratus, collectis inde auxiliis ad suos redit, triginta navium classe auctus. Nymphas, è suis navibus eam in speciem paulò antè transformatas, in itinere obvias habet. Ab iis de suorum periculo certior factus: sub primam lucem provectus

ctus in conspectum hostium, exercitum in littus exponit. Occurrunt Rutuli: commissóque gravi certamine, Pallas à Turno occiditur: cujus necem cùm ulcisceretur Æneas magnâ strage, & Ascanius eruptione factâ copias suas paternis adjunxisset; Juno Turnum præsenti periculo eripit, objectâ illi falsâ Æneæ imagine: quam ille fugientem ad usque navem dum sequitur, retinaculis à Junone ruptis, ad littora Ardeæ proxima vi tempestatis abripitur. Mezentius pugnæ pro Turno succedens, & filius Mexentii Lausus, ab Ænea occiduntur.

PAnditur interea domus omnipotentis Olympi:
Conciliúmque vocat Divûm pater atque hominum rex
Sideream in sedem: terras unde arduus omnes,
Castráque Dardanidum aspectat, populósque Latinos.
5 Considunt tectis bipatentibus, incipit ipse:
Cælicolæ magni, quianam sententia vobis
Versa retro? tantúmque animis certatis iniquis?

Ab-

Tectis bipatentibus. *Ubi janua est biforis, quæ in dextram lævámque aperitur, ortum & occasum.*

Quianam: *Cur? quare?* Versa retrò? *Mutata?*

Abnueram bello Italiam concurrere Teucris:
Quæ contra vetitum discordia? quis metus, aut hos,
Aut hos arma sequi, ferrúmque lacessere suasit?
Adveniet justum pugnæ, ne accersite, tempus:
Cùm fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum atque Alpes immittet apertas.
Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit.

ta? Cur immemores estis meæ sententiæ, qua prohibueram, ne Itali Trojanis obstarent. Vel: cur mutâstis ipsi sententiam vestram, quâ statueratis neutris partibus favere?

Ne accersite: *Nolite bellorum tempora præoccupare. Quasi dicat Jupiter: Nemo mihi objiciat, quòd faveam Trojanis, eósque illæsos velim. Adveniet tempus præscriptum fatis; quo eorum posteri gravibus & ipsi cladibus afficientur ab Annibale, & Carthaginiensibus.*

Carthago. *Significat bella Punica à Carthaginensibus tergesta cum Romanis.* Carthago *urbs Africæ totius celeberrima, Romaníque imperii aliquamdiu æmula, condita à Didone.*

Exitium &c. atque Alpes immittet apertas. *Figurata locutio, pro* immittet exitium per alpes apertas: *vel potiùs* immittet alpes, *id est*, alpinos populos. *Aperuit autem sibi alpes Annibal maximo labore, adesis aceto, atque igne rupibus. Lege Livium l.* 21. 36.

Tum certare: *Tum licebit, ut Trojani, seu Romani eorum posteri pareant odiis, atque deprædationi hostium.*

Ætolis

Nunc finite, & placitum læti componite fœdus.
Jupiter hæc paucis: at non Venus aurea contrà
Pauca refert.
O pater, ô hominum Divûmque æterna potestas,
(Námque aliud quid fit, quod jam implorare queamus)
Cernis ut insultent Rutuli? Turnúsque feratur
Per medios insignis equis, tumidúsque secundo
Marte ruat? non clausa tegunt jam mœnia Teucros:
Quin intrà portas, atque ipsis prælia miscent
Aggeribus murorum, & inundant sanguine fossæ.
Æneas ignarus abest. Nunquámne levari
Obsidione fines? muris iterum imminet hostis
Nascentis Trojæ, nec non exercitus alter:
Atque iterum in Teucros Ætolis surgit ab Arpis
Tydides. Equidem, credo, mea vulnera restant:
Et tua progenies mortalia demoror arma.

Si

Ætolis surgit ab Arpis: *Rursus Tydei filius, novus Diomedes ab Ætolia venit, & ab illa urbe, Arpis nempe, sive Argyripa, quam in Apulia condidit. Hinc enim auxilium petierat Turnus.*

Mea vulnera restant: *Ut possim denuo vulnerari. Respicit ad vulnus, quod olim acceperat à Diomede; cum enim Venus Æneam à Diomede lapidis ictu vulneratum, opposito peplo, è pugnæ periculo subduceret, à Diomede in vola manûs vulnerata est. Iliad. 5.*

Demoror arma. *Expectant, manent me arma hominis mortalis, quibus vulnerer.*

Eny

Si fine pace tua, atque invito numine Troës
Italiam petiêre; luant peccata, neque illos
Juveris auxilio: sin tot responsa secuti,
Quæ superi manésque dabant; cur nunc tua quisquam
Flectere jussa potest? aut cur nova condere fata?
Quid repetam exustas Erycino in littore classes?
Quid tempestatum regem, ventósque furentes
Æoliâ excitos, aut actam nubibus Irim?
Nunc etiam manes (hæc intentata manebat
Sors rerum) movet: & superis immissa repentè
Alecto medias Italûm bacchata per urbes.
Nil super Imperio moveor: speravimus ista,
Dum fortuna fuit: vincant, quos vincere mavis.
Si nulla est regio, Teucris quam det tua conjux
Dura: per eversæ, genitor, fumantia Trojæ
Excidia obtestor; liceat dimittere ab armis
Incolumem Ascanium, liceat superesse nepotem.

Æno-

Erycino in littore: *Quando mulieres Trojanæ tædio navigationis, naves Æneæ exusserunt, propè Erycem Siciliæ urbem & montem. Æn. 5.*

Æoliâ exitos. *Cùm Juno Æolum & ventos in Æneæ classem concitavit. Æn. 1.*

Irim. *Missam à Junone ad Trojanas mulieres, ut eas ad incendium navium concitaret.*

Alecto. *De qua Æn. 7. 324. & seq.*

Nil super imperio: *Non moveor ob regnum. Italiæ devictæ imperium speravimus olim felices: nunc sufficiet, si salvi evadere possimus.*

Æneas sanè ignotis jactetur in undis;
Et, quamcunque viam dederit fortuna, sequatur:
Hunc tegere, & diræ valeam subducere pugnæ.
Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atque Cythera,
Idaliæque domus: positis inglorius armis
Exigat hîc ævum: magna ditione jubeto
Carthago premat Ausoniam: nihil urbibus inde
Obstabit Tyriis. Quid pestem evadere belli
Juvit, & Argolicos medium fugisse per ignes?
Tótque maris vastæque exhausta pericula terræ,
Dum Latium Teucri recidivaque Pergama quærunt?
Non satiùs cineres patriæ insedisse supremos,
Atque solum, quo Troja fuit? Xanthum & Simoënta
Redde, oro, miseris: iterúmque revolvere casus
Da, pater, Iliacos Teucris. Tum regia Juno
Acta furore gravi: quid me alta silentia cogis

Rumpe

Amathus. *Amathus-untis, nunc Limisso, urbs in Cypro, Veneri sacra.* Paphos: Paphus, Baffo *urbs in Cypro insula, quæ tota Veneri sacra fuit.* Cythera orum: *Insula inter Peloponnesum & Cretam, nunc* Cerigo. Idaliæque domus; *Idalium quoque civitas erat Cypri.*

Ausoniam: *Italiam. Æn.* 7. 55. Obstabit. *Ab Ascanio certè Tyrii, sive Carthaginenses nihil timebunt.* Argolicos: *Græcos.* Latium: *Æn.* 7. 54. Teucri. *Æn.* 1. 239. Pergama. Arx Trojæ. *Æn.* 1. 470. Recidiva; *Caduca, rursus cadentia Æn.* 7. 322. Xanthus & Simois *Troadis fluvii Æn.* 1. 104. 477.

Ob-

Rumpere, & obductum verbis vulgare dolorem?
Æneam hominum quisquam Divûmque subegit
Bella sequi, aut hostem regi se inferre Latino?
Italiam petiit, fatis auctoribus, esto,
Cassandræ impulsus furiis. Num linquere castra
Hortati sumus, aut vitam committere ventis?
Num puero summam belli, num credere muros?
Tyrrhenámve fidem, aut gentes agitare quietas?
Quis Deus in fraudem, quæ dura potentia nostra
Egit? ubi hîc Juno demissáve nubibus Iris?
Indignum est; Italos Trojam circumdare flammis
Nascentem, & patriâ Turnum consistere terra;
Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater.

Obductum. *Celatum jam, & diuturna cicatrice coopertum.*

Cassandræ furiis. *Cassandra Priami filia fuit & vates. Prædixerat illa Anchisæ, Trojanos venturos in Italiam.*

Tyrrhenámve fidem &c. *Æneas Evandri consilio, Tarchontem & Tyrrhenos, à Mezentio rege diffidentes adierat, opem ab iis petiturus.*

Quis Deus? *Quo Deorum fato, aut mandato impulsus est in hoc periculum: An hîc Juno, aut Iris suam potentiam adhibuit?*

Pilumnus avus. *Erat Pilumnus inter antiquissimos Rutulorum reges, qui Jovem juxta aliquos patrem habuit. Ab hoc primo Pilumno, aut multi, aut omnes deinde Rutulorum Reges,* Pilumni *dicti sunt; & sic Æn. 9. v. 4. etiam Pilumnus dicitur parens Turni; hîc*

Quid face Trojanos atrâ vim ferre Latinis?
Arva aliena jugo premere, atque avertere prædas?
Quid soceros legere, & gremiis abducere pactas?
Pacem orare manu, præfigere puppibus arma?
Tu potes Æneam manibus subducere Grajûm,
Próque viro nebulam, & ventos obtendere inanes,
Et potes in totidem classem convertere Nymphas?
Nos aliquid Rutulos contrà juvisse nefandum est.
Æneas ignarus abest: ignarus & absit.
Est Paphos, Idaliúmque tibi, sunt alta Cythera:
Quid gravidam bellis urbem & corda aspera tentas?

Nósne

avus; & *infrà v.* 619. quartus pater, *id est*, abavus. *De Venilia genere nihil reperitur, nisi quòd erat Soror Amatæ, Latini uxoris: de ejusdem divinitate nihil, nisi quòd à Servio Nympha dicatur.*

Quid face? *Quid? quòd Latinos bello infestent, imperium affectent, prædentur arva &c. Hæc propter cervum, Tyrrhidásque lib.* 7. Atra face: *id est infesta, dira, noxia, quòd niger color infaustus sit.*

Soceros legere. Decipere: furtim accipere, & *quasi* suffurari: *unde dicitur* sacrilegus, *qui sacra furatur: quo sensu verbum compositum magìs est in usu* sublegere.

Tu potes Æneam: *Æneam Venus è Diomedis manibus eripuit, peplo, vel nebulâ pepli instar obductâ.*

Ignarus abest: *Irrisoriè, & contemptim. Nam ea, quæ solvere non possumus, irridemus, ut hoc loco.*

Urbem &c. *Laurentum, cujus imperium affectare Æneas videbatur.*

Nósne

Nósne tibi fluxas Phrygiæ res vertere fundo
Conamur? nos? an miseros qui Troas Achivis
Objecit? quæ causa fuit consurgere in arma,
Europámque, Asiámque, & fœdera solvere furto?
Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter?
Aut ego tela dedi, fovique cupidine bella?
Tunc decuit metuisse tuis: nunc sera querelis
Haud justis assurgis, & irrita jurgia jactas.
Talibus orabat Juno: cunctíque fremebant
Cælicolæ assensu vario: ceu flamina prima

Cùm

Nósne tibi fluxas: *An nos contendimus subruere à fundamentis res Phrygiæ molles, & fragiles, quæ possent etiam sine inimicis perire; vel: Ex se, & nemine impellente, aut etiam fato perituras.*

Troas Achivis objecit. *Parin significat, qui societatem & jura hospitiorum violavit: Helenam Menelai regis Spartani conjugem, apud quem hospitio exceptus erat, rapuit marito absente: imò si fides hîc est Junoni & Virgilio, per vim expugnatâ Spartâ id commisit.*

Furto? *Societatem & amicitiam dirimere per clandestinum amorem & adulterium.*

Dardanius. *Paris, è regia Dardani familia. Æn.* 1, 293.

Cupidine: *Amore mutuo Helenæ & Paridis. Cupido Veneris filius.*

Orabat: *Loquebatur.*

Flamina prima: *Flatus Ventorum inclusi sylvis primùm fremunt; & obscuros volvunt sonitus, id est*

Cùm deprensa fremunt sylvis, & cæca volutant
Murmura, venturos nautis prodentia ventos.
Tum pater omnipotens, rerum cui summa potestas,
Infit: eo dicente, Deûm domus alta silescit,
Et tremefacta solo tellus, silet arduus æther:
Tum Zephyri posuêre, premit placida æquora pontus.
Accipite ergo animis, atque hæc mea figite dicta.
Quandoquidem Ausonios conjungi fœdere Teucris
Haud licitum est, nec vestra capit discordia finem:
Quæ cuíque est fortuna hodie, quam quísque secat spem,
Tros Rutulúsve fuat, nullo discrimine habebo:
Seu fatis Italûm castra obsidione tenentur,

murmura cæca; & *nautæ intelligunt imminere ventos.*

Zephyri posuêre: *Flatus ventorum quievêre.*

Premit placida: *Premendo reddit placida.*

Secat spem: *Id est, tenet, sequitur spem; sic enim* secundus, & *secta derivantur à* sequendo. *dicuntúrque* sectæ *Philosophorum propria quædam instituta sequentium.* Alii *explicant*, secat, *id est*, dissecat, *ac proinde sumit. Qui enim quid desecat, sibi id sumit.*

Rutulúsve fuat. *Pro* fuerit, *futuri temporis, verbum defectivum.*

Seu fatis Italûm: *Sive malo fato Italorum obsidentur castra Trojæ; sive Trojani malo errore, & monitis adversis ad Italiam venerunt, neminem* solvo, *absolvo.*

Er-

Sive errore malo Trojæ, monitísque sinistris.
Nec Rutulos solvo. Sua cuíque exorsa laborem
Fortunámque ferent. Rex Juppiter omnibus idem.
Fata viam invenient. Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentes atráque voragine ripas,
Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.
Hic finis fandi: solio tum Juppiter aureo
Surgit: cælicolæ medium quem ad limina ducunt.
Interea Rutuli portis circùm omnibus instant
Sternere cæde viros, & mœnia cingere flammis,
At legio Æneadûm vallis obsessa tenetur,
Nec spes ulla fugæ. Miseri stant turribus altis
Nequicquam, & rarâ muros cinxêre coronâ,
Asius Imbracides, Hicetaoniúsque Thymœtes,
Assaracíque duo, & senior cum Castore Tybris,
Prima acies: hos germani Sarpedonis ambo,

Et

Errore: *Malè & sinistrè interpretati responsa & oracula.*

Sua cuíque exorsa: *Sua cuique acta & opera afferent aut cladem, aut victoriam; ut quisque sementem fecerit, ita metet: quod quisque intriverit, hoc erit illi exedundum.*

Ad limina. *Ex patenti aula, ubi habitum concilium fuerat, ad ipsius interioris domûs januam.*

Flammis: *Facibus ad incendia.*

Imbracides: *Filius Imbraci.* Hicetaoniúsque: *Filius Hicetaonis.*

Germani Sarpedonis ambo &c. *Fratres Sarpedonis, qui Lyciæ Rex, Jovis ex Laodamia filius, occisus est à Patroclo in obsidione Trojæ Æn.* 1. 104

Et Clarus, & Hæmon, Lycia comitantur ab alta,
Fert ingens toto connixus corpore saxum,
Haud partem exiguam montis, Lyrnessius Acmon,
Nec Clytio genitore minor, nec fratre Menesthêo.
Hi jaculis, illi certant defendere saxis:
Molirique ignem, nervóque aptare sagittas.
Ipse inter medios, Veneris justissima cura,
Dardanius caput ecce puer detectus honestum,
Qualis gemma micat, fulvum quæ dividit aurum,
Aut collo decus, aut capiti: vel quale per artem
Inclusum buxo, aut Oriciâ terebintho
Lucet ebur. Fusos cervix cui lactea crines
Accipit & molli subnectit circulus auro.
Te quoque magnanimæ viderunt, Ismare, gentes

Lyrnessius: *Ex urbe Phrygiæ* Lyrnesso, *non longè à Thebe.*

Molirique ignem: *Tentant & conantur jacere, atque hostibus injicere tædas ardentes.*

Dardanius puer: *Ascanius*; Detectus: *sine galea.* Honestum caput, *pulchrum.*

Qualis gemma micat: *Comparat Ascanium gemmæ auro inclusæ, & candidissimo ebori è terebintho elucenti.* Quæ dividit: *Auro scilicet inclusa, auro circumdata.*

Aut collo decus &c. *Monile, aut corona.*

Oricia terebintho. *Terebinthus, arbor est resinæ speciem fundens, electro vel ligno ebeni similem, eximii ac nigri splendoris.* Oricum *oppidum est Macedoniæ, in Epiri confinio, ubi frequens terebinthus.*

Vul-

Vulnera dirigere, & calamos armare veneno,
Mœonia generose domo: ubi pinguia culta
Exercéntque viri, Pactolúsque irrigat auro.
Affuit & Mnestheus, quem pulsi pristina Turni
Aggere murorum sublimem gloria tollit:
Et Capys: hinc nomen Campanæ ducitur urbi.
Illi inter sese duri certamina belli
Contulerant mediâ Æneas freta nocte secabat.
Námque ut ab Evandro castris ingressus Etruscis
Regem adit, & regi memorat noménque genúsque;
Quídve petat, quídve ipse ferat, Mezentius arma
Quæ sibi conciliet, violentáque pectora Turni
Edocet; humanis quæ sit fiducia rebus,
Admonet, immiscétque preces; haud fit mora: Tarchon
Jun-

Vulnera dirigere: *Id est, sagittas, quibus fiunt Vulnera.* Calamos: *Sagittas veneno illinere.*

Mœonia &c. *Quæ deinde* Lydia *dicta est, Asiæ minoris mediterranea regio.* Pactolus *fluvius aureis arenis nobilis.*

Pulsi pristina Turni: *Cujus hortatu & virtute Turnus castris pulsus, ut habetur L.* 9. *Qui inde gloriosus se in altum evehit.*

Campanæ urbi &c. *Capuæ, quæ Campaniæ caput fuit: nunc quæ extat hujus nominis, ab antiqua ferè leucæ spatio diversa est.*

Ab Evandro &c. *Quomodo Æneas ab Evandro ad Tarchontem, Etruscorum ducem, Evandri suasu abjerit, vidimus Æn.* 8. 478. 597.

Castris ingressus: *Græca locutio, pro* In *castra Etrusca.*

Jungit opes, fœdúsque ferit. Tum libera fatis
Classem conscendit, jussis gens Lydia Divûm
Externo commissa duci. Æneia puppis
Prima tenet, rostro Phrygios subjuncta leones:
Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.
Hîc magnus sedet Æneas, secúmque volutat
Eventus belli varios: Pallásque sinistro
Affixus lateri, jam quærit sidera, opacæ
Noctis iter; jam quæ passus terráque maríque.
Pandite nunc Helicona Deæ, cantúsque movete:
Quæ manus interea Tuscis comitetur ab oris

169

Libera fatis. *Quia fatis probibebatur, ne post expulsum Mezentium, alium sibi regem, nisi externæ stirpis assumeret. Æn.* 8.499.

Gens Lydia. *Etrusci sive Tyrrheni è Lydis profecti.*

Phrygios subjuncta leones: *Rostrum præfert geminos leones, veluti Cybeles currum trahentes; & superiùs assurgit Ida, mons Trojanis gratissimus.*

Pallas. *Evandri filius.*

Sidera opacæ &c. *Quæ sint itinera noctis; Sidera intuentes nautæ iter peragunt in nocte.*

Pandite nunc: *Novum catalogum eorum populorum, qui Ænean ad bella sunt secuti, contexturus, iterat invocationem, quò fides sit penes Musas.*

Helicona. *Helicon, mons Bœotiæ, Parnasso vicinus, Musis sacer.*

Tuscis. *Qui etiam* Etrusci, & Tyrrheni *dicti.*

Tigri

Æneam, armétque rates, pelagóque vehatur.
Massicus æratâ princeps secat æquora Tigri:
Sub quo mille manus juvenum; qui mœnia Clusi
Quíque urbem liquêre Cosas, queîs tela, sagittæ,
Corytíque leves humeris, & letifer arcus.
Unà torvus Abas: huic totum insignibus armis
Agmen, & aurato fulgebat Apolline puppis.
Sexcentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli juvenes: Ast Ilva trecentos,

In-

Tigri &c. *Nomina navium, petita è figuris in puppi vel prora pictis, aut sculptis.*

Clusi &c. *Clusium, urbs Etruriæ, hodie* Chiusi.

Cosas. *Cosæ vel Cossæ, vel sing. num. Cosa, Etruriæ maritima urbs.*

Coryti. *Græca vox γωρυτὸς pharetra, theca sagittarum.*

Fulgebat Apolline: *Scilicet puppis aurato Apolline, tanquam insigni, & tutela.*

Populonia mater. *Populonium, vel Populonia, in promontorio ejusdem nominis: cujus ex ruinis non procul condita est urbs hodie dicta* Piombino. *Dicitur urbs* mater, *quemadmodum Italia,* parens *G.* 2. 173.

Ilva. *Græcis dicta* Æthalia, *nunc* Elba; *ferri fodinis olim ferax, habebátque hoc singulare, quòd fossæ, unde ferrum esset erutum, rursus tractu temporis implerentur;* ideò inexhaustæ.

Cha-

Insula inexhaustis Chalybum generosa metallis.
Tertius, ille hominum Divûmque interpres Asylas,
Cui pecudum fibræ, cæli cui sidera parent,
Et linguæ volucrum, & præsagi fulminis ignes:
Mille rapit densos acie, atque horrentibus hastis.
Hos parere jubent Alpheæ ab origine Pisæ,
Urbs Etrusca solo. Sequitur pulcherrimus Astur
Astur equo fidens & versicoloribus armis.
Tercentum adjiciunt (mens omnibus una sequendi)
Qui Cærete domo, qui sunt Minionis in arvis;

Et

Chalybum metallis. *Ferro, cujus cudendi ars præcipua fuit apud* Chalybes, *populos vel Ponti vel Hispaniæ, à quibus ferrum optime temperatum dicitur* chalybs.

Asylas: *Interpres rerum divinarum, & humanarum, cui* parent, *sive apparent ac patent viscera animalium, & astra cœli, & voces avium, & flammæ fulminis ominosi, seu præsagi, & futura denuntiantis.*

Alpheæ Pisæ &c. *Pisa vel Pisæ urbs in confinio Etruriæ, propè Ligures.* Ab origine; *ab Alpheis, id est populis ab Alpheo Peloponnesi fluvio venientibus conditæ.*

Equo fidens: *Optimus eques*; Versicoloribus: *Depictis, per quod bellicosus ostenditur, sicut contrà*; Parmâque inglorius alba.

Cærete. *Ex urbe Cæretana, hodie Cerveteri.*

Minionis: *Minio, hodie* Mugnone, *fluviolus qui ab urbe Cære non procul distat.*

Pyr-

Et Pyrgi veteres, intempestæque Graviscæ.
Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello,
Transierim, Cinyra, & paucis comitate Cupavo,
Cujus olorinæ surgunt de vertice pennæ.
Crimen amor vestrum, formæque insigne paternæ.
Námque ferunt luctu Cycnum Phaëtontis amati,

Pyrgi. *Oppidum maritimum, nunc dirutum, Caeretanæ urbi vicinum.*

Intempestæ Graviscæ. *Graviscæ item maritima urbs fuit; nomen à gravitate aëris, vicinarum paludum odore corrupti. Ideò* intempestæ, *quia carentes aëris salubris temperie.*

Ligurum. *Ligures populi in superiore Italiæ parte; quorum præcipua nunc urbs & respublica est* Genua.

Cinyra. *Belli Dux Ligurum.*

Cupavo. *Cupavo Cupavonis, filius Cycni Regis Ligurum, aut unus è posteris ejus.*

Olorinæ. *Pennas oloris ferebat. Causa, ut sequitur.*

Crimen amor vestrum. *Vestrum crimen, id est familiæ illius vestræ, à Cycno descendentis, fuit amor in Phaëtonta; dolórque nimius de ejus interitu: quo offensi Dii tam multos ex eadem familia in alienas formas immutârunt. Nam postquam Phaëton ambiens paternum Solis regimen, Jovis fulmine percussus in Eridanum fluvium cecidit,* Cycnus *materno sanguine & amicitiâ conjunctissimus Phaëtonti apud eundem fluvium ex dolore in Cycnum avem conversus est, unde dicit Virgilius,* formæque insigne paternæ; *intelligitque*

Populeas inter frondes umbrámque sororum
Dum canit, & mœstum Musâ solatur amorem;
Canentem molli plumâ duxisse senectam,
Linquentem terras, & sidera voce sequentem.
Filius æquales comitatus classe catervas,
Ingentem remis Centaurum promovet: ille
Instat aquæ, saxúmque undis immane minatur
Arduus, & longâ sulcat maria alta carinâ.
Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicæ Mantûs & Tusci filius amnis,

que plumas olorinas, sive cycneas, à patre quodammodò acceptas.

Umbrámque sororum. *Nam etiam Phaëtontis tres sorores, cùm in fluvio submersum Phaëtontem toto orbe quærerent, tandem ejus tumulum in Eridani ripis nactæ, ibidem fletu contabuerunt; & in arbores mutatæ sunt, ex quibus succinum sive electrum quasi lacrymas manare Poëtæ finxerunt.*

Musâ; *Carmine, cantilenâ.*

Canentem senectam: *Pro albo colore neoterici dictum putant: ergo canentem senectam mollibus transegit in plumis.*

Sidera voce sequentem: *Cum cantu cælum petentem; vel relatus in sidera.*

Æquales catervas: *Turmas æqualium.*

Centaurum. *Navim, cui insculptus centaurus, saxum intentans.*

Ocnus. *Instaurator urbis Mantuæ, cui muros & nomen matris suæ dedit.* Manto fatidica, *Tiresiæ vatis*

Qui muros matrísque dedit tibi, Mantua, nomen,
Mantua dives avis; sed non genus omnibus unum:
Gens illi triplex, populi sub gente quaterni,
Ipsa caput populis: Tusco de sanguine vires,
Hinc quoque quingentos in se Mezentius armat,
Quos patre Benaco, velatus arundine glaucâ,
Mincius infestâ ducebat in æquora pinu.

18

tis filia. Fatidica dicitur ex ipsa vi nominis, est enim μάντις vates. Mantûs *genit. Græcus.*

Mantua Dives avis: *Urbs Galliæ Cisalpinæ nunc ducatûs caput, sita in medio stagno, quod Mincius amnis efficit.*

Non genus omnibus unum: *Quia origo Mantuanorum & à Tuscis venit, qui in Mantua regnabant, & à Venetis.*

Gens illi triplex: *Habet tres tribus, populos quatuor sub unaquaque tribu. Ipsa est primaria populorum illorum. Robur illi ex Etrusca cognatione.*

In se Mezentius: *Quia causam præbuit, quòd in se armarentur.*

Benaco: *Benacus, lacus est ejusdem Galliæ cisalpinæ, in agro Veronensi, nunc* Lago di Garda.

Velatus arundine glaucâ: *Coronatus viridi arundine.*

Mincius. *Mincium hunc ne ducem esse putes, sed ipsum fluvium, cujus è ripis collecta classis hæc fuerat* 500. *hominum, quorum dux Auletes.*

Cen-

It gravis Auletes, centenâque arbore fluctum
Verberat assurgens: spumant vada marmore verso.
Hunc vehit immanis Triton, & cærula conchâ
Exterrens freta: cui laterum tenus hispida nanti
Frons hominem præfert, in Pristin desinit alvus,
Spumea semifero sub pectore murmurat unda.
Tot lecti proceres ter denis navibus ibant
Subsidio Trojæ, & campos salis ære secabant.
Jámque dies cælo concesserat, almáque curru
Noctivago Phœbe medium pulsabat Olympum:
Æneas (neque enim membris dat cura quietem)
Ipse sedens clavúmque regit, velísque ministrat.
Atque illi medio in spatio, chorus ecce suarum
Occurrit comitum, Nymphæ, quas alma Cybele

Nu-

Centenáque. *Ad exprimendam navis magnitudinem, quæ plures habuit remorum ordines; nam per arbores intelligit remos ligneos.* Marmore verso: *Mari agitato.*

Triton. *Neptuni tubicen, conchâ utens pro tuba, superiore parte vir, inferiore piscis. Insigne erat navis.*

Cærula conchâ: *Terrens mare ceruleum tubâ è concha.*

Pristin: *Piscem immanem è balenarum gente Æn. 3. 427.*

Campos salis &c. *Navigabant, & campos maris secabant rostratis navibus.*

Chorus ecce: *Offerunt se ipsi in medio cursu Nymphæ de navibus factæ, & in totidem Nymphas maris mutatæ suprà lib 9. 120.*

Alma Cybele: *A Cybelo Phryge, qui primus ei sacrum*

Numen habere maris, Nymphásque è navibus esse
Jusserat: innabant pariter, fluctúsque secabant;
Quot priùs æratæ steterant ad littora proræ.
Agnoscunt longè regem, lustrántque choreis.
Quarum quæ fandi doctissima Cymodocea,
Pone sequens, dextrâ puppim tenet: ipsáque dorso
Eminet, ac lævâ tacitis subremigat undis.
Tum sic ignarum alloquitur: vigiláśne Deûm gens
Ænea? vigila, & velis immitte rudentes.
Nos sumus Idææ sacro de vertice pinus
Nunc pelagi Nymphæ, classis tua. Perfidus ut nos
Præcipites ferro Rutulus flammâque premebat:
Rupimus invitæ tua vincula, téque per æquor
Quærimus. Hanc genitrix faciem miserata refecit,
Et dedit esse Deas, ævúmque agitare sub undis.
At puer Ascanius muro fossísque tenetur
Tela inter media, atque horrentes Marte Latinos,

Jam

sacrum instituit; mater Deûm dicta Cybele. V. Æn. 3. 111.

Lustrántque; *Circumeunt.*

Velis immitte: *Laxa funes velis, pande totos sinus velorum, & propera.*

Idææ pinus. *Materia navium* pinus *arbor. Locus natalis* Ida *Phrygiæ mons, ubi fabricatæ.*

Hanc genitrix. *Mater Cybele, miserata nostri, in nobis hanc formam reparavit, & fecit nos Deas, quæ vitam agant sub aquis.*

Jam loca jussa tenet forti permixtus Etrusco
Arcas eques: medias illis opponere turmas,
Ne castris jungant, certa est sententia Turno.
Surge age, & Aurorâ socios veniente vocari
Primus in arma jube: & clypeum cape, quem dedit ipse
Invictum Ignipotens, atque oras ambiit auro
Crastina lux (mea si non irrita dicta putâris)
Ingentes Rutulæ spectabit cædis acervos.
Dixerat, & dextrâ discedens impulit altam,
Haud ignara modi, puppim: fugit illa per undas,
Ocior & jaculo & ventos æquante sagittâ.
Inde aliæ celerant cursus. Stupet inscius ipse
Tros Anchisiades: animos tamen omine tollit.
Tum breviter supera aspectans convexa precatur:
Alma parens Idæa Deûm, cui Dindyma cordi,

Tur-

Arcas eques: *Auxilia Arcadum equitum ab Evandro, quos cum Etruscis præmisisti, impediuntur à Turno, ne se Ascanio jungant.*

Ignipotens: *Vulcanus*: Oras ambit auro. *Extremitatem illius auro cinxit.*

Ominetollit: *Hoc præsagio & augurio promissæ victoriæ erigit animos.*

Supera convexa: *Summi cæli partes concavas aspiciens sic orat breviter:*

Idæa: *Cybele, mater Deorum, quæ quia pro terra sumebatur, quæ sustentat urbes, ideò turritâ coronâ pingebatur insignis. Huic sacri fuerunt montes plerique Phrygiæ, Ida, Dindymus & Dindyma in plur. neutr. &c*

Bi-

Turrigeræque urbes, bijugique ad fræna leones:
Tu mihi nunc pugnæ princeps tu ritè propinques
Augurium, Phrygibúsque adsis pede, Diva, secundo.
Tantum effatus: & intereà revoluta ruebat
Maturâ jam luce dies, noctémque fugarat.
Principio sociis edicit, signa sequantur,
Atque animos aptent armis, pugnæque parent se.
Jámque in conspectu Teucros habet & sua castra
Stans celsa in puppi: clypeum tum deinde sinistrâ
Extulit ardentem. Clamorem ad sidera tollunt
Dardanidæ è muris: spes addita suscitat iras:
Tela manu jaciunt. Quales sub nubibus atris
Strymoniæ dant signa grues, atque æthera tranant,
Cum sonitu, fugiúntque Notos clamore secundo.
At Rutulo regi ducibúsque ea mira videri

Au-

Bijugique ad fræna leones: *Currus Cybeles trahebatur a leonibus, quia Cybele, tanquam mater, affectioni suæ maternæ ferocissima quæque subjugare fingebatur.*

Ritè propinques: *Augurium hoc præsens ipsa prosperes, matures, feliciter evenire facias, sic alibi:* Propiùs res aspice nostras.

Pede secundo: *Venias prospero ad nos cursu.*

Qualis sub nubibus atris: *Hæc comparatio pertinet ad Trojanorum clamorem; sicut grues emittunt voces inter nubes, & volant per aërem cum sonitu &c.*

Strymoniæ. *Grues, aves oblongo collo ac rostro, frequentes circa* Strymonem *Macedoniæ fluvium. Imbrem fugiunt magno numero collectæ; ideóque* Notos, *id est,* Austros, *ventos pluvios à meridie.*

 Al-

Ausoniis: donec versas ad littora puppes
Respiciunt, totúmque allabi classibus æquor.
Ardet apex capiti, cristisque à vertice flamma
Funditur, & vastos umbo vomit aureus ignes.
Non secus ac liquida si quando nocte cometæ
Sanguinei lugubrè rubent: aut Sirius ardor,
Ille sitim morbósque ferens mortalibus ægris,
Nascitur, & lævo contristat lumine cælum.
Haud tamen audaci Turno fiducia cessit
Littora præripere, & venientes pellere terrâ,
Ultrò animos tollit dictis, atque increpat ultrò:

Quod

Allabi classibus æquor. *Commutatio, pro classes allabi toto æquore.*

Ardet apex capiti: *Intuentibus Æneam è longinquo, ita fulgor armorum oculos præstringebat, ut videretur totus ardere, & flammas emittere.* Apicem. *intelligit coni altitudinem in galea, & cristas.*

Umbo aureus: *Rotunditas clypei in medio extuberans, & in acumen definens.*

Non secus; *Sicut cometæ putantur aliquid sinistrum portendere, ita fulgor hîc Æneæ videtur Rutulo Regi.*

Sirius ardor: *Sirius vel Canicula, stella in ore majoris canis, maximos æstus creans. Hîc adjectivè sumitur, alibi Substantivè.*

Ille sitim &c. *Sub hoc sidere ardentissimæ grassantur febres, quæ multos tollunt ægros.*

Lævo: *Infelici, & tristi.*

Littora præripere; *Pro: præripiendi, occupandi, & depellendi.*

Quod

Quod votis optâstis, adest, perfringere dextrâ:
In manibus Mars ipse, viri: nunc conjugis esto
Quisque suæ tectíque memor; nunc magna referto
Facta, patrum laudes: ultrò occurramus ad undam,
Dum trepidî, egressísque labant vestigia prima.
Audentes fortuna juvat.
Hæc ait: & secum versat, quos ducere contrà,
Vel quibus obsessos possit concredere muros;
Intereà Æneas socios de puppibus altis
Pontibus exponit. Multi servare recursus
Languentis pelagi, & brevibus se credere saltu:

Quod votis optâstis &c. *Quod in votis dudum fuerat*, adest, *in manibus nunc est; datur manum conserendi copia.* Perfringere dextrâ: *Fortiter facere.*

In manibus Mars: *In potestate.*

Pontibus exponit. *Æneas applicat naves summæ crepidini littoris, & jactis pontibus milites exponit.*

Servare recursus. *Aliqui quærunt vadosa quædam loca, quæ æstu quidem affluente fluctibus operta sunt; refluente, sicca sunt, aut saxis & arenis, & stagnantibus aquis infesta: hæc autem in loca exiliunt, aut saltum remis adjuvant, ac sustentant.*

Brevibus. *Brevia sunt partes illæ maris, ubi frequentes, & vento mutabiles fiunt arenarum aggestiones*, *βραχέα* brevia, *quia brèvis & parùm alta ibidem aqua est.*

Per remos alii. Speculatus littora Tarchon,
Quà vada non sperat, nec fracta remurmurat unda,
Sed mare inoffensum crescenti allabitur æstu,
Advertit subitò proras, sociósque precatur:
Nunc, ô lecta manus, validis incumbite remis:
Tollite, ferte rates: inimicam findite rostris
Hanc terram, sulcúmque sibi premat ipsa carina.
Frangere nec tali puppim statione recuso,
Arreptâ tellure semel. Quæ talia postquam
Effatus Tarchon: socii consurgere tonsis,
Spumantésque rates arvis inferre Latinis:
Donec rostra tenent siccum, & sedêre carinæ
Omnes innocuæ; sed non puppis tua, Tarchon.

Nàm

Per remos alii: *Alii, ut in festinatione fit, descendunt è navi per remos, projectos e navi ad modum ponticulorum.*

Tarchon: *Qua parte non putat reperiri vada, & ubi non sonant undæ allisæ, sed qua parte mare sine offensione advolvitur, æstu tumescente, subitò navem vult littori* advertere, *applicare.* Vada *sunt loca, ubi aqua parùm alta est, quia pedibus illac facile est vadere. Sed hæc loca infesta sunt & iniqua navibus.*

Tollite, ferte rates. *Erigite, invehite naves.* S. indite rostris hanc terram hosticam. Sulcúmque sibi premat: *Et ipsa inferior pars navis sibi viam aperiat per sulcum in terra factum, etsi navis frangatur, modò terram teneamus.*

Tonsis: *Tonsa, remus. Æn. 7. 28. Insurgentes cœperunt naves tonsis & palmulis ad portum appellere.*

Innocuæ: *Sine noxa, indemnes, excepta nave*

Tar-

Namque inflicta vadis dorso dum pendet iniquo,
Anceps sustentata diu, fluctúsque fatigat:
Solvitur, atque viros mediis exponit in undis:
Fragmina remorum quos & fluitantia transtra
Impediunt, retrahítque pedes simul unda relabens.
Nec Turnum segnis retinet mora, sed rapit acer
Totam aciem in Teucros, & contrà in littore sistit.
Signa canunt: primus turmas invasit agrestes
Æneas, omen pugnæ: stravítque Latinos,
Occiso Therone: virûm qui maximus ultrò
Æneam petit. Huic gladio, pérque ærea suta,

Per

Tarchontis. Nam repertis præter spem vadis, & inæqualibus arenarum cumulis navis Tarchontis allisa est.

Dorso iniquo: *Arenæ cumulo altiori, sibi iniquo, & noxio.*

Fluctúsque fatigat. *Navis fatigat fluctus crebro remorum & contorum impulsu, succussúque, ut ex arenis extrahatur.* Transtra *sunt scamna navium.*

Retrahítque pedes: *Lapsantes.*

Nec Turnum. *Transitio ad Turnum, & Rutulorum studia, ad excipiendos Trojanos.*

Ultrò Æneam petit. *Qui primus tendebat adversùs Æneam.*

Suta. *Non* scuta. *Intelligitur tamen clypeus ex multis æreis laminis* consutus *& contextus. Nec obstat hîc duo adjectiva absque substantivo nomine conjungi, siquidem idipsum sæpe usuvenit, ut* Nitentia culta, aperta serena &c.

Per tunicam squalentem auro, latus haurit apertum.
Inde Lycam ferit, exectum jam matre peremptâ,
Et tibi, Phœbe, sacrum: casus evadere ferri
Quòd licuit parvo. Nec longè Cissea durum,
Immanémque Gyam, sternentes agmina clavâ,
Deiecit leto. Nihil illos Herculis arma
Nil validæ juvêre manus, genitórque Melampus,
Alcidæ comes, usque graves dum terra labores
Præbuit. Ecce Pharo, voces dum jactat inertes
Intorquens jaculum, clamantis sistit in ore.
Tu quoque flaventem prima lanugine malas

Latus haurit. *Exhaurit, educto per vulnus sanguine. Metaphora ducta ab utribus & doliis, quæ dicuntur* exhauriri, *cùm facto foramine liquor ex iis educitur.*

Tibi Phœbe sacrum. *Quia Apollo Medicorum est Deus, quorum ope exsecta matre Lycas ortus fuerat; atque ita ferri vi natus, eadémque mortuus.*

Herculis arma: *Clava, è duræ arboris trunco. De* Hercule, *seu* Alcida *ejúsque laboribus Æn.* 8. 288 *De* Melampo, *fortè Medico illo celebri, de quo Georg.* 3. 550.

Usque graves: *Quamdiu terra proposuit Herculi difficiles labores, monstra domanda, virtutis exercendæ segetem ac materiam.*

Ecce Pharo: *Dativus. Æneas Pharo clamanti jaculum intorquens defigit & sistit in ore; & sic aperto ore telum Æneæ jaculantis excepit.*

Tu quoque flaventem &c. *Tu quoque Cydon mi-*

Dum sequeris Clytium infelix nova gaudia, Cydon :
Dardaniâ stratus dextrâ, securus amorum,
Qui juvenum tibi semper erant, miserande, jaceres :
Ni fratrum stipata cohors foret obvia, Phorci
Progenies : septem numero, septenáque tela
Conjiciunt : partim galeâ clypeóque resultant
Irrita, deflexit partim stringentia corpus
Alma Venus. Fidum Æneas affatur Achaten :
Suggere tela mihi (non ullum dextera frustrà
Torserit in Rutulos) steterunt quæ in corpore Grajûm
Iliacis campis. Tum magnam corripit hastam,
Et jacit : illa volans clypei transverberat æra
Mæonis, & thoraca simul cum pectore rumpit.
Huic frater subit Alcanor, fratrémque ruentem
Sustentat dextrâ : trajecto missa lacerto
Protinus hasta fugit, servátque cruenta tenorem :
Dexteráque ex humero nervis moribunda pependit.

Tum

miserande jaceres, dum sequeris Clytium flaventem prima lanugine malas, id est, dum adolescentem sectaris, cujus amore flagrabas. Nova gaudia: *Delicias, amasium, quem tum primùm amare cœperas.*

Securus amorum. *Nihil tum solicitus de rebus amatoriis, quippe mortuus.*

Suggere tela: *Da mihi tela, quæ in campis Iliacis in Græcorum stetère corporibus. Nullum enim mea in Rutulos dextera incassùm jaculabitur telum eorum, quæ jam sunt cæde hostium comprobata.* Lacerto: *Parte brachii à cubito ad manum.*

Tum Numitor, jaculo fratris de corpore rapto,
Æneam petiit: sed non & figere contrà
Est licitum, magnúmque femur perstrinxit Achatæ.
Hic Curibus, fidens primævo corpore, Clausus
Advenit, & rigidâ Dryopen ferit eminus hastâ
Sub mentum graviter pressâ, pariterque loquenti
Vocem animámque rapit trajecto gutture: at ille
Fronte ferit terram, & crassum vomit ore cruorem.
Tres quoque Treïcios, Boreæ de gente suprema;
Et tres, quos Idas pater & patria Ismara mittit,
Per varios sternit casus. Occurrit Halesus,
Auruncæque manus: subit & Neptunia proles,
Insignis Messapus equis: expellere tendunt
Nunc hi, nunc illi: certatur limine in ipso
Ausoniæ. Magno discordes æthere venti
Prælia ceu tollunt, animis & viribus æquis:
Non ipsi inter se, non nubila, non mare cedit:

Ae-

Curibus: *Urbe Sabinorum.* Primævo corpore: *Fidens flore ætatis, & juvenili corpore.*

Clausus: *Non Lausus Mezentii filius;*

Boreæ. *Boreas, Septentrionalis ventus fingitur Strymonis fuisse filius, fluvii Macedoniæ, qui ob vicinitatem etiam Thraciæ tribuitur.* De gente suprema: *De sublimi stirpe, vel ab extrema & suprema Thraciæ regione profectos.*

Ismara: *Singularis num. Thraciæ urbs ad Ismarum montem.*

Halesus, Auruncæque manus: *Auruncorum Italorum dux, mox à Pallante occidendus. V. 425.*

Neptunia proles: *Messapus, equis nobilis ob Neptunum equi auctorem. Æn. 7. 691.*

Limine in ipso: *In littore, & aditu Italiæ.*

Pe-

Anceps pugna diu, ftant obnixi omnia contrà.
Haud aliter Trojanæ acies, aciésque Latinæ
Concurrunt, hæret pede pes, densúsque viro vir.
At parte ex alia, quà faxa rotantia latè
Intulerat torrens: arbuftáque diruta ripis:
Arcadas, infuetos acies inferre pedeftres,
Ut vidit Pallas Latio dare terga fequaci;
Afpera queîs natura loci dimittere quando
Suafit equos; unum quod rebus reftat egenis,
Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris.
Quò fugitis focii? per vos, & fortia facta,
Per ducis Evandri nomen devictáque bella,

Spém-

Pede pes: *Pro: hæret pes pedi.*

At parte ex alia: *Omiſſo Ænea, narrat ea, quæ ab Arcadibus in diverſa campi parte ſint fortiter geſta.*

Rotantia. *Rotata; quæ rotantur; Ut alibi* volventia plauftra, *pro voluta.*

Torrens: *Non Tyberis, ſed alius quidam fluvius, qui lapides, & evulſas è ripis arbores latè disjecerat; & ad quem locum pugnabant.*

Infuetos acies &c. *Quia truncis & ſaxis, quæ torrens intulerat impediti Arcades, omiſſis equis pedeſtrem pugnam inſueti inierant, & à Latinis pellebantur.*

Latio fequaci: *Metonymia, pro Latinis inſequentibus.*

Dimittere quando: *Quibus Arcadibus, quoniam aſpera natura loci ſuaſit, equos, quibus aſſueti erant, dimittere, quòd inutiles eſſent loco impedito.*

Spém-

Spémque meam, patriæ quæ nunc subit æmula laudis?
Fidite ne pedibus: ferro rumpenda per hostes
Est via, quà globus ille virûm densissimus urget:
Hàc vos & Pallanta ducem patria alta reposcit.
Numina nulla premunt: mortali urgemur ab hoste
Mortales: totidem nobis, animæque, manusque.
Ecce, maris magno claudit nos obice pontus:
Deest jam terra fugæ: pelagus, Trojámne petemus?
Hæc ait, & medius densos prorumpit in hostes.
Obvius huic primùm fatis adductus iniquis
Fit Lagus: hunc, magno vellit dum pondere saxum,
Intorto figit telo, discrimina costis
Per medium quà spina dedit: hastámque receptat
Ossibus hærentem. Quem non super occupat Hisbon,

Spémque meam: *Cùm pater meus victor ex omnibus bellis domum remeârit; ego ejus laudis æmulus, sperabam, me quoque victorem rediturum.*

Numina nulla: *Non Dii contra nos pugnant, sed contra mortales homines bella gerimus.*

Pelagus, Trojámne: *Mari claudimur, non habemus, quò fugiamus. An adibimus mare; an castra Trojanorum, novam Trojam? Hoc postremum utique est eligendum; ergo pugnandum fortiter.*

Discrimina costis: *Qua parte spina facit divortium costarum per medium dorsi.*

Quem non super occupat: *Hisbon non intercipit illum* (Pallanta) *in hoc opere, dum hastam ossibus inhærentem* receptat *& evellit, etsi Hisbon superveniens hoc speraret, ut sic occupatum Pallanta interficeret.*

Ille quidem hoc sperans: nam Pallas antè ruentem,
Dum furit, incautum, crudeli morte sodalis,
Excipit: atque ensem tumido in pulmone recondit.
Hinc Helenum petit, & Rhœti de gente vetusta
Anchemolum, thalamos ausum incestare novercæ.
Vos etiam gemini Rutulis cecidistis in arvis,
Daucia, Laride Tymbérque, simillima Proles,
Indiscreta suis, gratúsque parentibus error:
At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas.
Nam tibi, Tymbre, caput Evandrius abstulit ensis:
Te decisa suum, Laride, dextra quærit:

Se-

ret. Nam Pallas *eundem* Hisbonem *antè excipit*, & *dolo interimit.*

Furit : *Conjunge : Ob mortem crudelem & asperam socii.* Incautum : *improvidum.* Tumido in pulmone : *Et naturaliter tumido, quia per respirationem inflatur, & ob iram ex morte socii conceptam.*

Anchemolum : *Qui fuit è veteri familia Rhœti, qui ausus constuprare cubile novercæ, & patrem metuens se fugâ contulit ad Turnum.*

Daucia Proles : *Soboles Dauci, quæ erat simillima, & indistincta suis parentibus, jucundi sæpe erroris causa. Unus* Larides, *alter vocabatur* Tymber.

Tymbre caput : *Pro* Tymber, *metri causâ, vel etiam à* Tymbrus.

Te decisa : *Sensus est, dextram decisam requisivisse brachium, & digitos aliquo subsultu & motu, qui à convulsione oritur, affectâsse, & attrectâsse quasi gladium.*

Fu-

Semianimésque micant digiti, ferrúmque retractant.
Arcadas accensos monitu, & præclara tuentes
Facta viri, mistus dolor & pudor armat in hostes.
Tum Pallas bijugis fugientem Rhœtea præter
Trajicit: hoc spatium, tantúmque moræ fuit Ilo.
Ilo nánque procul validam direxerat hastam:
Quam medius Rhœteus intercipit, optime Teuthra,
Te fugiens, fratrémque Tyren: currúque volutus
Cædit semianimis Rutulorum calcibus arva.
Ac velut optatò ventis æstate coortis,
Dispersa immittit sylvis incendia pastor:
Correptis subitò mediis, extenditur unà
Horrida per latos acies Vulcania campos:

Ille

Fugientem Rhœtea: *Rhœteus fugiebat equis binis jugo illigatis; erat hic Rutulus. In fuga Pallas eum trajecit prætereuntem.*

Hoc spatium tantúmque moræ. *Hoc tantum spatium fuit, & hæc sola mora, quò minùs interiret* Ilus, *pariter Rutulus. Hoc est, Ili mortem aliquantum morata est mors interposita Rhœti: Nam Pallas intenderat eminùs in Ilum hastam; quam Rhœteus medius excepit, fugiens te fortissime* Teuthra, *& fratrem tuum* Tyren.

Currúque volutus: *Rhœteus excussus è curru semimortuus ferit Rutulorum agros calcibus & talis, id est, extrema & posteriore parte pedum.*

Acies Vulcania: *Exercitus, & vis Vulcani, id est, incendium ex multis flammis instar aciei collectum. Comparationem instituit cum acie confœderata Æneæ, & Pallantis, quæ, sicut ignis à pastore in diversis primùm*

locis

Ille sedens victor flammas despectat ovantes.
Non aliter sociûm virtus coit omnis in unum,
Téque juvat, Palla. Sed bellis acer Halesus
Tendit in adversos, séque in sua colligit arma.
Hic mactat Ladona, Pheretáque, Demodocúmque:
Strymonio dextram fulgenti diripit ense,
Elatam in jugulum: saxo ferit ora Thoantis,
Ossáque dispergit cerebro permixta cruento.
Fata canens sylvis genitor celârat Halesum:
Ut senior leto canentia lumina solvit,
Injecêre manum Parcæ, telísque sacrârunt
Evandri: quem sic Pallas petit antè precatus:

Di

locis incensus, optatò, & ad votum coortis ventis, extenditur, crescit & omnia corripit, ita & ipsa se colligit in unum; omnes unanimiter rem agunt fortiter.

Halesus: *Rutulus.*

In sua colligit arma; *Scuto se tegit, & arma præparat.*

Ladona &c. *Arcades omnes.*

Elatam in jugulum: *Jugulo suo vulnus minantem.*

Fata canens: *Pater Halesi, qui erat vates, futura prædicens occultaverat Halesum in sylvis; sed post obitum patris* senioris *Parcæ miserunt manus in Halesum, & letho consecrârunt à manu, & telo Pallantis, (quod erat ab Evandro) inferendo.* Canentia lumina: *Senilia. Dura translatio à canitie, quæ propria est capillorum.*

Petit; *Aggreditur, priùs sic precatus: O pater Tybri &c.*

Tua

Da nunc, Tybri pater, ferro, quod missile libro,
Fortunam atque viam duri per pectus Halesi:
Hæc arma exuviásque viri tua quercus habebit.
Audiit illa Deus, dum texit Imaona Halesus,
Arcadio infelix telo dat pectus inermum.
At non cæde viri tantâ perterrita Lausus,
Pars ingens belli, sinit agmina. Primus Abantem
Oppositum interimit, pugnæ nodúmque morámque.
Sternitur Arcadiæ proles, sternuntur Etrusci:
Et vos, ô Graiis imperdita corpora, Teucri.
Agmina concurrunt, ducibúsque & viribus æquis:
Extremi addensant acies: nec turba moveri

Tela

Tua quercus: *Aliqua ex iis, quæ in tuis ripis nascuntur.*

Dum texit Imaona. *Dum spoliat, & exuvias legit. Præteritum tempus hîc pro præsente. Vel dum protexit, defendit &c.*

Inermum: *Inermem dicimus, & inermum.*

Lausus: *Pars ingens belli, qui in ea pugna suæ parti multùm conferebat ad victoriam, non permittit exercitum suum terreri nece tanti hominis, nimirum Halesi.*

Nodúmque, morámque: *Qui pugnam reddebat difficilem, obicémque ponebat victoriæ.*

Graiis imperdita: *Quæ Græci non potuerant perdere.*

Turba moveri: *Turba densa, & conferta non dat spatium movendis manibus, telísque jaciendis.*

So-

Tela manúsque finit. Hinc Pallas instat & urget,
Hinc contrà Lausus: nec multùm discrepat ætas;
Egregii formâ; sed queîs fortuna negârat
In patriam reditus. Ipsos concurrere passus
Haud tamen inter se magni regnator Olympi:
Mox illos sua fata manent majore sub hoste.
Intereà soror alma monet succurrere Lauso
Turnum, qui volucri curru medium secat agmen,
Ut vidit socios: tempus desistere pugnâ;
Solus ego in Pallanta feror, soli mihi Pallas
Debetur: cuperem, ipse parens spectator adesset,
Hæc ait: & socii cesserunt æquore jusso.
At Rutulûm abscessu juvenis, tum jussa superba
Miratus, stupet in Turno: corpúsque per ingens
Lumina volvit, obítque truci procul omnia visu,
Talibus & dictis it contra dicta tyranni:
Aut spoliis ego jam raptis laudabor opimis,
Aut letho insigni: sorti pater æquus utrique est:

Tolle

Soror alma: *Iuturna soror Turni, quæ Diva, & Nympha, de qua Æn. 12.*

Æquore jusso: *E campo præscripto, vel jussi, ut darent hoc spatium.*

Juvenis: *Pallas.* Tum: *Tum ob recessum Rutulorum, tum admiratus jussa imperiosa, obstupet fixus in Turno.* Tyranni: *Regis. Æn. 7. 266.*

Pater æquus utrique: *Æquo animo feret pater utramque sortem, aut victoriæ, aut pulchræ mortis. Respondet ad id:*

Cuperem ipse parens spectator adesset.

Mmm Con-

Tolle minas. Fatus medium procedit in æquor;
Frigidus Arcadibus coit in præcordia sanguis.
Desiluit Turnus bijugis, pedes apparat ire
Cominùs: útque leo, specula cùm vidit ab alta
Stare procul campis meditantem prælia taurum;
Advolat: haud alia est Turni venientis imago.
Hunc ubi contiguum missæ fore credidit hastæ,
Ire prior Pallas, si quà fors adjuvet ausum,
Viribus imparibus: magnúmque ita ad æthera fatur:
Per patris hospitium, & mensas quas advena adîsti,
Te precor, Alcide, cœptis ingentibus adsis:
Cernat semineci sibi me rapere arma cruenta,
Victorémque ferant morientia lumina Turni.
Audiit Alcides juvenem, magnúmque sub imo
Corde premit gemitum, lacrymásque effudit inanes.
Tum genitor natum dictis affatur amicis:

Stat

Contiguum: *Intra teli jactum*: Fors: *Fortuna.*

Hospitium: *Hercules ex Hispania redux ab Evandro receptus hospitio fuerat, auctúsque sacrificiis, & arâ maximâ post occisum Cacum.*

Victorémque ferant. *Oculi exanimes Turni sustineant, & patiantur me victorem.*

Audiit Alcides: *Et doluit, non licere contra fata auxilio venire.*

Genitor natum: *Jupiter Herculem filium pro Pallante morituro deprecantem, cùm fata mutare non possit, exemplis consolatur.*

Tot

Stat sua cuique dies, breve & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ; sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus. Trojæ sub mœnibus altis
Tot nati cecidêre Deûm: quin occidit unà
Sarpedon, mea progenies: etiam sua Turnum
Fata vocant, metásque dati pervenit ad ævi.
Sic ait, atque oculos Rutulorum rejicit arvis.
At Pallas magnis emittit viribus hastam:
Vaginâque cavâ fulgentem diripit ensem.
Illa volans, humeris surgunt quà tegmina summa,
Incidit: atque viam clypei molita per oras,
Tandem etiam magno strinxit de corpore Turni.
Hic Turnus ferro præfixum robur acuto
In Pallanta diu librans jacit, atque ita fatur:

Aspi-

Tot nati cecidêre Deûm: *Ut Achilles Thetidis, Memnon Auroræ, Ascalaphus Martis, & Sarpedon meus filius. Erat* Sarpedon *Jovis filius ex Laodamia, Rex Lyciæ, ad Trojam occisus a Patroclo. Æn.* I. 104.

Metásque: *Finem: Ut:*

His ego nec metas rerum, nec tempora pono.

Rejicit arvis: *Ad arva. Hoc aspectu favorem suum ad Rutulos transtulisse Jupiter significatur.*

Tegmina summa: *Summa pars loricæ, quæ humeros tegit: ubi levi vulnere perstrictus est Turnus.*

Clypei molita per oras: *Per extremitatem clypei difficilem sibi aperiens aditum, denique libavit aliquid de corpore Turni.*

Ferro præfixum robur: *Periphrasis hastæ. Validum quodcunque lignum dicitur* Robur.

Aspice, num magè sit nostrum penetrabile telum.
Dixerat: at clypeum, tot ferri terga, tot æris,
Cùm pellis toties obeat circumdata tauri;
Vibranti cuspis medium transverberat ictu,
Loricæque moras & pectus perforat ingens.
Ille rapit calidum frustra de vulnere telum:
Unâ eâdemque viâ sanguísque animúsque sequuntur.
Corruit in vulnus: sonitum super arma dedêre:
Et terram hostilem moriens petit ore cruento.
Quem Turnus superassistens:
Arcades, hæc, inquit, memores mea dicta referte
Evandro: qualem meruit, Pallanta remitto.
Quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandi est,
Largior: haud illi stabunt Æneïa parvo
Hospitia. Et lævo pressit pede, talia fatus,
Exanimum: rapiens immania pondera baltei,

Im-

Penetrabile telum: *Passivè vulgò significat: hîc activè, pro eo, quod vim habet penetrandi. Sic G. 1. 93.* Penetrabile frigus.

Ferri terga: *Propriè de pellibus: hîc per translationem de metallorum laminis.*

Petit ore cruento: *id est, mordet terram. Concidit igitur in faciem.*

Superassistens: *Pede premens, & insultabundus.*

Qualem meruit: *Dignum scilicet fœdere, & hospitio inito cum Ænea. Hinc subjungit:* Haud illi stabunt Æneïa parvo hospitia.

Im-

Impressúmque nefas (una sub nocte jugali
Cæsa manus juvenum fœdè, thalamíque cruenti)
Quæ bonus Eurytion multo cælaverat auro:
Quo nunc Turnus ovat spolio gaudétque potitus.
Nescia mens hominum fati sortísque futuræ,
Et servare modum, rebus sublata secundis!
Turno tempus erit, magno cùm optaverit emptum
Intactum Pallanta; & cùm spolia ista diémque
Oderit. At socii multo gemitu lacrymísque
Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.
O dolor, atque decus magnum rediture parenti!
Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert:
Cùm tamen ingentes Rutulorum linquis acervos.

Impressúmque nefas: *In quo balteo insculptum erat nefandum facinus Danaidum, quæ prima nocte & nuptiali maritos suos interfecerunt, uno tantùm excepto.* Erytion. *Peritus artifex.* Cælaverat auro. *In auro.*

Ovat: *Jactat, gloriatur; sed propter hunc periturus est balteum, quem nunc se sustulisse lætatur. Hinc sequitur:* Nescia mens hominum.

Spolia ista: *Námque Æneam dubium, utrùm, parceret Turno supplici, balteus ille in humero Turni conspectus vindictæ admonuit. Æn.* 12. 940.

Rutulorum linquis acervos: *Edita tanta Rutulorum strage.*

Nec jam fama mali tanti, ſed certior auctor
Advolat Æneæ : tenui diſcrimine lethi
Eſſe ſuos, tempus verſis ſuccurrere Teucris.
Proxima quæque metit gladio, latúmque per agmen
Ardens limitem agit ferro : te, Turne, ſuperbum
Cæde novâ quærens. Pallas, Evander, in ipſis
Omnia ſunt oculis : menſæ, quas advena primas
Tunc adiit, dextræque datæ. Sulmone creatos
Quatuor hîc juvenes, totidem, quos educat Ufens,
Viventes rapit : inferias quos immolet umbris,

Tenui diſcrimine lethi : *Suos parùm diſtare ab exitio.* Verſis : *Fugatis Trojanis.*

Limitem agit : *Latam per cæſos hoſtes ſibi ſternit viam.*

Menſæ, quas advena : *Cùm ab Evandro exceptus hoſpitio eſt.*

Sulmone creatos : *Illic capit vivos quatuor juvenes, natos Sulmone oppido Pelignorum, unde & Ovidius eſt ortus ; totidem alios, quos* Ufens, *fluvius Latii, aluerat.*

Inferias : *Juvenes hos octo captivos deſtinabat necare, & inferias dare placandis manibus Pallantis. Sunt enim* inferiæ *munera, quæ tumulis mortuorum inferuntur. Moris quippe erat pro ſepulchris virorum fortium captivos necari.* Umbris *dixit plurali numero, pro umbræ Pallantis, ut Æn.* 5. 81. Animæque umbræque paternæ.

Mago :

Captivóque rogi perfundat sanguine flammas.
Inde Mago procul infensam cùm tenderet hastam;
Ille astu subit, ac tremebunda supervolat hastâ:
Et genua amplectens effatur talia supplex:
Per patrios manes, & spes surgentis Jüli,
Te precor, hanc animam serves natóque patríque.
Est domus alta: jacent penitus defossa talenta
Cælati argenti: sunt auri pondera facti
Infectíque mihi: non hîc victoria Teucrûm
Vertitur: haud anima una dabit discrimina tanta.
Dixerat: Æneas contrà cui talia reddit,
Argenti atque auri memoras quæ multa talenta,
Gnatis parce tuis: belli commercia Turnus
Sustulit ista prior: jam tum Pallante perempto,
Hoc patris Anchisæ manes, hoc sentit Jülus.
Sic fatus, galeam lævâ tenet, atque reflexâ

Mago: *Dativus est.* Cùm tenderet, *cùm longè intentaret.*

Natóque: *Meo:* & patri, *mihi.*

Facti infectíque. *Factum aurum, quod in opus conflatum est:* Infectum, *quod adhuc in massam compactum.*

Parce &c. *Serva natis tuis, & tuam in rem abstine, unde* parcus *dicitur abstinens.*

Commercia. *Mutuas ignoscendi vices, & captivorum redemptionem.*

Anchisæ manes. *Quos invocaverat.* Sentit Jülus. *Hæc est eorum sententia, ut omissis muneribus tuis Pallanta ulciscar.*

Cervice orantis capulo tenus abdidit ensem.
Nec procul Æmonides, Phœbi Triviæque sacerdos,
Infula cui sacrâ redimibat tempora vittâ:
Totus collucens veste atque insignibus armis.
Quem congressus agit campo, lapsúmque superstans
Immolat, ingentíque umbrâ tegit: arma Serestus
Lecta refert humeris, tibi, rex Gradive, trophæum.
Instaurant acies, Vulcani stirpe creatus
Cæculus, & veniens Marsorum montibus Umbro.
Dardanides contrà furit. Anxuris ense sinistram
Et totum clypei ferro dejecerat orbem.

Di-

Æmonides: *Describit hunc ab habitu religioso, & munere, & armorum splendore.*

Infula &c. *Fascia latior, ex qua minores vittæ dependebant, instar diadematis caput sacerdotum ambiens.*

Umbrâ tegit. *Mortis tenebris operit.*

Rex Gradive trophæum. *Gradivus, Martis nomen. Trophæum strues armorum ad monimentum victoriæ.*

Instaurant: *Adversùs Æneam* Cæculus *natus è Stirpe Vulcani,* & Umbro *ortus è montibus Marsorum innovant certamen, tanquam duces, ille Prænestinorum, hic Marsorum.*

Dardanides: *Nepos Dardani Æneas* furit contrà: *ex opposito; & dejecere ense manum Anxuris, & simul totum ambitum clypei.* Ille, *scilicet Anxur,* dixerat aliquid *magnum; id est, magicis quibusdam verbis adversùs vulnera se munierat, & putaverat virtutem adfuturam incantamento.*

Di-

Dixerat ille aliquid magnum, vímque affore verbo
Crediderat, cæloque animum fortaffe ferebat,
Caniciémque fibi & longos promiferat annos.
Tarquitus exultans contrà fulgentibus armis,
Sylvicolæ Fauno Driope quem Nympha creârat,
Obvius ardenti fefe obtulit: ille reductâ
Loricam clypeíque ingens onus impedit haftâ:
Tum caput orantis nequicquam, & multa parantis
Dicere, deturbat terræ: truncúmque repentem
Provolvens, fuper hæc inimico pectore fatur:
Ifthic nunc, metuende, jace: non te optima mater
Condet humi, patrióve onerabit membra fepulcro;
Alitibus linquêre feris, aut gurgite merfum
Unda feret, pifcéfque impafti vulnera lambent.
Protinus Antæum & Lycam, prima agmina Turni,

Per-

Aliquid magnum. *Legunt nonnulli aliquid magicum.*

Cæloque animum. *Fortè fe exæquaverat cælo, & ut eft proverbium*, cælum digito attingebat.

Sylvicolæ fauno: *Fauni, ruftica numina, multi fuere, Ecl. 6. 27. Horum aliquo, & Dryope Nymphâ natus Tarquitus.*

Reductâ loricam &c. *Tarquitus longam haftam in Æneam dextrâ intendebat: Æneas hanc detorfit: quam cùm Tarquitus non amitteret manu; inde clypeus ejus haftâ tranfverfâ impeditus, patentem vulneri locum reliquit.*

Prima agmina. *Qui agminis erant primi: vel quia cenfebantur inter primos & præcipuos totius exercitûs.*

Perſequitur; fortémque Numam; fulvúmque Camertem,
Magnanimo Volſcente ſatum, ditiſſimus agri
Qui fuit Auſonidum & tacitis regnavit Amyclis.
Ægæon qualis, centum cui brachia dicunt
Centenásque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribúsque arſiſſe: Jovis cum fulmina contrà
Tot paribus ſtreperet clypeis, tot ſtringeret enſes.
Sic toto Æneas deſævit in æquore victor,
Ut ſemel intepuit mucro. Quin ecce Nyphæi

Quæ

Fulvúmque Camertem: *Flavum, pulchrum.*

Tacitis Amyclis. *Amyclæ, urbs fuit Peloponneſi. Hinc profecti Coloni urbem in Italia cognominem condiderunt.* Tacitæ *dicuntur Amyclæ, vel quòd (juxta Ciceronem) propter nimiam modeſtiam injurias à finitimis acceptas tacerent, ac diſſimularent: vel juxta Servium, quia cùm Pythagoricam ſectam ſequerentur, quæ quinquennale ſilentium ſervari, & ab animalium cæde abſtineri jubebat; à ſerpentibus è vicina palude erumpentibus, quos occidere nefas putabant, deletæ ſunt.*

Ægæon. *Gigas, Cæli & Telluris filius.* Ægæon *apud homines dictus,* Briareus *apud Deos, manibus centum, capitibus quinquaginta inſtructus. Jovis hoſtis hîc dicitur, quales gigantes cæteri.*

Sic toto; *Ut non unam manum putares; námque ad hoc pertinet comparatio, ut intelligamus, eum multitudinis vice dimicâſſe.*

Quin ecce Nyphæi: *Imò ecce irrumpit in equos* qua-

Quadrijuges in equos adversáque pectora tendit.
Atque illi longè gradientem & dira frementem
Ut vidêre, metu versi, retróque ruentes,
Effundúntque ducem, rapiúntque ad littora currus.
Intereà bijugis infert se Lucagus albis
In medios, fratérque Liger: sed frater habenis
Flectit equos, strictum rotat acer Lucagus ensem.
Haud tulit Æneas tanto fervore furentes:
Irruit, adversáque ingens apparuit hastâ.
Cui Liger:
Non Diomedis equos, non currum cernis Achillis,
Aut Phrygiæ campos; nunc belli finis & ævi
His dabitur terris. Vesano talia latè

Dicta

quatuor Niphæi alligatos jugo, & in pectora eorum opposita.

Atque illi: *Equi scilicet.* Longè gradientem: *Procul incedentem, & dirè furentem.*

Bijugis. *A nominativo* Bijugus: *dicitur enim bijugis tertiæ declin.* & Bijugus *secundæ; sicuti suprà* Quadrijuges.

Adversáque ingens: *Hoc est, adversus ipse cum hasta apparuit.* Ingens: *Tanquam heros.*

Diomedis equos &c. *Non ii sumus hostes, quorum è manibus elabi possis, ut elapsus es è Diomedis manibus, Venere peplum suum obtendente: aut è manibus Achillis, Neptuno te pugnæ subducente; sed jam vitæ terminum attigisti.*

Ævi: *Vitæ tuæ.*

Pro-

Dicta volant Ligeri: sed non & Troïus heros
Dicta parat contrà: jaculum nam torquet in hostem
Lucagus, ut pronus pendens in verbera telo
Admonuit bijugos, projecto dum pede lævo
Aptat se pugnæ; subit oras hasta per imas
Fulgentis clypei, tum lævum perforat inguen.
Excussus curru moribundus volvitur arvis.
Quem pius Æneas dictis affatur amaris:
Lucage, nulla tuos currus fuga segnis equorum
Prodidit, aut vanæ vertêre ex hostibus umbræ:
Ipse rotis saliens juga deseris. Hæc ita fatus,
Arripuit bijugos. Frater tendebat inermes
Infelix palmas, curru delapsus eodem:
Per te, per qui te talem genuêre parentes,
Vir Trojane, sine hanc animam, & miserere precantis,

Ph-

Pronus: *Pendens in verbera. Habitum hunc aurigarum memoravit in fine Georg. 3.*

Proníque in verbera pendent.

Admonuit bijugos: *Excitavit equos flagello, aut telo.* Projecto: *Extento, antejacto.*

Hasta per imas: *Hasta ab Ænea missa.*

Inguen. *Pars est illa corporis, qua femur, imo ventri vicinum, complicatur.*

Lucage. *Nec te equi tardè fugientes, nec territi prodiderunt; tu ipse è rotis desiluisti. Sarcasmos est, & per irrisionem dictum. Alludit ad objectionem sibi priùs factam.*

Sine hanc animam: *Relinque, omitte hanc animam.*

La-

Pluribus oranti Æneas: haud talia dudum
Dicta dabas: morere, & fratrem ne desere frater.
Tum latebras animæ, pectus, mucrone recludit.
Talia per campos edebat funera ductor
Dardanius: torrentis aquæ vel turbinis atri
More furens. Tandem erumpunt & castra relinquunt
Ascanius puer & nequicquam obsessa juventus.
Junonem intereà compellat Juppiter ultrò:
O germana mihi atque eadem gratissima conjux:
Ut rebâre, Venus (nec te sententia fallit)
Trojanas sustentat opes? non vivida bello
Dextra viris, animúsque ferox, patiénsque pericli?
Cui Juno summissa: quid, ô pulcherrime conjux,
Solicitas ægram & tua tristia dicta timentem?
Si mihi, quæ quondam fuerat, quámque esse decebat,

Vis

Latebras animæ, pectus: *Definitio est pectoris, id est, in quo anima latet, & continetur.*

Turbinis. *Turbo, ventus est repentino impetu universa* perturbans, *Græcis* τυφών.

Castra relinquunt: *Urbem obsessam.*

Germana: *Cur Juno dicatur Jovis* & soror, & conjux *Æn.* 1. 51. *Existimant aliqui Jovem hîc simpliciter loqui; sed per interrogationem, & ironiam videtur sic dicere: An Venus fulcit vires Trojanorum, ut putabas; nec opinio tua decipit te? annon ipsi Martii sunt, & generosi in bello? Annon animi asperi ac laboris tolerantes?* Opes. *Vires, potentia.*

Summissa. *Humilis.*

Solicitas ægram: *Lacessis, ludis objurgas.*

Vis

Vis in amore foret; non hoc mihi namque negares,
Omnipotens: quin & pugnæ subducere Turnum,
Et Dauno possem incolumem servare parenti.
Nunc pereat; Teucrísque pio det sanguine pœnas.
Ille tamen nostrâ deducit origine nomen:
Pilumnúsque illi quartus pater: & tua largâ
Sæpè manu multísque oneravit limina donis.
Cui rex ætherei breviter sic fatur Olympi:
Si mora præsentis lethi tempúsque caduco
Oratur juveni, méque hoc ita ponere sentis;
Tolle fugâ Turnum, atque instantibus eripe fatis:
Hactenus indulsisse vacat. Sin altior istis
Sub precibus venia ulla latet, totúmque moveri
Mutarísve putas bellum; spes pascis inanes.
Cui Juno illacrymans: quid si, quod voce gravaris,
Mente dares; atque hæc Turno rata vita maneret?

Vis in amore: *Si tantum apud te possem amore meo, quantum olim poteram: non hoc mihi negares, ut possem pugnæ Turnum subducere.*

Pilumnúsque: *De Pilumno suprà v.76.*

Caduco: *Morituro: quem in hoc bello casurum in fatis est.*

Ponere: *Facere: vel ut quidam volunt, constituere, & decernere me posse putas, cupísque.*

Hactenus: *Eoúsque tibi favere licet.*

Venia: *Gratia vel beneficium, & veniæ impetratio; siquid aliud, inquit, & majus petis, spem vanam alis.*

Quid si: *Timet Juno, ne parùm sincerè, & ex animo permiserit Jupiter, vitam Turni, dilatâ morte,*

ser-

Nunc manet inſontem gravis exitus: aut ego veri
Vana feror: quod ut ô potiùs formidine falſa
Ludar; & in melius tua, qui potes, orſa reflectas!
Hæc ubi dicta dedit, cælo ſe protinus alto
Miſit, agens hyemem nimbo ſuccincta per auras:
Iliacámque aciem & Laurentia caſtra petivit.
Tum Dea nube cavâ tenuem ſine viribus umbram,
In faciem Æneæ, (viſu mirabile monſtrum)
Dardaniis ornat telis: clypeúmque, jubáſque
Divini aſſimulat capitis, dat inania verba,
Dat ſine mente ſonum, greſſúſque effingit euntis.
Morte obitâ quales fama eſt volitare figuras,

Aut

ſervare. Inſtat igitur: Nunc verò acerbus finis deſtinatur innocenti, aut ego dicor ignara veritatis, quòd ita potiùs ſit. Veri vana: *ignara, inſcia.* Orſa *pro dictis & fatis.*

Agens hyemem &c. *Pro tempeſtate. Nube ſe involvens, & procellâ.*

Tum Dea: *Ad imitationem Homeri Iliad.* 5. 449. *Cùm enim Venus Diomedi in Æneam irruenti fruſtra peplum obtendens ab ipſo Diomede vulnerata fuiſſet, currúmque Æneæ commiſiſſet Apollini: Apollo Ænea ſubducto, ſimulacrum eidem perſimile oppoſuit hoſtibus. Idem hîc præſtat Juno, ut Turnum Æneæ ſubducat, Æneæ figuram ex* nube cava, *& tenui* umbra, quæ ſine viribus, *efformat, armis Æneæ inſtruit, vocem aſſimulat &c.*

Jubáſque: *Galeæ criſtas, è jubis equinis.*

In-

Aut quæ sopitos deludunt somnia sensus.
At primas læta ante acies exultat imago,
Irritátque virum telis, & voce lacessit.
Instat cui Turnus, stridentémque eminus hastam
Conjicit: illa dato vertit vestigia tergo.
Tum verò Ænean aversum ut cedere Turnus
Credidit, atque animo spem turbidus hausit inanem;
Quò fugis, Ænea? thalamos ne desere pactos;
Hac dabitur dextrâ tellus quæsita per undas.
Talia vociferans sequitur, strictúmque coruscat
Mucronem; nec ferre videt sua gaudia ventos.
Fortè ratis, celsi conjuncta crepidine saxi,
Expositis stabat scalis & ponte parato,
Quâ rex Clusinis advectus Osinius oris,
Huc sese trepida Æneæ fugientis imago

Con-

Instat cui Turnus: *Credebat hic verum Æneam esse, cùm fuerit tantùm simulacrum effictum ab Junone.*

Turbidus: *Mente mota, vana spe elatus.*

Hac dabitur &c. *Amarus jocus: significat enim, se humi dejecturum Æneam, & morti daturum.*

Nec ferre videt &c. *Nec videt hostem, cujus ob fugam exultat, umbram inanem esse, quæ vento rapitur, & vanum esse suum gaudium ob Æneam in fugam actum.*

Fortè ratis: *Casu stabat navis, alligata crepidini, & summitati rupis ac ripæ.*

Scalis & ponte: *Quibus in navim conscenderetur; qua nave Rex Osinius advectus ab urbe Etruriæ Clusio.*

Sa-

Conjicit in latebras: nec Turnus segnior instat,
Exuperátque moras, & pontes transilit altos,
Vix proram attigerat: rumpit Saturnia funem,
Avulsámque r[illegible]t revoluta per æquora navem.
Illum autem Æneas absentem in prælia poscit:
Obvia multa virûm demittit corpora morti.
Tunc levis haud ultrà latebras jam quærit imago,
Sed sublimè volans nubi se immiscuit atræ,
Cùm Turnum medio interea fert æquore turbo.
Respicit ignarus rerum, ingratúsque salutis:
Et duplices cum voce manus ad sidera tendit:
Omnipotens genitor, tantón' me crimine dignum
Duxisti? & tales voluisti expendere pœnas?
Quò feror? unde abii? quæ me fuga, quémve reducet?
Laurentésne iterum muros aut castra videbo?
Quid manus illa virûm, qui me, meáque arma secuti?
Quós-

Saturnia: *Juno Saturni filia.*

Æneas: *Verus Æneas quærit interea Turnum ad certamen.*

Tunc levis: *Imago Æneæ disparet, & evolans in altum se nubibus miscet.*

Cùm Turnum: *Turnus in medium mare vento abripitur.*

Ignarus rerum: *Hoc est, artis, per quam evaserat: nesciens, hoc pro salute sua factum, & ideò in*gratus; *nam ingrato animo salutem acceperat.*

Crimine dignum. *Dignum, qui admitterem tantum scelus, quale est, meos in pugna deserere.*

Quémve reducet? *Qualem me reducet? quanta ignaviæ labe maculatum?*

Quósque, nefas, omnes infanda in morte reliqui?
Et nunc palantes video, gemitúmque cadentûm
Accipio. Quid agam? aut quæ jam ſatis ima dehiſcat
Terra mihi? vos ô potiùs miſereſcite venti:
In rupes, in ſaxa (volens vos Turnus adoro)
Ferte ratem, ſævíſque vadis immittite ſyrtis:
Quò neque me Rutuli, neque conſcia fama ſequatur.
Hæc memorans, animo nunc huc, nunc fluctuat illuc:
An ſeſe mucrone ob tantum dedecus amens
Induat, & crudum per coſtas exigat enſem;
Fluctibus an jaciat mediis, & littora nando
Curva petat: Teucrúmque iterum ſe reddat in arma.
Ter conatus utramque viam: ter maxima Juno
Continuit, juvenémque animo miſerata repreſſit.
Labitur alta ſecans, fluctúque æſtúque ſecundo:

Et

Palantes. *Vagos, quaſi* planantes, *à* πλανῶμαι erro, vagor, *unde* & planetæ, vaga aſtra. Video: *Videre videor.*

Adoro. *Ventos ſcilicet, tanquam Deos.*

Syrtis: *Loci arenoſi in mari.*

Induat: *An ſe transfigat gladio ob acceptam fugâ infamiam. Commutatio: pro, mucronem ſuo induat corpore, eóque abdat. Sic Cæſar de Bello Gallico l.*7. Se ipſi acutiſſimis vallis induebant.

Crudum. *Cruentum. Nam* cruor *eſt ſanguis effuſus venis,* & *jam frigeſcens, à* κρύος frigidus: *à cruore* cruentus, & crudus, *qui eſt adhuc in cruore; à* crudo, crudelis, *ut à* fido fidelis.

Ad

Et patris antiquam Dauni defertur ad urbem.
At Jovis intereà monitis Mezentius ardens
Succedit pugnæ, Teucrósque invadit ovantes.
Concurrunt Tyrrhenæ acies, atque omnibus uni,
Uni odiísque viro telísque frequentibus instant.
Ille, velut rupes vastum quæ prodit in æquor,
Obvia ventorum furiis, expostáque ponto,
Vim cunctam atque minas perfert cælíque marísque,
Ipsa immota manens. Prolem Dolichaonis Hebrum
Sternit humi: cum quo Latagum, Palmúmque fugacem
Sed Latagum saxo atque ingenti fragmine montis
Occupat os faciémque adversam: poplite Palmum
Succiso volvi segnem finit: armáque, Lauso

Do-

Ad Urbem. *Ardeam, Dauni & Turni regiam, Rutulorum caput.*

At Jovis intereà: *Mezentium in Turni locum facit venire, ut justum prælium inveniatur, ne una pars penitus sit à ducibus destituta. Et fato trahitur Mezentius ad mortem, ut sua & filii cæde Pallantis casus expietur.*

Tyrrhenæ acies: *Quæ specialiter odio Mezentii in bellum ruebant.*

Prodit in æquor: *Procurrit, extenditur in magnum mare.*

Latagum occupat os: *Pro: Latagi os, vel secundùm os.*

Segnem finit: *Qui efficere jam nihil possit, jacens subsecto poplite.*

Lauso donat habere: *Græca figura.*

Æqua-

Donat habere humeris, & vertice figere cristas.
Necnon Evantem Phrygium, Paridísque Mimanta
Æqualem comitémque: unâ quem nocte Theano
In lucem genitori Amyco dedit; & face prægnans
Cisseis regina Parin creat; urbe paterna
Occubat, ignarum Laurens habet ora Mimanta.
Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper (multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit, multósque palus Laurentia) sylvâ

Æqualem: *Coætaneum & socium Paridis, quem* Theano (*nomen fœminæ*) *uxor* Amyci, *viri Trojani, edidit in lucem eâdem nocte, quâ* Cisseis, *Hecuba filia Cissei, peperit Parim. Hecuba Parin utero ferens facem se gestare somniavit. Æn.* 1. 31.

Urbe paterna occubat: *Paris in urbe Troja, à Philocteta occisus est*: Ignarum Mimanta *campi Laurentes accipiunt occisum; ignorantem, se tali casu & loco moriturum.*

Velut ille: *In comparationibus adhibetur sæpiùs* Ille.

Actus aper: *Coactus in retia.*

Vesulus. *Mons altissimus alpium maritimarum ad occidentem Liguriæ, nunc* monte Viso; *in eo sunt Padi fontes.*

Defendit: *Texit; ubi diu latuit.*

Palus Laurentia: *Inter Tiberis ostia, urbémque Laurentum, tractus est sylvis, & paludibus, arundinetisque asper, & apris infestus.*

Post-

Pastus arundineâ: postquam inter retia ventum est.
Substitit, infremuítque ferox, & inhorruit armos:
Nec cuiquam irasci, propiúsve accedere virtus,
Sed jaculis tutísque procul clamoribus instant:
Ille autem impavidus partes cunctatur in omnes,
Dentibus infrendens, & tergo decutit hastas.
Haud aliter, justæ quibus est Mezentius iræ:
Non ulli est animus stricto concurrere ferro;
Missilibus longè & vasto clamore lacessunt,
Venerat antiquis Coriti de finibus Acron,
Grajus homo, infectos linquens profugus hymenæos,
Hunc ubi miscentem longè media agmina vidit,

Pur-

Postquam inter retia: *Talis aper postquam in retia morsu latratúque canum conjectus est, primùm subsistit, quasi dubius, & non prævisis laqueis irretitus, & implicatus: deinde infremit, tandem inhorrescit, id est, præ furore setas subrigit, & horripilat.*

Mezentius iræ. *Sicut dicimus* esse odio.

Antiquis Coriti de finibus. *Coritus, nunc* Cortona *urbs in orientali parte Tusciæ, circa Trasimenum lacum.* Antiquis finibus: *Quia à Corito Dardani patre fundata, à quo Trojani originem duxerunt.*

Infectos hymeneos: *Sponsam, & nuptias relinquens imperfectas.*

Miscentem: *Perturbantem. Pactæ conjugis ostro. Qui purpureus erat ob vestem acceptam à sponsa.*

 Sur-

Purpureum pennis & pactæ conjugis ostro:
Impastus stabula alta leo ceu sæpè peragrans,
(Suadet enim vesana fames) si fortè fugacem
Conspexit capream, aut surgentem in cornua cervum:
Gaudet hians immanè, comásque arrexit, & hæret
Visceribus super accumbens, lavit improba teter
Ora cruor:
Sic ruit in densos alacer Mezentius hostes,
Sternitur infelix Acron, & calcibus atram
Tundit humum expirans. infractáque tela cruentat.
Atque idem fugientem haud est dignatus Orodem
Sternere, nec jactâ cæcum dare cuspide vulnus:
Obvius adversóque occurrit, séque viro vir
Contulit: haud furto melior, sed fortibus armis.

Tum

Surgentem in cornua. *Sublimem, & eminentem cornibus.*

Comásque arrexit: *Naturale enim est, ut irati leones erigant jubas.*

Lavit: *Prima brevi, præsentis est temporis à* Lavo *tertiæ Conjug. Prima longa præteriti est temporis à la*vare.

Improba: *Insatiabilia.*

Infractáque tela: *Rupta & fracta.*

Cæcum vulnus. *Ab Orode non prævisum; quia à tergo, quasi clam, & ex insidiis, seu, ut mox ait, furto.*

Haud furto melior: *Non melior insidiis, aut dolis, sed generosis armis.*

Pars

Tum super abjectum posito pede nixus & hastâ:
Pars belli haud temnenda, viri, jacet altus Orodes,
Conclamant socii, lætum pæana secuti.
Ille autem expirans: non me, quicunque es, inulto,
Victor, nec longùm lætabere: te quoque fata
Prospectant paria, atque eadem mox arva tenebis,
Ad quem subridens mixtâ Mezentius irâ:
Nunc morere: ast de me Divûm pater atque hominum rex
Viderit. Hoc dicens, eduxit corpore telum:
Olli dura quies oculos & ferreus urget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem,

Cæ-

Pars belli: *Magna pars belli confecta est, prostrato Orode, qui plurimum momenti suis partibus afferebat.* Altus Orodes: *Allusum est ad vocis etymon; ὄρος enim Græcis mons est, ὀρόδης monti similis.*

Pæana secuti. *Pæan, carmen triumphale: quod inceptum à Mezentio socii persequuntur.*

Longùm: *Pro longè, diu.*

Eadem mox arva: *Mox mordebis eandem terram.*

Divûm pater, atque hominum rex. *Quem vos talem esse creditis. Jocatur enim impius Mezentius in Deos, qui infrà v. 773. nullum invocat ad pugnam Deum, præter dextram suam & arma:* Dextra mihi Deus, & telum quod missile libro.

Cædicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaspen:
Partheniúmque Rapo, & prædurum viribus Orsen:
Messapus Cloniúmque, Lycaoniúmque Ericeten:
Illum, infrænis equi lapsu tellure jacentem;
Hunc peditem pedes. Et Lycius processerat Agis,
Quem tamen haud expers Valerus virtutis avitæ
Dejicit, Atronium Salius; Saliúmque Nealces,
Insignis jaculo & longè fallente sagitta.
Jam gravis æquabat luctus & mutua Mavors
Funera: cædebant pariter, paritérque ruebant
Victores victíque: neque his fuga nota, neque illis.
Dii Jovis in tectis iram miserantur inanem
Amborum, & tantos mortalibus esse labores.
Hinc Venus, hinc contrà spectat Saturnia Juno.
Pallida Tisiphone media inter millia sævit,

At

Cædicus &c. *Latinâ hîc nomina à Græcis sunt distinguenda: Latina sunt* Cædicus, Sacrator, Rapo, Messapus, Salius. *Græca verò, atque adeò Phrygia & Trojana* Alcathous, Hydaspes, Parthenius, Orses &c.

Lycaonium Ericeten. *Vel* Lycaonis *filium, vel è* Lycaonia, *minoris Asiæ regione.*

Lycius Agis. *E Lycia.* Processerat, *Scilicet contra Messapum dimicaturus; quem nequivit aggredi: nam à Valero, antequam ad Messapum perveniret, occisus est.*

Longè fallente sagittâ. *Eminùs incautos ferientе.*

Tisiphone. *Una è tribus furiis.*

Orion.

At verò ingentem quatiens Mezentius hastam
Turbidus ingreditur campo: quàm magnus Orion,
Cùm pedes incedit medii per maxima Nerei
Stagna viam scindens, humero supereminet undas;
Aut summis referens annosam montibus ornum,
Ingreditúrque solo; & caput inter nubila condit.
Talis se vastis infert Mezentius armis.
Huic contrà Æneas, speculatus in agmine longo,
Obvius ire parat. Manet imperterritus ille,
Hostem magnanimum opperiens, & mole suâ stat,
Atque oculis spatium emensus quantum satis hastæ;
Dextra mihi Deus, & telum, quod missile libro,
Nunc adsint. Voveo prædonis corpore raptis
Indutum spoliis ipsum te, Lause, trophæum

Æneæ.

Orion. *Maximum est sidus, stellis constans sex & quinquaginta lucidissimis: pingitur accinctus gladio & clavam intendens. Unde cùm mari navigantibus oritur, videtur medium mare secare : mox humeris, deinde toto corpore è fluctibus emergens. Sic quoque in terra degentibus videtur ex horizonte ad summum usque cælum pertingere.* Ornus annosa, *clava est, quæ ei appingitur.*

Nerei stagna : *Humilior expressio maris, quam auget addendo* maxima. *Nereus marinum numen.*

Dextra mihi Deus. *Ita loquitur contemptor Deûm Mezentius*

Ipsum te, Lause, trophæum : *Solent victores truncum arboris eligere, quem spoliis onerent; id trophæum appellant. Mezentius vovet, non truncum arboris, sed Lausum ipsum filium suum trophæi loco sibi fu-*

Æneæ. Dixit, ſtridentémque eminus haſtam
Jecit: at illa volans clypeo eſt excuſſ., procúlque
Egregium Anthorem latus inter & ilia figit:
Herculis Anthorem comitem, qui miſſus ab Argis
Hæſerat Evandro, atque Italâ conſederat urbe,
Sternitur infelix alieno vulnere, cælúmque
Aſpicit, & dulces moriens reminiſcitur Argos.
Tum pius Æneas haſtam jacit: illa per orbem
Ære cavum triplici, per linea terga, tribúsque
Tranſiit intextum tauris opus: imáque ſedit
Inguine; ſed vires haud pertulit. Ociùs enſem

Æneas,

turum, *id eſt*, *ſe daturum*, & *quaſi conſecraturum filio ſpolia Æneæ*; *quem* prædonem *vocat*, *tanquam ad populandam alienam provinciam veniſſet.*

Clypeo excuſſa: *Æneæ clypeo eſt detorta*, & *longè confodit inter ilia*, & *latus illuſtrem* Anthórem: *Non ab* Anthor, Anthoris; *brevis enim eſſet media ſyllaba*, *ut* Hector, oris, Neſtor, oris: *Igitur ab* Anthores, oris, *ut* Diores, Dioris.

Itala urbe. Pallanteo, *Evandri regia.*

Ære cavum. *Per clypeum Mezentii rotundum*, & *cavum triplici æris laminâ*, *trium taurorum tergoribus contextum*, *lineis item integumentis coopertum*, *ita penetravit*, *ut altè adacto vulnere*, *in imo inguine conſederit.* Linea terga, *ut ſuprà v.* 482. Ferri terga, *id eſt plexus varios. Lino autem ſive linteo tegebantur ærea etiam ſcuta*, *ut iis inhærere pictura poſſet.*

Vires haud pertulit: *Vim ampliùs non habuit.*

Hìc

Æneas, viso Tyrrheni sanguine lætus,
Eripit à femore, & trepidanti fervidus instat:
Ingemuit cari graviter genitoris amore,
Ut vidit, Lausus; lacrymæque per ora volutæ.
Hîc mortis duræ casum, tuáque optima facta,
Si qua fidem tanto est operi latura vetustas,
Non equidem, nec te, juvenis memorande, silebo.
Ille pedem referens, & inutilis, ínque ligatus
Cedebat, clypeóque inimicum hastile trahebat:
Prorupit juvenis, seséque immiscuit armis.
Jámque assurgentis dextrâ, plagámque ferentis
Æneæ subiit mucronem: ipsúmque morando
Sustinuit: socii magno clamore sequuntur,
Dum genitor nati parmâ protectus abiret:
Teláque conjiciunt, proturbántque eminus hostem
Missilibus: furit Æneas, tectusque tenet se.

Ac

Hîc mortis duræ: *Ego hîc non tacebo facta tua, ô Lause, & mortem ex amore venientem, si tamen credet vetustas ex scelerato homine pium filium fuisse procreatum.*

Ille: *Mezentius, retrò ferens gressum, & debilis.* Inque ligatus: *Æneæ hastili per clypeum in inguen impacto, cum ipso clypeo quasi illigatus.*

Immiscuit armis: *Se interposuit, & opposuit se cuspidi Æneæ attollentis dextram.*

Parmâ: *Brevi clypeo.*

Tectúsque tenet se. *Suo clypeo se tuetur adversùs tela hostium.*

Tuta

Ac velut effusâ si quando grandine nimbi,
Præcipitant, omnis campis diffugit arator,
Omnis & agricola, & tutâ latet arce viator,
Aut amnis ripis, aut alti fornice saxi,
Dum pluit; in terris ut possint, sole reducto,
Exercere diem: sic obrutus undique telis
Æneas, nubem belli, dum detonet, omnem
Sustinet: & Lausum increpitat, Lausóque minatur:
Quò moriture ruis? majoráque viribus audes?
Fallit te incautum pietas tua. Nec minùs ille
Exultat demens: sævæ jámque altiùs iræ
Dardanio surgunt ductori, extremáque Lauso
Parcæ fila legunt. Validum námque exigit ensem

Per

Tuta latet arce: *Arx accipitur sæpè pro loco refugii, & præsidii.* Amnis ripis: *Sub crepidine fluvii,* Fornice saxi: *Cava rupe, spelunca naturali fornice camerata.*

Exercere diem: *Redire ad opus diurnum.*

Nubem belli: *Bellantium impetum sustinet, dum deferveat.*

Pietas tua: *Quia pietatis erga patrem impulsu te incautum conjicis in mortem.*

Parcæ fila legunt: *Parcæ, quæ hominum sortes fusis evolvunt, jam ultima volvunt fila, instante propiùs morte.*

Exigit ensem. *Agit trans corpus, & capulo tenus ensem condit. Cuspis trajecit quoque parmam, levem armaturam minacis juvenis, & tunicam, quam mater neverat auro flexili.*

Pro

Per medium Æneas juvenem, totúmque recondit.
Transiit & parmam mucro, levia arma minacis,
Et tunicam, molli mater quam neverat auro:
Implevítque sinum sanguis: tum vita per auras
Concessit mœsta ad manes, corpúsque reliquit.
At verò ut vultum vidit morientis & ora,
Ora modis Anchisiades pallentia miris:
Ingemuit miserans graviter, dextrámque tetendit:
Et mentem patriæ subiit pietatis imago.
Quid tibi nunc, miserande puer, pro laudibus istis,
Quid pius Æneas tanta dabit indole dignum?
Arma quibus lætatus, habe tua: téque parentum
Manibus, & cineri, si qua est ea cura, remitto.
Hoc tamen infelix miseram solabere mortem:
Æneæ magni dextrâ cadis. Increpat ultrò
Cunctantes socios, & terrâ sublevat ipsum,
Sanguine turpantem comptos de more capillos.
Interea genitor Tyberini ad fluminis undam
Vulnera siccabat lymphis, corpusque levabat,

Pro laudibus istis: *Pro meritis, pro rebus laude dignis; ut est pietas, virtus, ac fortitudo. Ipse Æneas se hîc in sua fortitudine pariter ostendit pium.*

Sanguine turpantem: *Fœdantem sanguine capillos, quos eleganter compositos habebat, pro more juventutis.*

Intereà genitor: *Redit ad Mezentium patrem Lausi.*

Siccabat lymphis: *Aquâ siccabat; nam fluxus sanguinis aquarum frigore sistitur.*

Ac-

Arboris acclinis trunco: procul ærea ramis
Dependet galea, & prato gravia arma quiescunt.
Stant lecti circùm juvenes: ipse æger, anhelans
Colla fovet, fusus propexam in pectore barbam.
Multa super Lauso rogitat: multósque remittit
Qui revocent, mœstíque ferant mandata parentis:
At Lausum socii exanimum super arma ferebant
Flentes, ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Agnovit longè gemitum præsaga mali mens:
Canitiem immundo deformat pulvere, & ambas
Ad cælum tendit palmas, & corpore inhæret;
Tantáne me tenuit vivendi, nate, voluptas;
Ut pro me hostili paterer succedere dextræ
Quem genui? tuâ ne hæc genitor per vulnera servor,
Morte tua viveas? heu! nunc misero mihi demum

Acclinis: *Acclinatus trunco arboris se sustinebat*: Procul: *id est, juxtà pendebant arma. Nam non magnam, sed aliquam tantùm hic distantiam significat.*

Colla fovet: *Sustentat collum & caput ad arboris truncum.* Fusus propexam &c. *deponens in pectus barbam promissam & longam.*

Canitiem immundo: *Caput canum spargit pulvere; nam deformare pulvere capillos in luctu erat solenne.*

Corpore inhæret. *Amplexatur, & incumbit Lausi cadaveri.*

Heu nunc miseró! *Non movit me hucusque aut ignominia exilii, aut dolor inflicti ab Ænea vulneris; quamdiu ultorem superesse putavi: nunc &c.*

Idem

Exilium infelix, nunc altè vulnus adactum.
Idem ego, nate, tuum maculavi crimine nomen,
Pulsus ob invidiam solio sceptrísque paternis.
Debueram patriæ pœnas, odiísque meorum
Omnes per mortes animam sontem ipse dedissem:
Nunc vivo, neque adhuc homines lucémque relinquo,
Sed linquam. Simul hæc dicens, attollit in ægrum
Se femur, & quanquam vis alto vulnere tardat,
Haud dejectus equum duci jubet: hoc decus illi,
Hoc solamen erat; bellis hoc victor abibat
Omnibus: alloquitur mœrentem, & talibus infit:
Rhœbe, diu (res si qua diu mortalibus ulla est)
Viximus: aut hodie victor spolia illa cruenta
Et caput Æneæ referes, Lausíque dolorum
Ultor eris mecum; aut, aperit si nulla viam vis,
Occumbes pariter: neque enim, fortissime, credo

Jussa

Idem ego. *Qui nunc causa tuæ mortis fui, qui feci, ut exulis & sacrilegi filius esse diceretis. Ego meis criminibus regnum tibi, nunc etiam vitam eripui.*

Debueram pœnas. *Tu luis crimen, & das pœnas, quas ego luere debueram.*

Haud dejectus. *Quamvis violentia profundi vulneris eum retardet, non tamen animo fractus jubet adduci equum, qui illi semper ornamentum & solatium erat; quem proin, etiam ipsum tristem, alloquitur:* Rhœbe: *Equi erat nomen; sic apud Homerum Hector item equos suos alloquitur.*

Sic

Arboris acclinis trunco: procul ærea ramis
Dependet galea, & prato gravia arma quiescunt.
Stant lecti circùm juvenes: ipse æger, anhelans
Colla fovet, fusus propexam in pectore barbam.
Multa super Lauso rogitat: multósque remittit
Qui revocent, mœstíque ferant mandata parentis:
At Lausum socii exanimum super arma ferebant
Flentes, ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Agnovit longè gemitum præsaga mali mens:
Canitiem immundo deformat pulvere, & ambas
Ad cælum tendit palmas, & corpore inhæret;
Tantáne me tenuit vivendi, nate, voluptas;
Ut pro me hostili paterer succedere dextræ
Quem genui? tuâ ne hæc genitor per vulnera servor,
Morte tua vivens? heu! nunc misero mihi demum

Acclinis: *Acclinatus trunco arboris se sustinebat:* Procul: *Id est, juxtà pendebant arma. Nam non magnam, sed aliquam tantùm hîc distantiam significat.*

Colla fovet: *Sustentat collum & caput ad arboris truncum.* Fusus propexam &c. *deponens in pectus barbam promissam & longam.*

Canitiem immundo: *Caput canum spargit pulvere; nam deformare pulvere capillos in luctu erat solenne.*

Corpore inhæret. *Amplexatur, & incumbit Lausi cadaveri.*

Heu nunc miseró! *Non movit me hucusque aut ignominia exilii, aut dolor inflicti ab Ænea vulneris; quamdiu ultorem superesse putavi: nunc &c.*

Idem

Exilium infelix, nunc altè vulnus adactum.
Idem ego, nate, tuum maculavi crimine nomen,
Pulsus ob invidiam solio sceptrísque paternis.
Debueram patriæ pœnas, odiísque meorum
Omnes per mortes animam sontem ipse dedissem:
Nunc vivo, neque adhuc homines lucémque relinquo:
Sed linquam. Simul hæc dicens, attollit in ægrum
Se femur, & quanquam vis alto vulnere tardat,
Haud dejectus equum duci jubet: hoc decus illi,
Hoc solamen erat; bellis hoc victor abibat
Omnibus: alloquitur mœrentem, & talibus infit:
Rhœbe, diu (res si qua diu mortalibus ulla est)
Viximus: aut hodie victor spolia illa cruenta
Et caput Æneæ referes, Lausíque dolorum
Ultor eris mecum; aut, aperit si nulla viam vis,
Occumbes pariter: neque enim, fortissime, credo

Jussa

Idem ego. *Qui nunc causa tuæ mortis fui, qui feci, ut exulis & sacrilegi filius esse diceréris. Ego meis criminibus regnum tibi, nunc etiam vitam eripui.*

Debueram pœnas. *Tu luis crimen, & das pœnas, quas ego luere debueram.*

Haud dejectus. *Quamvis violentia profundi vulneris eum retardet, non tamen animo fractus jubet adduci equum, qui illi semper ornamentum & solatium erat; quem proin, etiam ipsum tristem, alloquitur:* Rhœbe: *Equi erat nomen; sic apud Homerum Hector item equos suos alloquitur.*

Sic

Jussa aliena pati & dominos dignabere Teucros,
Dixit: & exceptus tergo consueta locavit
Membra, manúsque ambas jaculis oneravit acutis:
Ære caput fulgens, cristâque hirsutus equinâ.
Sic cursum in medios rapidus dedit. Æstuat ingens
Imo in corde pudor, mixtóque insania luctu,
Et furiis agitatus amor, & conscia virtus,
Atque hîc Æneam magnâ ter voce vocavit.
Æneas agnovit eum, lætúsque precatur:
Sic pater ille Deûm faciat, sic altus Apollo,
Incipias conferre manum.
Tantum effatus, & infestâ subit obvius hastâ.
Ille autem: quid me erepto, sævissime, nato
Terres? hæc via sola fuit, quâ perdere posses.
Nec mortem horremus, nec Divûm parcimus ulli.

De-

Sic pater ille Deûm : *Poëta introducit Æneam* pium *in invocandis superis. Contrarium in Mezentio, qui suprà*: Dextra mihi Deus &c.

Quid me erepto &c. *Orbatum filio patrem frustrà territas: magìs enim post illius excessum cupio mori, quàm me ipse cupis occidere.*

Hæc via sola fuit &c. *Aliâ enim viâ superare non posses: tunc vita mea consumpta est, tunc me cepit odium vitæ, cùm cecidit Lausus, cùm ejus funus his oculis vidi.*

Nec mortem &c. *Frustrà minaris mortem, quam quæro: frustra Deos invocas, quos contemno, quos probris lacesso: quibus, si adessent, minimè parcerem.*

Hæc

Desine, jam venio moriturus, & hæc tibi porto
Dona priùs. Dixit, telúmque intorsit in hostem:
Inde aliud super, atque aliud figítque, volátque
Ingenti gyro: sed sustinet aureus umbo.
Ter circùm astantem lævos equitavit in orbes,
Tela manu jaciens: ter secum Troïus heros
Immanem ærato circumfert tegmine sylvam.
Inde ubi tot traxisse moras, tot spicula tædet
Vellere; & urgetur pugnâ congressus iniquâ:
Multa movens animo, jam tandem erumpit, & inter
Bellatoris equi cava tempora conjicit hastam.
Tollit se arrectum quadrupes, & calcibus auras

Ver-

Hæc tibi porto dona priùs. *Ut quasi mutuo munere me occidas.*

Volátque ingenti gyro: *Circumibat Æneam ingentibus gyris, pérque orbem.*

Aureus umbo. *Scutum Æneæ; nam per partem totum intelligimus.*

Lævos in orbes: *Sinistro circuitu; ut Æneæ dextram circumveniret, quæ nuda erat, & absque clypeo.*

Sylvam. *Magnam telorum multitudinem infixam clypeo.*

Pugnâ congressus iniquâ. *Pedes Æneas, contra equitem Mezentium.*

Inter tempora: *Id est, in frontem.*

Tollit se arrectum &c. *Videtur primùm sublato capite ex dolore vulneris in posteriores pedes surrexisse, mox contrario motu recidens in anteriores, posteriori-*

Verberât, effusúmque equitem super ipse secutus
Implicat, ejectóque incumbit cernuus armo.
Clamore incendunt cælum Troésque Latinique;
Advolat Æneas, vagináque eripit ensem:
Et super hæc: ubi nunc Mezentius acer, & illa
Effera vis animi? contrà Tyrrhenus, ut auras
Suspiciens hausit cælum, mentémque recepit:
Hostis amare, quid increpitas, mortémque minaris?

Nul-

bus aërem verberâsse: quo succussu dejectus est Mezentius: equus in caput cernuus procubuit.

Ejectóque incumbit cernuus armo. *Cernuus is dicitur, qui procumbit in faciem; eam scilicet partem, quâ* cernimus, *seu videmus. Hinc* cernuare. Armus *est humerus, ut quibusdam videtur, brutorum animantium: tamen hîc explicandum de humero Mezentii.*

Clamore incendunt cælum. *Commovent, concitant. Sic Æn.* 4. 360. Desine méque tuis incendere téque querelis.

Et super hæc &c. *Hostilis insultatio, quam Græci* σαρκασμὸν *vocant; brevis est, ut sapientem, & fortem virum decet.*

Hausit cælum: *Hoc est, aërem aspiciens hausit spiritum; postquam respiravit, & mentem aliquantùm recepit &c.*

Mortémque minaris? Nullum &c. *Quid suspendis ictum, quasi me ad mortem deprecandam invitares? potes me occidere: nullum crimen est, si quod hostis tibi parabat; idipsum huic inferas. Non ad*

pugnam

Nullum in cæde nefas, nec sic ad prælia veni,
Nec tecum meus hæc pepigit mihi fœdera Lausus.
Unum hoc, per, si qua est victis venia hostibus, oro;
Corpus humo patiâre tegi: scio acerba meorum
Circumstare odia: hunc oro, defende furorem,
Et me consortem nati concede sepulcro.
Hæc loquitur, juguló que haud inscius accipit ensem,
Undantíque animam diffundit in arma cruore.

pugnam eâ mente redii, ut vincerem, sed ut morerer. Nec Lausus morte sua fœdus hoc tecum mihi pepigit, ut vitam deinde mihi condonares; donum quippe respuerem tuum, qui filio superesse nolo.

Circumstare odia: *Tyrannidem & crudelitatem Mezentii, cùm Tyrrhenorum rex esset, fusè describit Evander Æneid.* 8. 482. *Ob eam causam subditi regno & patriâ expulerunt. Itaque cùm hic subditorum suorum* odia *ipse agnoscat, supra cùm dixit v.* 852. *pulsus ob* invidiam solio, *intellige per invidiam pariter* odia, *aut* invidiam *non quidem* subditorum in se, *sed* suam in subditos, *id est cupiditatem, avaritiam, immanitatem; nam agnoscit ibi, debere se pœnas patriæ*; debueram patriæ pœnas, odiísque meorum.

Undantíque &c. *Diffundit animam cruore undanti in arma, qui large effusus etiam arma lavabat.*

P. VIRGILII M.

ÆNEIDOS

LIBER XI.

ARGUMENTUM.

Posterà die victor Æneas de spoliis Mezentii trophæum Marti erigit; Pallantis mortui corpus magno apparatu ad Evandri urbem remittit; ubi summo patris luctu excipitur. Latini oratores duodecim dierum inducias ab Ænea obtinent, & interim uterque exercitus cadavera suorum supremis honoribus prosequitur. Venulus, è Diomedis urbe redux, nullam inde spem esse exilii, Latinis refert. Latinus rex eâ spe destitutus, convocato concilio, legatos ad Æneam de pacis conditionibus mittendos censet. Addit Dran-

cis

ces huic regis sententiæ multa in Turnum belli auctorem convitia : quæ Turnus amarè, sed animosè refellit, paratum se professus, singulari cum Ænea certamine commune periculum redimere. Iis ita rixantibus nuntiatur, Trojani exercitûs expeditos equites planis itineribus Laurento imminere, Æneam cum reliquis copiis per loca montibus impedita eòdem contendere. Turnus cognito Æneæ consilio suas etiam copias bifariàm dividit: equites sub Camilla & Messapo Trojanis equitibus opponit; ipse cum cæteris montium angustias occupat, ut Æneam opprimat insidiis. Diana mortem Camillæ prævidens, cùm eam impedire non possit, saltem ultioni providet : dimissa è cælo Nymphâ Opi, quæ percussorem illius interimat. Commisso equestri prælio Camilla ab Arunte occiditur, Aruns ab Opi. Camillæ nece consternati Rutuli fugam arripiunt. Cujus calamitatis nuntio ad Turnum perlato, is relictis, quas insederat, angustiis, auxilio suorum accurrit. Eòdem sub sequitur Æneas : imminente jam nocte, castra utrique ante urbem collocant.

Oceanum interea surgens Aurora reliquit.
Æneas (quamquam & sociis dare tempus humandis
Præcipitant curæ, turbatáque funere mens est)
Vota Deûm primo victor solvebat Eoo.
Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituit tumulo, fulgentiáque induit arma,
Mezentî ducis exuvias; tibi, magne, trophæum,
Bellipotens: aptat rorantes sanguine cristas,
Teláque trunca viri, & bis sex thoraca petitum
Perfossúmque locis: clypeúmque ex ære sinistræ
Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum,

Tum

Præcipitant curæ: *Premunt, festinare urgent.* Turbatáque funere: *Pallantis.*

Primo Eoo. *Lucifero, stellâ Veneris, quæ manè ante ortum solis apparet, dicitúrque tum* Eous, *ab* ἠώς *Aurora; serò solem cadentem subsequitur, túmque vocatur* Vesper.

Tumulo: *Pro: in tumulo, seu in colle.*

Trophæum: *Græcis* τρόπαιον, *fiebat vel ex trunco arboris, quem armis circumvestibant, ut hîc; vel ex acervo, & cumulo spoliorum.* Bellipotens: *Deus Mars.*

Teláque trunca: *Quæ in Æneam à Mezentio projecta, & clypeo recepta átque infixa magno numero fuerant.*

Eburnum. *Quia vel vagina, vel manubrium erat ex ebore*

Quod

Tum focios (námque omnis eum ftipata tegebat
Turba ducum) fic incipiens hortatur ovantes:
Maxima res effecta, viri: timor omnis abefto;
Quod fupereft: hæc funt fpolia, & de rege fuperbo
Primitiæ: manibúsque meis Mezentius hîc eft.
Nunc iter ad regem nobis murósque Latinos.
Arma parate, animis & fpe præfumite bellum:
Ne qua mora ignaros (ubi primùm vellere figna
Annuerint fuperi: pubémque educere caftris)
Impediat, fegnésque metu fententia tardet.
Intereà focios inhumatáque corpora terræ
Mandemus: qui folus honos Acheronte fub imo eft.
Ite, ait: egregias animas, quæ fanguine nobis
Hanc patriam peperêre fuo, decorate fupremis
Muneribus: mœftámque Evandri primus ad urbem

Mis-

Quod fupereft: *Quantum ad reliqua: omnis abfit metus.*

De rege fuperbo primitiæ. *Primi fructus belli in Turnum fufcepti, quos pius Æneas Marti dedicat. Per regem fuperbum meliùs intelligitur Turnus, quàm Mezentius.*

Mezentius hîc eft: *Adverbium* hîc, *non pronomen. Hîc jacet Mezentius meâ manu.*

Vellere figna: *More Romanorum, qui in caftris humi defigebant figna; quæ fi deinde ad pugnam exituri facilè evellerent, bono ducebant omini; fi difficilè, malo.*

Honos Acheronte fub imo. *Qui enim carebant honore fepulchri, defpecti apud inferos & vagi cen-*

Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem
Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.
Sic ait illacrymans, recipítque ad limina gressum:
Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acetes
Servabat senior: qui Parrhasio Evandro
Armiger antè fuit; sed non felicibus æquè
Tum comes auspiciis caro datus ibat alumno.
Circùm omnes famulûmque manus, Trojanáque turba,
Et mœstæ Iliades crinem de more solutæ.
Ut verò Æneas foribus sese intulit altis:
Ingentem gemitum tunsis ad sidera tollunt
Pectoribus, mœstóque immugit regia luctu.
Ipse caput nivei fultum Pallantis & ora
Ut vidit, levísque patens in pectore vulnus
Cuspidis Ausoniæ; lacrymis ita fatur obortis:

Té-

tum annos errabant. Æn. 6. 325. Acheron *inferorum fluvius hic pro inferis accipitur.*

Ad limina: *Ad portam, ubi senex Acetes custodiebat depositum cadaver Pallantis mortui. Ad januam quippe domûs producebantur defunctorum cadavera.*

Parrhasio Evandro: *Arcadio, à civitate Arcadiæ.*

Alumno. *Pallanti, cui comes additus.*

Iliades &c. *Trojanæ fœminæ. De more solvendæ comæ in luctu Æn.* 1. 484.

Fultum: *Sustentatum suppositis vestibus, tapetibus, toro funereo.*

Levi pectore: *Molli in pectore apertam plagam.*

Mit-

Téne, inquit, miserande puer, cùm læta veniret,
Invidit fortuna mihi? ne regna videres
Nostra, neque ad sedes victor veherêre paternas?
Non hæc Evandro de te promissa parenti
Discedens dederam: cùm me complexus euntem
Mitteret in magnum imperium: metuénsque moneret
Acres esse viros, cum durâ prælia gente.
Et nunc ille quidem spe multùm captus inani,
Fors & vota facit, cumulátque altaria donis,
Nos juvenem exanimum & nil jam cælestibus ulli
Debentem, vano mæsti comitamur honore.
Infelix! nati funus crudele videbis.
Hi nostri reditus, expectatíque triumphi:
Hæc mea magna fides! at non, Evandre, pudendis
Vulneribus pulsum aspicies: nec sospite dirum

Opta-

Mitteret in magnum &c. *Cùm me Evander pater tuus mitteret ad Tuscos, ut ab iis imperium & regnum acciperem.*

Nil jam cælestibus &c. *Nam vivi subditi credebantur superis Diis, mortui inferis.*

Fides, *Quâ confidebam victorem Pallanta rediturum.*

Pudendis vulneribus. *A tergo illatis, quæ fugacem notent, tibique mortem optabilem reddant, ne dedecus nati aspicias.*

Optabis nato funus pater. Hei mihi, quantum
Præsidium Ausonia, & quantum tu perdis, Iüle!
Hæc ubi deflevit, tolli miserabile corpus
Imperat: & toto lectos ex agmine mittit
Mille viros, qui supremum comitentur honorem,
Intersintque patris lacrymis: solatia luctûs
Exigua ingentis, misero sed debita patri.
Haud segnes alii, crates & molle feretrum
Arbuteis texunt virgis & vimine querno:
Extructósque toros obtentu frondis inumbrant.
Hic juvenem agresti sublimem in stramine ponunt:
Qualem virgineo demessum pollice florem

Seu

Optabis nato funus. *Non talem habes filium, quo sospite tibi dirum funus optares, quod parentes sibi precari solent ob malos libros.*

Tolli miserabile corpus: *Miseratione & deploratione dignum. Describit subinde funebris pompæ apparatum, ritus, & ceremonias.*

Crates & molle feretrum. *Feretrum cratis instar fuit ex ligno de vimine; neque solùm aptum funeribus, sed aliis quibuslibet pompis, in quibus simulacra aut spolia ferebantur; à* ferendo *dictum.*

Obtentu frondis: *Lectum illum mortualem umbraculo foliorum tegunt.*

Agresti in stramine: *Hoc est, super frondes ponunt, in strato ex agresti materia.*

Qualem virgineo: *Comparat flori sive teneræ violæ, sive languentis hyacinthi, qui à puella decerptus, languet, demittit caput, cui quidem nondum splendor*

&

Seu mollis violæ, seu languentis hyacinthi:
Cui neque fulgor adhuc, necdum sua forma recessit:
Non jam mater alit tellus, virésque ministrat.
Tum geminas vestes, auróque ostróque rigentes,
Extulit Æneas: quas illi læta laborum
Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat, & tenui telas discreverat auro.
Harum unam juveni, supremum mœstus honorem
Induit: arsurásque comas obnubit amictu,
Multáque prætereà Laurentis præmia pugnæ
Aggerat, & longo prædam jubet ordine duci.
Addit equos & tela, quibus spoliaverat hostem.
Vinxerat & post terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, cæso sparsuros sanguine flammam:
Indutósque jubet truncos hostilibus armis,

Ipsos

& pulchritudo periit; sed à terra non ampliùs accipit vires, & succum.

Languentis Hyacinthi. *Sæpe Virgilius finalem syllabam brevem producit sequente littera H.*

Læta laborum. *Gaudens illo labore, quia in gratiam Æneæ, quem amabat, conficiebat.*

Harum unam: *Vestem unam corpori Pallantis induit, alterâ caput velat. Imperatores autem paludamento velati efferebantur.*

Laurentis pugnæ: *Laurentino in littore commissæ;* Prædam: *Spolia longâ serie portari imperat, quin & equos duci jubet, & captivos vinctos, inferias quos immolet umbris. Vide Æn.* 10. 519. Cæso sanguine: *Cæsorum sanguine.*

Truncos, *Minora trophæa, quæ manibus præferren-*

Ipſos ferre duces, inimicáque nomina figi.
Ducitur infelix ævo confectus Acetes,
Pectora nunc fœdans pugnis, nunc unguibus ora:
Sternitur & toto projectus corpore terræ.
Ducunt & Rutulo perfuſos ſanguine currus.
Pòſt bellator equus poſitis inſignibus Æthon
It lacrymans, guttíſque humectat grandibus ora.
Haſtam alii galeámque ferunt; nam cætera Turnus
Victor habet. Tum mœſta phalanx, Teucríque ſequuntur,
Tyrrheníque duces, & verſis Arcades armis.
Poſtquam omnis longè comitum proceſſerat ordo,
Subſtitit Æneas, gemitúque hæc addidit alto:

Nos

rentur: cum affixis inimicorum, *hoſtium occiſorum, titulis*, & *nominibus.*

Ducitur Acetes. *De quo ſuprà v.* 30. *Hic conſternatus nimio dolore ire non poterat.*

Corpore terræ: *In terra.*

Poſitis inſignibus Æthon: *Equi Pallantis nomen, quod uni ex ſolis equis ab Ovidio tribuitur. Inſignia equi ſunt phaleræ, monilia, & ſtragula picta.*

It lacrymans: *Poëtice; quanquam etiam equi in humanum doloris affectum tranſire ſæpè videantur.*

Phalanx: *Propriè agmen pedeſtre Macedonum. Hîc pro quolibet agmine.*

Verſis Arcades armis. *Inverſis haſtis, mucrone inclinato,* & *per terram tracto, pro uſitato more in exequiis militaribus.*

Alias

Nos alias hinc ad lacrymas eadem horrida belli
Fata vocant. Salve æternùm mihi, maxime Palla,
Æternúmque vale. Nec plura effatus, ad altos
Tendebat muros, gressúmque in castra ferebat.
Jámque oratores aderant ex urbe Latina,
Velati ramis oleæ, veniámque rogantes:
Corpora, per campos ferro quæ fusa jacebant,
Redderet, ac tumulo fineret succedere terræ:
Nullum cum victis certamen & æthere cassis:
Parceret hospitibus quondam socerísque vocatis.
Quos bonus Æneas, haud aspernanda precantes,
Prosequitur veniâ, & verbis hæc insuper addit:
Quænam vos tanto fortuna indigna, Latini,
Implicuit bello, qui nos fugiatis amicos?
Pacémne exanimis & Martis sorte peremptis
Oratis? equidem & vivis concedere vellem.
Nec veni, nisi fata locum sedémque dedissent:
Nec bellum cum gente gero. Rex nostra reliquit
Hospitia, & Turni potiùs se credidit armis.
Æquius huic Turnum fuerat se opponere morti.

Si

Alias lacrymas: *Ad aliam sepulturam; id est, ad ceteros sepeliendos, qui eodem prælio ceciderunt.*

Salve, vale: *Novissima verba, quibus à funere discedebant.*

In castra: *Ad urbem suam, opere subitario in altum, in turres, in castrorum morem extructam.*

Urbe Latina: *Laurento, Latini regiâ.*

Æthere cassis: *Mortuis, & luce carentibus.*

Socerísque vocatis: *Cùm Latinus Æneam in socium, hospitem & generum accepit Æn. 7. 263.*

Æquius huic Turnum: *Decuisset Turnum singulari*

Si bellum finire manu: si pellere Teucros
Apparat; his decuit mecum concurrere telis;
Vixet, cui vitam Deus aut sua dextra dedisset.
Nunc ite, & miseris supponite civibus ignem.
Dixerat Æneas: olli obstupuêre silentes,
Conversique oculos inter se, atque ora tenebant.
Tum senior, sempérque odiis & crimine Drances
Infensus juveni Turno, sic ore vicissim
Orsa refert: ô famâ ingens, ingentior armis,
Vir Trojane, quibus cælo te laudibus æquem?
Justitiæne priùs mirer, bellíne laborum?
Nos verò hæc patriam grati referemus ad urbem:
Et te, si qua viam dederit fortuna, Latino
Jungemus regi: quærat sibi fœdera Turnus.
Quin & fatales murorum attollere moles,

Sa-

lari potiùs certamine mecum decertâsse, & se magìs huic morti exponere, quàm tot alios, & suos quidem.

Vixet: *Syncope, pro vixisset: sic alibi extinxti pro extinxisti.*

Crimine. *Criminationibus, quibus Turnum semper onerabat, ex odio*

Orsa refert: *Cœptum sermonem prosequitur.*

Justitíæque priùs mirer. *More Græcorum, apud quos verba admirandi, & similia nonnulla genitivo junguntur.*

Quin & fatales: *Delectabit etiam nos erigere tecum mœnia novæ urbis, fato tibi debita.*

Pace

Saxáque ſubvectare humeris Trojana juvabit.
Dixerat hæc : unóque omnes eadem ore fremebant.
Bis ſenos pepigêre dies : & pace ſequeſtrâ
Per ſylvas Teucri, mixtique impunè Latini,
Erravêre jugis. Ferro ſonat alta bipenni
Fraxinus : evertunt actas ad ſidera pinus :
Robora nec cuneis, & olentem ſcindere cedrum ;
Nec plauſtris ceſſant vectare gementibus ornos.
Et jam fama volans, tanti prænuntia luctûs,
Evandrum Evandríque domos & mœnia complet;
Quæ modò victorem Latio Pallanta ferebat.
Arcades ad portas ruere, & de more vetuſto
Funereas rapuêre faces : lucet via longo
Ordine flammarum, & latè diſcriminat agros.
Contrà turba Phrygum veniens plangentia jungit
Agmina. Quæ poſtquam matres ſuccedere tectis
Viderunt, mœſtam incendunt clamoribus urbem.

At

Pace ſequeſtra. *Conciliatrice; nam ſequeſter, eſt arbiter inter utramque partem medius, cujus judicium utraque pars ſequitur; vel* pax ſequeſtra, *ſunt* induciæ, *quæ ſequeſtræ ſunt, id eſt, mediæ, inter bellum præteritum, & bellum futurum.*

Plauſtris gementibus : *Sub pondere ſonantibus.*

Diſcriminat : *Illuſtrat, ut ipſi agri diſcerni ac diſcriminari poſſent.*

Incendunt : *Metaphora, pro concitant, Æn. 4. 360.*

Fe-

At non Evandrum potis est vis ulla tenere;
Sed venit in medios: feretro Pallanta reposto
Procumbit super, atque hæret lacrymánsque geménsque
Et via vix tandem voci laxata dolore est:
Non hæc, ò Palla, dederas promissa parenti:
Cautiùs ut sævo velles te credere Marti.
Haud ignarus eram, quantum nova gloria in armis,
Et prædulce decus primo certamine posset.
Primitiæ juvenis miseræ, bellíque propinqui
Dura rudimenta, & nulli exaudita Deorum
Vota, precésque meæ! túque, ô sanctissima conjux,
Felix morte tuâ, neque in hunc servata dolorem!
Contrà ego vivendo vici mea fata, superstes
Restarem ut genitor. Troûm socia arma secutum

Ob-

Ferretro Pallanta reposto: *Feretro deposito humi concidit super Pallantem filium.*

Non hæc ô Palla: *O Palla, non dederas hæc promissa patri tuo; sed (subintellige) promittebas, fore, ut velles te circumspectius, pro Marti committere.*

Bellíque propinqui: *Vel inter finitimos, & propinquos populos; ita ut ab eo abstinere non potuerim? Vel imminentis belli, cujus mors Pallantis præludium est.*

Vici mea fata. *Superavi naturalem ordinem longiore vitâ. Fatum enim esse videtur, ut pater ante filium moriatur.*

Ob-

Obruerent Rutuli telis: animam ipse dedissem;
Atque hæc pompa domum me, non Pallanta, referret.
Nec vos arguerim, Teucri, nec fœdera, nec quas
Junximus hospitio dextras: sors ista senectæ
Debita erat nostræ. Quòd si immatura manebat
Mors natum, cæsis Volscorum millibus antè,
Ducentem in Latium Teucros, cecidisse juvabit.
Quin ego non alio digner te funere, Palla;
Quàm pius Æneas, & quàm magni Phryges, & quàm
Tyrrhenique duces, Tyrrhenûm exercitus omnis.
Magna trophæa ferunt quos dat tua dextera letho.
Tu quoque nunc stares immanis truncus in armis,

Esset

Obruerent. *Supple*, utinam, *aut* si.

Ducentem in Latium &c. *Solatio tamen mihi est, Teucros, nati mei ductu, licet sibi exitiali, mihique tristi, Latio consedisse, cæsis tamen tot ab illo hostibus, quorum huc allata video trophæa.*

Quin ego non alio: *Ego verò, ô nate, non possum te honorare aliâ & majore pompa funebri, quàm quâ te honorant & Æneas & illustres Teucri, & ductores Tusci, & omnis exercitus.*

Magna trophæa ferunt: *Pompa hæc funebris est magna, quia apportant trophæa ex iis hostibus, quos tua manus demisit morti.*

Tu quoque nunc stares &c. *Tu quoque ô Turne Trophæum fores, fuisset modo par ætas, & pares vires aut mihi, aut nato; sed ego senior sum, natus junior fuit, quàm ut te vinceret.*

Esset par ætas & idem si robur ab annis,
Turne. Sed infelix Teucros quid demoror armis?
Vadite, & hæc memores regi mandata referte:
Quòd vitam moror invisam, Pallante perempto:
Dextera causa tua est, Turnum gnatóque patríque
Quam debere vides meritis, vacat hic tibi solus
Fortunæque locus. Non vitæ gaudia quæro,
Nec fas: sed gnato manes perferre sub imos.
Aurora intereà miseris mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera atque labores.
Jam pater Æneas, jam curvo in littore Tarchon
Constituêre pyras: huc corpora quisque suorum

Mone

Demoror armis: *Ab armis. Cur Teucros à pugna cohibeo?*

Quòd vitam moror: *Quòd adhuc sustineam vivere vitam quamvis odiosam.* Dextera causa tua: *Cur id faciam, causa est, quia spero tuam, ô Ænea, dexteram ultricem necis filii mei futuram. Hunc debes & filio Pallanti, & mihi patri immolare.*

Vacat hic tibi solus: *Nihil est aliud, quod possit vel virtus tua, vel fortuna præstare, nisi ut occiso Turno & vindices filium, & patrem consoleris orbatum.*

Nec fas: *Non cupio hoc mei causâ, & ut vitæ gaudiis perfruar: nec enim hoc licitum foret, sed ut interfecti Turni nuntium ad natum ipse moriens deferam.*

Pyras. *Rogos, busta, ligneas strues comburendis*

ca-

More tulêre patrum: subjectísque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine cælum,
Ter circùm accensos cincti fulgentibus armis
Decurrêre rogos: ter mœstum funeris ignem
Lustravêre in equis, ululatúsque ore dedêre.
Spargitur & tellus lacrymis, sparguntur & arma:
It cælo clamórque virûm, clangórque tubarum.
Hinc alii spolia occisis direpta Latinis
Conjiciunt igni, galeas, ensésque decoros,
Frænáque, ferventésque rotas: pars munera nota,
Ipsorum clypeos, & non felicia tela.
Multa boum circà mactantur corpora morti:
Setigerósque sues, raptásque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes: tum littore toto
Ardentes spectant socios, semiustáque servant
Busta: neque avelli possunt, nox humida donec
Invertit cælum stellis fulgentibus aptum.
Nec minùs & miseri diversa in parte Latini
Innumeras struxêre pyras: & corpora partim

cadaveribus. *De ritibus pompæ funebris. Æn. 6. 215. & seq.* Decurrêre, lustravêre in equis. *De* lustratione *pro* circuitione. *Æn. 1 61.*

Ferventésque rotas. *Rotas curruum hostilium, unde solebant principes viri pugnare.* Ferventes; *quæ solebant olim cursu incalescere.*

In flammam jugulant: *Id est: in rogum injiciendas pecudes.*

Cælum stellis aptum. *Commutatio: pro, cui aptæ & connexæ sunt stellæ.*

Multa virûm terræ infodiunt: avectáque partim
Finitimos tollunt in agros, urbíque remittunt.
Cætera, confusæque ingentem cædis acervum,
Nec numero nec honore cremant. Tunc undique vasti
Certatim crebris collucent ignibus agri.
Tertia lux gelidam cælo dimoverat umbram:
Mœrentes altum cinerem & confusa ruebant
Ossa focis, tepidóque onerabant aggere terræ.
Jam verò in tectis prædivitis urbe Latini
Præcipuus fragor, & longè pars maxima luctûs.
Hîc matres, miseræque nurus, hîc cara sororum
Pectora mœrentûm, puerique parentibus orbi
Dirum execrantur bellum, Turnique hymenæos:
Ipsum armis, ipsúmque jubent decernere ferro;
Qui regnum Italiæ & primos sibi poscat honores.
Ingravat hæc sævus Drances: solúmque vocari
Testatur, solum posci in certamina Turnum.

Multa

Ruebant. Ruo *activè, ut alibi. Eruebant ossa & cineres è focis, & terræ mandabant, extructo aggere.*

Tepido: *Hypallage. Hoc est, ossa tepida.*

Nurus. *Propriè uxor filii. Sumitur vulgò pro juniore qualibet fœmina, conjugio copulata.*

Turnique hymenæos: *Turnum Laviniæ nuptias, quasi sponsalium jure sibi debitas, poscentem.*

Ingravat hæc: *Majorem invidiam conficit, graviora facit, & exaggerat* sævus, *id est, infestus Turno.*

Testatur; *Testificatur etiam legatorum fidem, qui*

hæc

Multa simul contrà variis sententia dictis
Pro Turno, & magnum reginæ nomen obumbrat:
Multa virum meritis sustentat fama trophæis.
Hos inter motus, medio flagrante tumultu,
Ecce super mœsti magna Diomedis ab urbe
Legati responsa ferunt: nihil omnibus actum
Tantorum impensis operum: nil dona neque aurum,
Nec magnas valuisse preces: alia arma Latinis
Quærenda, aut pacem Trojano ab rege petendum.
Deficit ingenti luctu rex ipse Latinus.
Fatalem Æneam manifesto numine ferri
Admonet ira Deûm, tumulíque ante ora recentes.
Ergo concilium magnum, primósque suorum
Imperio accitos, alta intra limina cogit.
Olli convenêre, fluúntque ad regia plenis
Tecta viis. Sedet in mediis, & maximus ævo,

Et

hæc audierint ex Ænea: suprà: æquius huic Turno &c. v. 115.

Multa simul contrà: *Alii autem Turno favent, & magna auctoritas Reginæ eum protegit*, obumbrat, *tuetur, defendit; &* fama sustentat, *quia multos occiderat, multa retulerat trophæa.*

Diomedis ab urbe: *Argis, infrà v. 243.*

Pacem petendum; *Græcismus.*

Fatalem Æneam: *Fatis huc adductum venisse, & manifesto Deorum judicio.*

Olli convenêre: *Intelligendum, venisse quoque Turnum, qui in superiori libro à Junone subtractus pugnæ, Ardeam pervenerat.*

Et primus ſceptris, haud lætâ fronte, Latinus.
Atque hic legatos Ætola ex urbe remiſſos,
Quæ referant, fari jubet: & reſponſa repoſcit
Ordine cuncta ſuo. Tum facta ſilentia linguis,
Et Venulus dicto parens ita farier infit:
Vidimus, o cives, Diomedem, Argiváque caſtra,
Atque iter emenſi caſus ſuperavimus omnes;
Contigimúsque manum quâ concidit Ilia tellus.
Ille urbem Argyripam, patriæ cognomine gentis,

Vi-

Ætola ex urbe. *Arpis, ab Ætolo Diomede conditis. Vide infra.*

Venulus. *Qui ad Diomedem legatus fuerat.*

Diomedem. *Diomedes Tydei, & Deiphyles filius, Oenei regis Calydonii nepos, Argivorum & vicinarum urbium dux ad Trojam profectus est, ex Homero Il. 2. 563. Ibi maxima quæque post Achillem ac difficillima perfecit: Palladium ex arce Trojana rapuit, Rheſum Thraciæ regem occidit; unde laudat Virgilius ejus manum*, quâ concidit Ilia tellus: *Venerem per adulterium conjugis Ægialeæ cum Cylabro & Martem vulneravit. Quare Venus ejus domum evertit. Fugiens in Apuliam, exceptus à Dauno rege, & parte agri donatus, urbes multas condidit; præcipuè* Argos Hippium, *id eſt*, Equeſtre: *ex nomine natalis urbis, cujus ager aptus equis dicitur ab Homero: quæ vox deinde corrupta eſt primò in* Argyrippam, *vel* Argyripam: *tum in* Arpos. *Ejus ruinæ nunc adhuc dicuntur* Arpe, *non longè à* Siponto *urbe, & radicibus promontorii* Gargani, monte di S. Angelo.

Gar-

Victor Gargani condebat Japygis agris.
Postquam introgressi, & coram data copia fandi;
Munera præferimus, nomen patriámque docemus:
Qui bellum intulerint, quæ causa attraxerit Arpos.
Auditis ille hæc placido sic reddidit ore:
O fortunatæ gentes, Saturnia regna,
Antiqui Ausonii; quæ vos fortuna quietos
Solicitat, suadétque ignota lacessere bella?
Quicunque Iliacos ferro violavimus agros,
(Mitto ea, quæ muris bellando exhausta sub altis;
Quos Simois premat ille viros) infanda per orbem
Supplicia & scelerum pœnas expendimus omnes,
Vel Priamo miseranda manus. Scit triste Minervæ

Gargani Japygis. *Japygia, pars Apuliæ, in qua mons Garganus. Inde etiam* Japyx *ventus est nominatus.*

Quicunque Iliacos. *Terret Latinum, ut à bello abstineat, ob exempla Græcorum, qui omnes fere in reditu à Troja infeliciter periêre.*

Quos Simois: *Omitto, quot ille Simois, fluvius Trojadis, viros sepeliverit.*

Vel Priamo: *Etiam Priamo, hosti nostro, miserandi.*

Minervæ Sidus: *Tempestas à Minerva concitata, quâ naufragi allisi sumus ad rupes Euboicas, & promontorium Capharea. Adscribit Sideri Minervæ, quod &* Arcturus *vocatur, sidus procellosum, tempestatem illam, quâ Aiacis Oilei naves, post Trojanum excidium patriam repetentes oppressæ sunt, & Aiax ipse fulmine afflictus.*

Sidus, & Euboïcæ cautes, ultórque Caphareus;
Militia ex illa diversum ad littus abacti,
Atrides Protei Menelaus ad usque columnas
Exulat: Ætnæos vidit Cyclopas Ulysses.
Regna Neoptolemi referam, versósque Penates
Idomenei? Lybicóne habitantes littore Locros?
Ipse Mycenæus magnorum ductor Achivûm

Con-

Euboicæ cautes: *Eubœa Græciæ insula*, Negrepont. *Æn.* 6. 2. Caphareus *scopulus insulæ Euboicæ, ubi Ajax fulmine percussus.* Ultor, *quia ibi pœnas dedit.*

Abacti: *Atrides scilicet Menelaus. & Ulysses.*

Atrides: *Atrei filius Menelaus Spartæ Rex, confecto Trojano bello octo annis tempestate jactatus est circa Ægypti littora, antequam in patriam rediret, pervenítque ad usque* columnas, *limites, terminos, in quibus erat Proteus rex Ægypti.*

Ætnæos. *Ulysses in Siciliam apud Cyclopas appulsus est, ubi mons Ætna.*

Regna Neoptolemi. *Pyrrhi, Epiri regis, Achillis filii. qui ab Oreste Agamemnonis filio occisus est Æn.* 2. 263

Idomenei. *Cretensis regis, qui à suismet pulsus est Æn* 3. 122.

Locros. *Hi Græciæ quoque populi, post bellum Trojanum variè dissipati sunt, & in variis regionibus sedem quærere coacti.*

Mycenæus. *Agamemnon Mycenarum rex, Clytemnestræ uxoris & Ægysti adulteri insidiis occisus.*

Sub-

Conjugis infandæ prima intra limina dextrâ
Oppetiit: devictâ Asiâ subsedit adulter.
Invidisse Deos, patriis ut redditus oris
Conjugium optatum & pulchram Calydona viderem?
Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur:
Et socii amissi petierunt æthera pennis,

Subsedit. Subsido, *est* clàm sedeo in insidiis. *Unde Val. Max. l. 7. c. 2, vocat* subsessorem alieni matrimonii *adulterum, qui alienæ conjugis pudicitiæ insidiatur. Sensus est, Agamemnoni adulteriorum vindici, qui ob Paridis adulterium Trojam everterat, insidiatorem adulterum non defuisse, qui eum sub prima domûs limina, primúmque reditum opprimeret.*

Invidisse Deos. *Referámne & mihi invidisse Deos, & obstitisse, quo minùs revectus in patriam regionem viderem dilectam conjugem, & pulchram urbem Calydona.*

Conjugium optatum. *Conjugem Ægialeam, quæ adulterio commisso cum Cylabaro, Diomedi insidias struxit, ex quibus ægrè evasit.* Calydona: *Calydon urbs Ætoliæ, quam Diomedes, & avito jure possidebat, & armis domuerat. Sed inde fuit coactus aufugere.*

Socii amissi &c. *Circa promontorium Apuliæ Garganum insulæ sunt Diomedeæ ab antiquis dictæ. Illic Diomedis socii in aves finguntur commutati ob iram Veneris. Et has quidem aves in his tantùm insulis re-*

Fluminibúsque vagantur aves (heu dira meorum
Supplicia) & scopulos lacrymosis vocibus implent.
Hæc adeo ex illo mihi jam superanda fuerunt
Tempore; cùm ferro cælestia corpora demens
Appetii, & Veneris violavi vulnere dextram.
Ne verò, ne me ad tales impellite pugnas.
Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum
Pergama, nec veterum memini lætórve malorum.
Munera, quæ patriis ad me portâstis ab oris,
Vertite ad Æneam. Stetimus tela aspera contrà,
Contulimúsque manus: experto credite, quantus
In clypeum assurgat, quo turbine torqueat hastam.
Si duo præterea tales Idæa tulisset.
Terra viros; ultrò Inachias venisset ad urbes,
Dardanus, & versis lugeret Græcia fatis.

Quid-

periri ait Plinius lib. 10. 44. eásque dentes habere, colore esse candidas, infestas advenis, præterquam Græcis.

Cælestia corpora. *Venerem in vola manûs Diomedes vulneraverat; Martem in imo ventre.*

Lætórve malorum. *Græcâ formâ.*

In clypeum assurgat: *Ipse attollat clypeum suum, & quantum valeat jactu hastæ.*

Si duo: *Duo Græcum, est pro* duos.

Ultrò Inachias: *Trojani lacessivissent Græciam, & hæc vice versa lugeret victa, quæ nunc victrix.* Inachias: *Argivas.* Dardanus, *pro: populus Dardanius.*

Cel-

Quidquid apud duræ cessatum est mœnia Trojæ:
Hectoris Æneæque manu Victoria Grajûm
Hæsit, & in decimum vestigia rettulit annum.
Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis:
Hic pietate prior. Coëant in fœdera dextræ,
Quà datur: ast, armis concurrant arma, cavete.
Et responsa simul quæ sint, rex optime regum,
Audîsti & quæ sit magno sententia bello.
Vix ea legati: variúsque per ora cucurrit
Ausoniûm turbata fremor: ceu, saxa morantur
Cùm rapidos amnes; clauso fit gurgite murmur,
Vicinæque fremunt ripæ crepitantibus undis.
Ut primùm placati animi, & trepida ora quiêrunt:
Præfatus divos solio rex infit ab alto:

Antè

Cessatum est: *Tardatum est.* Hæsit: *Tardata est.* Vestigia rettulit: *Retrò acta est, & repulsa.*

Hic pietate prior: *Æneas præstantior, melior religione.*

Quà datur: *Quà potest, quacunque ratione, aut conditione.*

Ceu saxa morantur. *Apta similitudine fremitum submissum principum, Diomedis responsum & consilium obstupentium, subjicit, ab amnium natura, quorum fauces præclusæ fremitum obtusum edunt.*

Præfatus divos. *Veteres, præcipuè Romani, id solemne habuerunt, ut antequam verba publicè facerent, Deos precarentur: & frequenter orationum exordia ab invocatione Deorum sumerent.*

Æto-

Sin alios fines aliámque capessere gentem
Est animus, possúntque solo decedere nostro:
Bis denas Italo texamus robore naves,
Seu plures complere valent: jacet omnis ad undam
Materies: ipsi numerúmque modúmque carinis
Præcipiant: nos æra, manus, navalia demus.
Præterea, qui dicta ferant & fœdera firment,
Centum oratores prima de gente Latinos
Ire placet, pacísque manu prætendere ramos:
Munera portantes eborísque, aurique talenta,
Et sellam regni trabeámque insignia nostri.

Alios fines. *Alias regiones, & alios populos.*

Possúntque: *Sciebat, eos juxta fata in Italiam venisse.*

Bis denas: *Struamus ipsis ex ligno Italico viginti naves, aut plures, si possunt implere.*

Navalia: *Omnia ad rem nauticam necessaria.*

Et sellam. *Sellam curulem: ita dictam deinde à Romanis, à curru, nam vetus auctor apud Gellium l. 3. 18. testatur.* Senatores que curulem magistratum gessissent, curru solitos honoris gratiâ in curiam vehi: in quo curru sella esset, supra quam considerent, quæ ob eam causam curulis appellaretur. *Utebantur autem eâ reges primò, tum Consules, Censores, Prætores, & Ædiles Curules: hanc etiam Romani regibus amicis muneris loco mittebant. Erat illa* eburnea, *seu potiùs cælato ebore contecta.* *De* Trabea *v. Æn.* 7. 188.

Consulite in medium, & rebus succurrite fessis.
Tum Drances idem infensus, quem gloria Turni
Obliquâ invidiâ stimulisque agitabat amaris:
Largus opum, & linguâ melior, sed frigida bello
Dextera, consiliis habitus non futilis auctor,
Seditione potens: genus huic materna superbum
Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat:
Surgit, & his onerat dictis, atque aggerat iras:
Rem nulli obscuram, nostræ nec vocis egentem;
Consulis, ô bone rex. Cuncti se scire fatentur,
Quid fortuna ferat populi, sed dicere mussant.
Det libertatem fandi, flatúsque remittat,
Cujus ob auspicium infaustum morésque sinistros,
(Dicam equidem, licèt arma mihi mortémque minetur)

Lu-

In medium: *Id, quod est in communem utilitatem.* Rebus fessis: *fractis.*

Obliquâ invidiâ: *Hoc est, qui non ex aperto impugnabat Turnum; sed eum Reipublicæ simulata defensione infestabat.*

Non futilis: *Non vanus, non inutilis, sed in consiliis bonus.*

Seditione potens: *Factionibus, captandis vulgi animis.*

Dicere mussant. *Mussare, est* muto *proximum esse; submissa & parùm distincta voce, quasi timide ac dubitanter loqui;* obmurmurare.

Flatúsque remittat: *Ponat superbiam, & altos spiritus.*

Con-

Lumina tot cecidisse ducum, totámque videmus
Consedisse urbem luctu: dum Troïa tentat
Castra fugæ fidens, & cælum territat armis.
Unum etiam donis istis, quæ plurima mitti
Dardanidis, dicique jubes, unum, optime regum,
Adjicias: nec te ullius violentia vincat,
Quin gnatam egregio genero dignísque hymenæis
Des pater, & pacem hanc æterno fœdere jungas.
Quòd si tantus habet mentes & pectora terror;
Ipsum obtestemur, veniámque oremus ab ipso;
Cedat jus proprium regi, patriæque remittat.
Quid miseros toties in aperta pericula cives
Projicis, ô Latio caput horum & causa malorum!
Nulla salus bello: pacem te poscimus omnes,
Turne, simul pacis solum inviolabile pignus.

Pri-

Consedisse: *Clade afflictam in luctu jacere.*

Fugæ fidens: *Carpit fugam Turni, cùm à Junone, non tamen sponte, subductus est è pugna. Æn.* 10. 659.

Unum etiam: *Censet pacis conditionibus cæteris hanc etiam adjiciendam, ut Lavinia conjux Æneæ detur.*

Hymenæis, *nuptiis.*

Cedat &c. *Si adeò Turnum timemus, ut nullus ausit de eo conqueri: ne queramur, ne vi agamus; sed precemur ipsum, saltem sinat, ut rex & patria rei communi liberè consulant pro suo jure.*

Simul pacis &c. *Petimus à te pacem, & simul pacis* solum inviolabile pignus, *id est, Laviniam.*

Pulsus

Primus ego, invisum quem tu tibi fingis, & esse
Nil moror, en supplex venio: miserere tuorum,
Pone animos, & pulsus abi: sat funera fusi
Vidimus, ingentes & desolavimus agros.
Aut si fama movet, si tantum pectore robur
Concipis: & si adeò dotalis regia cordi est;
Aude, atque adversum fidens fer pectus in hostem,
Scilicet ut Turno contingat regia conjux,
Nos, animæ viles, inhumata infletáque turba,
Sternamur campis. Et jam tu, si qua tibi vis,
Si patrii quid Martis habes, illum aspice contrà,
Qui vocat.
Talibus exarsit dictis violentia Turni:
Dat gemitum, rumpítque has imo pectore voces:
Larga quidem Drance, tibi semper copia fandi,
Tunc cùm bella manus poscunt: patribúsque vocatis
Primus ades; sed non replenda est curia verbis,

Quæ

Pulsus abi: *Fugatus, victúsque recede.* Fusi. *Fugati.*

Inhumata, infletáque turba: *Privata funebri honore: quod apud veteres miserrimum fuit.*

Si patrii quid Martis: *Siquid patriæ & bellicæ virtutis habes, vide ex adverso illum, qui te provocat, supra v. 115.*

Violentia Turni. *Antè jam ardens, magis exarsit in Turno ira.*

Larga quidem: *Vanam Drancis eloquentiam per ironiam illudit.* Patribúsque vocatis: *Cùm senes & Senatores convocantur.*

Evan-

Quæ tuto tibi magna volant; dum distinet hostem
Agger murorum, nec inundant sanguine fossæ.
Proinde tona eloquio, solitum tibi; méque timoris
Argue tu, Drance; tot quando stragis acervos
Teucrorum tua dextra dedit, passimque trophæis
Insignis agros. Possit quid vivida virtus,
Experiâre licet; nec longè scilicet hostes
Quærendi nobis: circumstant undique muros.
Imus in adversos? quid cessas? an tibi Mavors
Ventosa in lingua pedibúsque fugacibus istis
Semper erit?
Pulsus ego? aut quisquam meritò, fœdissime, pulsum
Arguet? Iliaco tumidum qui crescere Tybrim
Sanguine; & Evandri totam cum stirpe videbit
Procubuisse domum, atque exutos Arcadas armis?
Haud ita me experti Bitias & Pandarus ingens,
Et quos mille die victor sub Tartara misi,
Inclusus muris hostilíque aggere septus.
Nulla salus bello? Capiti cane talia demens
Dardanio, rebúsque tuis: proinde omnia magno
Ne cessa turbare metu, atque extollere vires

Gen.

Evandri procubuisse domum. *Occiso Pallante ab ipso Turno interiit etiam tota ejus posteritas.*

Bitias & Pandarus. *Portæ Trojanæ custodes, quos interfecit Turnus, cùm in eam urbem insiluit.*

Capiti cane &c. Canere, *vatum proprium est, & futura prædicentium: & sensus est: jacta infaustum illud omen in Trojanos, in teipsum; quòd nempe nulla neque his, neque tibi per bellum salus sit.*

 Bis

Gentis bis victæ, contrà premere arma Latini,
Nunc & Myrmidonum proceres Phrygia arma tremiſcunt?
Nunc & Tydides, & Lariſſæus Achilles?
Amnis & Hadriacas retrò fugit Aufidus undas?
Vel cùm ſe pavidum contra mea jurgia fingit
Artificis ſcelus: & formidine crimen acerbat.
Nunquam animam talem dextra hac, abſiſte moveri,

Amit-

Bis victæ. *Primùm ab Hercule, deinde à Græcis.*

Premere. *Minuere, & ſpernere potentiam, atque arma Regis noſtri.*

Nunc & Myrmidonum &c. *Ironicè metûs inanitatem exaggerat. Dic, ut nobis timorem incutias, dic Myrmidonas, Diomedem, Achillem timuiſſe arma Trojana: qui nunquam illa timuerunt.* Myrmidones *Theſſali, vel Æginetæ Achillis milites.* Tydides: *Tydei filius Diomedes, ſuprà v.* 243. Lariſſæus Achilles: *Theſſalus Æn.* 2. 197.

Amnis & Hadriacas &c. *Dic ipſos etiam fluvios, Trojanorum metu retrò aquas egiſſe.* Aufidus, *nunc* Lofanto, *fluvius Italiæ in Hirpinis naſcens, in mare Hadriaticum fluens.*

Vel cùm ſe: *Exprobrat Dranci ſimulatum de ſe timorem; quem adimit profitendo ſe tam ignavo ſanguine maculari nolle.* Artificis ſcelus, *pro ſceleſto artificio.* Crimen *pro criminatione, ſeu accuſatione.*

Ha-

Amittes: habitet tecum, & sit pectore in isto:
Nunc ad te & tua, magne pater, consulta revertor,
Si nullam nostris ultrà spem ponis in armis;
Si tam deserti sumus, & semel agmine verso
Funditus occidimus, neque habet fortuna regressum;
Oremus pacem, & dextras tendamus inermes.
Quamquam ô! si solitæ quicquam virtutis adesset:
Ille mihi ante alios fortunatúsque laborum,
Egregiúsque animi; qui, ne quid tale videret,
Procubuit moriens, & humum semel ore momordit.
Sin & opes nobis, & adhuc intacta juventus,
Auxilióque urbes Italæ populíque supersunt,
Sin & Trojanis cum multo gloria venit
Sanguine, sunt illis sua funera, párque per omnes

Habitet tecum: *Pessima anima habitet in membris congruis.*

Magne Pater: *Rex Latine.*

Quanquam ô! *Si funditus occidimus, petamus pacem: tamen vel ita quoque, si quicquam haberemus virtutis, deberemus mortem majori felicitati ducere, quam pacem, ut ille Mezentius, qui ab Ænea occisus est, Æn. 10. sub finem.* Fortunatus laborum, egregius animi, *Græca locutio, ut suprà:* Læta laborum.

Humum ore momordit: *Ita passim dicunt Poëtæ Græci & Latini de iis præsertim, qui in bello cadunt.*

Tempestas: cur indecores in limine primo
Deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?
Multa dies variúsque labor mutabilis ævi
Rettulit in melius; multos alterna revisens
Lusit, & in sólido rursus fortuna locavit.
Non erit auxilio nobis Ætolus, & Arpi?
At Messapus erit, felixque Tolumnius, & quos
Tot populi misère duces: nec parva sequetur
Gloria delectos Latio & Laurentibus agris.
Est & Volscorum egregia de gente Camilla,
Agmen agens equitum & florentes ære catervas,
Quòd si me solum Teucri in certamina poscunt,
Idque placet, tantúmque bonis communibus obsto:

Non

In limine primo: *Vixdum inito bello.*

Antè tubam: *Antequam decretoria pugna tubarum sonitu indicta sit.*

Ætolus & Arpi. *Diomedes Argyripæ conditor.*

Messapus &c. *Dux aliquot Etruscorum, invulnerabilis.* Tolumnius, *Augur, qui fœdus disturbabit, & in eo tumultu occidetur.* Felix *dicitur ob peritiam & felicitatem auguriorum.* De Camilla *duce Volscorum Æn. 7. & infrà v. 535.*

Florentes ære catervas: *Fulgentes. Metaphora.*

Quòd si me: *Ad id respondet, quod in fine orationis adjecit Drances, provocatum Turnum ab Ænea, ut singulari certamine rem decernerent.*

Tantumque bonis communibus: *Et in tantum obsum commodis publicis, ut nisi solus dimicavero, concidat universa Respublica.*

Præ-

Non adeò has exosa manus victoria fugit,
Ut tanta quicquam pro spe tentare recusem.
Ibo animis contrà, vel magnum præstet Achillem,
Factáque Vulcani manibus paria induat arma
Ille licèt. Vobis animam hanc, soceróque Latino,
Turnus ego, haud ulli veterum virtute secundus
Devoveo. Solum Æneas vocat? & vocet, oro.
Nec Drances potiùs, sive est hæc ira Deorum,
Morte luat; sive est virtus & gloria, tollat.
Illi hæc inter se dubiis de rebus agebant
Certantes: castra Æneas aciémque movebat.
Nuntius ingenti per regia tecta tumultu
Ecce ruit: magnísque urbem terroribus implet:
Instructos acie Tyberino à flumine Teucros,
Tyrhenámque manum totis descendere campis.
Extemplo turbati animi, concussáque vulgi
Pectora, & arrectæ stimulis haud mollibus iræ.
Arma manu trepidi poscunt, fremit arma juventus,
Flent mœsti mussántque patres: hîc undique clamor
Dissensu vario magnus se tollit in auras.

Haud

Præstet Achillem: *Etsi ille præseferat magnum ipsum Achillem, etsi habeat arma manibus Vulcani fabricata.* Paria. *Quemadmodum Achilles arma quoque rogatu Thetidis à Vulcano obtinuerat.*

Nec Drances potiùs &c. *Invitavit Drancem, ut secum in hostes irrueret, socius laudis & periculi, v. 389. Nunc orationem quasi retractans ait: Æneas me solum vocat? Et verò id opto, potiùs, quàm ut Drances aut laudis, aut periculi mei sit particeps.*

Haud secùs atque alto in luco cùm fortè catervæ
Consedêre avium, piscosóve amne Padusæ
Dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni.
Imò, ait, ô cives, arrepto tempore, Turnus,
Cogite concilium, & pacem laudate sedentes:
Illi armis in regna ruunt. Nec plura locutus
Corripuit sese, & tectis citus extulit altis.
Tu, Voluse, armari Volscorum edice maniplis:
Duc, ait & Rutulos: equites Messapus in armis,

Haud secùs: *Ut auribus diversum Latinorum in partes discedentium fremitum subjiciat, illustrat simili, ducto ab avium diversarum concentu.*

Amne Padusæ: Padus, *maximum Italiæ flumen, quod ostiis septem in mare Hadriaticum defertur, duobus celebrioribus, quorum unum* Paduse *olim dictum. Vocat stagna propter diffusas paludis in morem circa ostia Padi, & variis fossis confluentes aquas.*

Per stagna loquacia. *In quibus habitant cygni loquaces.*

Edice: *Pro edic: Dic, ut armentur.*

Maniplis. *Manipulus erat certus militum numerus, qui sub eodem signo pugnabat. Erat Romuli tempore militum centuria; posteà duas centurias cepit. Ex Ovidio & Donato &c. sic dicitur, quia pro signis & aquilis Romuli tempore habuerunt fasciculos fœni, perticâ suspensos: fasciculi autem illi dicuntur* manipuli, *quòd manum impleant.*

Equites Messapus: *Sic interpungendum: Ut Volusus ducat Rutulos, & simul moneat Volscos, ut sub ducibus suis pugnæ se parent; Messapus verò, Coras & ejus*

Et cum fratre Coras latis diffundite campis.
Pars aditus urbis firment, turrésque capessant:
Cætera, quà jusso, mecum manus inferat arma.
Ilicet in muros tota discurritur urbe.
Concilium ipse pater & magna incepta Latinus
Deserit, ac tristi turbatus tempore differt,
Multáque se incusat, qui non acceperit ultrò
Dardanium Æneam, generúmque asciverit urbi.
Præfodiunt alii portas, aut saxa sudésque
Subjiciunt: bello dat signum rauca cruentum
Buccina. Tum muros variâ cinxêre coronâ
Matronæ puerísque: vocat labor ultimus omnes.
Nec non ad templum summásque ad Palladis arces
Subvehitur magnâ matrum regina catervâ,
Dona ferens: juxtáque comes Lavinia virgo,
Causa mali tanti, atque oculos dejecta decoros.
Succedunt matres, & templum ture vaporant,
Et mœstas alto fundunt de limine voces:
Armipotens belli præses, Tritonia virgo,
Frange manu telum Phrygii prædonis, & ipsum
Pronum sterne solo, portísque effunde sub altis.

Cin-

ejus frater Catillus, de quibus Æn. 7. 672. ducant equites. Messapus nominativus est pro vocativo.

Quà jusso: *Jussero. Sic frequenter in 12. tabulis apud Cic. de legibus. Sic* faxo, *pro* fecero, faxim, *pro* fecerim. Rapsis *pro* rapueris &c.

Præfodiunt portas: *Faciunt fossas ante portas.*

Summas Palladis arces: *Templa vulgò in arcibus, & quia Pallas inventrix dicitur arcium.*

Armipotens & Tritonia. *Palladis nomen, Præses autem fuit urbium, arcium, artium, belli.*

Squa-

Cingitur ipse furens certatim in prælia Turnus:
Jámque adeò Rutulum thoraca indutus, ahenis
Horrebat squamis, surásque incluserat auro,
Tempora nudus adhuc, laterísque accinxerat ensem,
Fulgebátque altâ decurrens aureus arce:
Exultátque animis, & spe jam præcipit hostem:
Qualis ubi abruptis fugit præsepia vinclis
Tandem liber equus, campóque potitus aperto;
Aut ille in pastus armentáque tendit equarum;
Aut assuetus aquæ perfundi flumine noto
Emicat: arrectísque fremit cervicibus altè
Luxurians, ludúntque jubæ per colla, per armos;
Obvia cui Volscorum acie comitante, Camilla
Occurrit, portísque ab equo regina sub ipsis
Desiluit: quam tota cohors imitata relictis
Ad terram defluxit equis: tum talia fatur:
Turne, sui meritò si qua est fiducia forti,
Audeo & Æneadûm promitto occurrere turmæ,
Soláque Tyrrhenos equites ire obvia contra.

Squamis ahenis &c. Suras. *De squamis loricæ corio superadditis. Æn. 3.467.* Sura *pars est tibiæ carnosa, quæ cum toto crure ocreis vestitur.*

Altâ decurrens: *Illic enim & Amata fuerat, & Lavinia.*

Præcipit hostem: *Mente preoccupat hostis adventum.*

Sui fiducia forti: *Si unusquisque habet aliquam confidentiam ex conscientia fortitudinis suæ; & ego rem audere non dubito.*

Hor-

Me fine prima manu tentare pericula belli:
Tu pedes ad muros subsiste, & mœnia serva.
Turnus ad hæc, oculos horrenda in virgine fixus:
O, decus Italiæ, virgo, quas dicere grates,
Quásve referre parem? sed nunc, est omnia quando
Iste animus supra, mecum partire laborem.
Æneas, ut fama fidem missíque reportant
Exploratores, equitum levia improbus arma
Præmisit, quaterent campos: ipse ardua montis
Per deserta jugo properans adventat ad urbem.
Furta paro belli convexo in tramite sylvæ,
Ut bivias armato obsidam milite fauces:

Tu

Horrenda in virgine; *Admirabili ad horrorem, & terribili.*

Animus supra omnia: *Quandoquidem animus iste tuus tibi est supra omnes grates, & supra omne premium.*

Levia improbus arma: *Æneas consilio improbo, seu callido premisit huc levis armaturæ equites, qui valido impetu quatiant, & vastent campos; ipse verò valida manu per montis ardua properat, ex eminenti urbem obsessurus; quem mihi est animus per insidias (quas* furta *appellat) intercipere. Græcis* κλοπὴ *tam furtum, quàm dolum & fraudem significat.* Convexo: *Concavo, curvo.*

Bivias fauces: *Fauces dicuntur itinera inter duos montes, loca angusta, & pervia, dicta à faucium similitudine.*

Tu Tyrrhenum equitem collatis excipe signis.
Tecum acer Messapus erit, turmæque Latinæ,
Tiburtique manus: ducis & tu concipe curam.
Sic ait, & paribus Messapum in prælia dictis
Hortatur, sociósque duces: & pergit in hostem.
Est curvo anfractu vallis accommoda fraudi
Armorúmque dolis: quam densis frondibus atrum
Urget utrinque latus: tenuis quò semita ducit,
Angustæque ferunt fauces, aditúsque maligni.
Hanc super, in speculis summóque in vertice montis,
Planities ignota jacet, tutíque receptus:
Seu dextrâ lævâque velis occurrere pugnæ;
Sive instare jugis, & grandia volvere saxa.
Huc juvenis notâ fertur regione viarum,
Arripuítque locum, & sylvis insedit iniquis.
Velocem intereà superis in sedibus Opim,
Unam ex virginibus sociis sacrâque catervâ,
Compellabat, & has tristi Latonia voces

Tiburtique manus: *Catullus & Coras, Tiburti fratres.*

Vallis accommoda: *Vallis ultimam brevem hic producit propter cæsuram. Servius tamen legit* valles *antiquo nominativo singulari.*

Instare jugis: *Sive quis velit è jugis tela & saxa jacere.*

Sylvis iniquis: *Asperis, impeditis, vel hosti iniquis & perniciosis.*

Opim: *unam ex comitibus Nymphis; quin & ipsa Diana Opis vocabatur.* Latonia: *Diana, Latonæ filia.*

Nec-

Ore dabat: graditur bellum ad crudele Camilla,
O virgo, nostris nequicquam cingitur armis,
Cara mihi ante alias: neque enim novus iste Dianæ
Venit amor, subitâque animum dulcedine movit.
Pulsus ob invidiam regno, virésque superbas,
Priverno antiquâ Metabus cùm excedere urbe,
Infantem fugiens media inter prælia belli
Sustulit exilio comitem, matrísque vocavit
Nomine Casmillæ, mutata parte, Camillam.
Ipse sinu præ se portans juga longa petebat
Solorum nemorum: tela undique sæva premebant,
Et circumfuso volitabant milite Volsci.
Ecce fugæ medio summis Amasenus abundans
Spumabat ripis, tantus se nubibus imber
Ruperat: ille innare parans, infantis amore
Tardatur, caróque oneri timet: omnia secum
Versanti, subitò vix hæc sententia sedit:
Telum immane manu validâ quod fortè gerebat
Bellator, solidum nodis & robore cocto,

Huic

Necquicquam cingitur: *Quippe brevi peritura.*
Priverno &c. *Privernum, urbs Volscorum circa Pomptinas paludes, & Amasenum fluvium; inde pulsus profugit* Metabus *Camillæ pater.* Ob invidiam: *Vel subditorum in se, vel suam, qui crudeliter & superbè viribus uteretur.*
Juga longa: *Longè posita, remotiora.* Solorum nemorum: *Desertorum.*
Fugæ medio: *Dum fugit, inter fugam,* Amasenus: *Volscorum fluvius.*
Robore cocto: *Ligno duriore, ad fumum exsiccato.*

Li-

Huic natam, libro & sylvestri subere clausam,
Implicat, atque habilem mediæ circumligat hastæ.
Quam dextrâ ingenti librans, ita ad æthera fatur:
Alma, tibi hanc, nemorum cultrix Latonia virgo
Ipse pater famulam voveo: tua prima per auras
Tela tenens supplex hostem fugit: accipe, testor,
Diva, tuam, quæ nunc dubiis committitur auris.
Dixit, & adducto contortum hastile lacerto
Immittit; sonuêre undæ: rapidum super amnem
Infelix fugit in jaculo stridente Camilla.
At Metabus, magnâ propiùs jam urgente catervâ,
Dat sese fluvio, atque hastam cum virgine victor
Gramineo, donum Triviæ, de cespite vellit.
Non illum tectis ullæ, non mœnibus urbes
Accepêre; neque ipse manus feritate dedisset;

Pa.

Libro & subere: *Liber, cortex interior & tenuis. Hoc* suber, *arbor crassissimi ac levissimi corticis. Itaque interiori arboris tunica, & subere involutam hasta alligavit,* & *sic* habilem, *bene compositam, & prudenter aptatam jecit super fluvium. Salvam subinde recepit, è gleba herbosa extrahens hastam cum infante, postquam ipse per fluvium enatavit.*

Donum Triviæ: *Filiam Dianæ munere & operâ incolumem, eique sacram & consecratam. Trivia Dianæ nomen, ut jam sæpè dictum, quia colebatur in triviis.*

Non illum tectis: *Metabus postea, nullis in domibus, nullis inclusus muris habitavit.* Neque ipse manus &c. *Et si qui eum voluissent suscipere, ille tamen eorum consortia, ob morum feritatem fugisset.* Manus dare; *Adagium est ex iis desumptum, qui*

Paſtorum & ſolis exegit montibus ævum,
Hîc natam, in dumis intérque horrentia luſtra,
Armentalis equæ mammis & lacte ferino
Nutribat : teneris immulgens ubera labris.
Utque pedum primis infans veſtigia plantis
Inſtiterat, jaculo palmas oneravit acuto :
Spiculáque ex humero parvæ ſuſpendit & arcum.
Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ,
Tigridis exuviæ per dorſum à vertice pendent.
Tela manu jam tum tenerâ puerilia torſit,
Et fundam tereti circùm caput egit habenâ,
Strymoniámque gruem aut album dejecit olorem.
Multæ illam fruſtrà Tyrrhena per oppida matres
Optavêre nurum : ſolâ contenta Dianâ,

Æter-

qui pugnâ victi, aut manus ligandas præbent, aut iisdem protenſis mortem deprecantur.

Luſtra : *Cubilia ferarum in ſylvis.*

Armentalis equæ : *Quæ gregatim inter armenta verſabatur.* Lacte ferino, *equino : nam equum vocavit ferum Æn.* 2. 51.

Pro crinali auro &c. *Vel reticulo aureo, quo virgines complecti capillos ſolebant : vel acu crinali, quâ capilli diſcernuntur : vel alio quolibet aureo capitis ornatu.* Palla : *Pallium muliebre, apertum ac talare.*

Strymoniam gruem : *Quia frequens eſt id genus circa Strymonem, Macedoniæ fluvium.*

Nurum : *Uxorem filii. Cælebs maluit perpetua virginitate vitam degere, quàm nubere, quippe Dianæ ſacra, atque ſylveſtri vitâ inter feras educata.*

Manus

Æternum telorum & virginitatis amorem
Intemerata colit. Vellem haud correpta fuisset
Militia tali, conata lacessere Teucros:
Cara mihi comitúmque foret nunc una mearum.
Verùm age, quandoquidem fatis urgetur acerbis,
Labere Nympha polo, finésque invise Latinos,
Tristis ubi infausto committitur omine pugna.
Hæc cape, & ultricem pharetrâ deprome sagittam:
Hac, quicunque sacrum violârit vulnere corpus,
Tros Italúsve, mihi pariter det sanguine pœnas.
Pòst ego nube cava miserandæ corpus & arma
Inspoliata feram tumulo, patriæque reponam.
Dixit: at illa leves cæli demissa per auras
Insonuit, nigro circumdata turbine corpus.
At manus intereà muris Trojana propinquat,
Etruscique duces, equitúmque exercitus omnis,
Compositi numero in turmas: fremit æquore toto
Insultans sonipes, & pressis pugnat habenis,
Huc obversus & huc: tum latè ferreus hastis
Horret ager, campíque armis sublimibus ardent,
Nec non Messapus contrà, celerésque Latini,
Et cum fratre Coras, & virginis ala Camillæ,

Manus Trojana: *Quibus viribus Trojani ad urbem cum instructis equitum peditúmque copiis accesserint, describit.*

Numero in turmas: *Turmæ, propriè erant equitum, & capiebant equites vulgò triginta.*

Ala Camillæ: *Alæ dicuntur* equitum, *quòd ad similitudinem alarum ab utraque parte protegant acies. Atque ita hîc sumitur, sed alæ quoque interdum dicuntur de peditibus, & vulgò de copiis, sive equestribus, sive pedestribus.*

Pro-

Adversi campo apparent: hastásque reductis
Protendunt longè dextris, & spicula vibrant:
Adventúsque virûm, fremitúsque ardescit equorum;
Jámque intra jactum teli progressus uterque
Substiterat, subito erumpunt clamore, frementésque
Exhortantur equos: fundunt simul undique tela
Crebera, nivis ritu, cælúmque obtexitur umbrâ.
Continuò adversis Tyrrhenus & acer Aconteus
Connixi incurrunt hastis, primíque ruinam
Dant sonitu ingenti, perfractáque quadrupedantûm
Pectora pectoribus rumpunt. Excussus Aconteus
Fulminis in morem, aut tormento ponderis acti,
Præcipitat longè, & vitam dispergit in auras.
Exemplo turbatæ acies: versíque Latini
Rejiciunt parmas, & equos ad mœnia vertunt.
Troës agunt, princeps turmas inducit Asylas.
Jámque propinquabant portis: rursúsque Latini

Cla

Progressus uterque: *Exercitus.*

Tyrrhenus. *Hîc non gentile nomen, sed proprium est principis alicujus viri ex Æneæ aut Tarchontis exercitu.*

Tormento ponderis: *Pilæ ferreæ, vel plumbeæ à tormento actæ.*

Præcipitat: *pro* Præcipitatur.

Rejiciunt parmas; *In tergum, ut sese à persequentium jaculis in fuga defendant.*

Princeps Asylas; *Primus Asylas immittit agmina.*

Mollia

Clamorem tollunt, & mollia colla reflectunt:
Hi fugiunt, penitúsque datis referuntur habenis.
Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus
Nunc ruit ad terras, ſcopulósque ſuperjacit undam
Spumeus, extremámque ſinu perfundit arenam:
Nunc rapidus retrò atque æſtu revoluta reſorbens
Saxa, fugit, litúsque vado labente relinquit.
Bis Tuſci Rutulos egêre ad mœnia verſos:
Bis rejecti armis reſpectant terga tegentes.
Tertia ſed poſtquam congreſſi in prælia, totas
Implicuêre inter ſe acies, legítque virum vir:
Tum verò & gemitus morientûm, & ſanguine in alto
Armáque corporáque, & permiſti cæde virorum
Semianimes volvuntur equi: pugna aſpera ſurgit.

Or.

Mollia colla: *Domita & facilia equorum colla retorquent.*

Hi fugiunt: *Trojani ſcilicet.*

Qualis ubi: *Alternante impetu, receſſúque fluctuant hinc inde undantes viciſſim exercitus, non ſecùs atque mare æſtu reciproco refluénsque.*

Superjacit undam: *Super ſcopulos undam jacit.* Sinu: *Sinuando ſe in arenas, curvatione, & flexu undarum.*

Vado labente: *Deſerit littus fluctu detumeſcente.*

Implicuêre inter ſe. *Statario jam prælio, & conſertâ manu.*

Or-

Orsilochus Remuli, quando ipsum horrebat adire,
Hastam intorsit equo, ferrúmque sub aure reliquit:
Quo sonipes ictu furit arduus, altáque jactat,
Vulneris impatiens, arrecto pectore, crura:
Volvitur ille excussus humi. Catillus Jolam,
Ingentémque animis, ingentem corpore & armis
Dejicit Herminium: nudo cui vertice fulva
Cæsaries, nudíque humeri: nec vulnera terrent,
Tantus in arma patet. Latos huic hasta per armos
Acta tremit, duplicátque virum, transfixa dolore,
Funditur ater ubique cruor: dant funera ferro
Certantes pulchrámque petunt per vulnera mortem.
At medias inter cædes exultat Amazon.

Unum

Orsilochus &c. *Trojanus.* Remulus *Latinus: alius ab illo Tiburtino Remulo, qui moriens phaleras nepoti dederat Æn 9. 360. item ab illo Numano Remulo; quem Ascanius occiderat, ibidem 592.*

Catillus: *Tiburtinus, de quo Æn. 7. 672.*

Tantus in arma patet: *Sic in tela hostilia totus patebat.*

Duplicátque virum: *Hasta transfixa cum dolore incurvat hominem (magnus enim dolor curvare potuit & sic duplicare corpus) atque adeò duplici dolore virum cumulat.*

Dant funera ferro certantes: *Pugnantes suis gladiis edunt strages, & per plagas quærunt mortem gloriosam.*

Amazon. *Volsca; Amazonum tamen more armata: ist est exustâ mammâ dextrâ, sinistróque latere nudato, ut dictum Æn. 1. 494.*

Unum exerta latus pugnæ, pharetrata Camilla;
Et nunc lenta manu spargens hastilia denset,
Nunc validam dextrâ rapit indefessa bipennem.
Aureus ex humero sonat arcus, & arma Dianæ.
Illa etiam, si quando in tergum pulsa recessit,
Spicula converso fugientia dirigit arcu.
At circùm lectæ comites, Larinaque virgo,
Tullaque, & æratam quatiens Tarpeja securim,
Italides: quas ipsa decus sibi dia Camilla
Delegit, pacisque bonæ bellique ministras.
Quales Threïciæ, cùm flumina Thermodontis
Pulsant, & pictis bellantur Amazones armis:

Sepi

Denset. *Secundæ Conjugationis: alii legunt* densat, *primæ. Densè, sparsè jacit.*

Arma Dianæ. *Venatoria: sagitta in pharetra, bipennis, hastilia.*

Dia Camilla. *Græca vox δῖα, generosa, præstantissima, divina, quia Dianæ Deæ consecrata.*

Quales Threjiciæ: *Sicut Thraciæ Amazones. Nam patria & propria sedes Amazonum erat olim in Thracia.*

Thermodontis: *Alii legunt Thermodoontis, ita ut priores tres syllabæ dactylum efficiant. Sed à Græco derivatum est* Θερμώδων, *& est fluvius Cappadociæ, in cujus vicinia Amazonum sedes fuit.*

Pulsant flumina. *Legunt, prætereunt, percurrunt. Sic* Littora Epiri legimus: *Æn.* 3. 292. Bellantur: *pro* bellant.

Hip-

Seu circùm Hippolyten, seu cùm se Martia curru
Penthesilea refert: magnóque ululante tumultu
Fœminea exultant lunatis agmina peltis.
Quem telo primum, quem postremum aspera virgo
Dejicis? aut quot humi morientia corpora fundis?
Eumenium Clytio primum patre: cujus apertum
Adversi longâ transverberat abiete pectus.
Sanguinis ille vomens rivos cadit, atque cruentam
Mandit humum, moriénsque suo se in vulnere versat.
Tum Lirin, Pagasúmque super: quorum alter habenas
Suffosso revolutus equo dum colligit; alter

Dum

Hippolyten &c. Penthesilea. *Vel quando illæ Thraciæ Amazones comitantur, & circumdant* Hippolyten *Reginam suam*, aut Penthesileam. *Hippolyte & Penthesilea sorores erant, reginæ Amazonum: illa Theseo, ex quo Hippolytum peperit: hæc bello Trojano nobilitata. Æn.* 1. 494. *Martia dicitur* Penthesilea, *quia filia Martis credita est.* Cùm se curru refert: *Quando redit in curru, & circumdant eam sociæ.* Ululante tumultu: *Quando fit acclamatio bellica mulierum gestientium, quarum turma instructa est* Lunatis peltis, *seu scutis brevissimis, in formam Lunæ mediæ præcisis.*

Aspera virgo: *O virgo bellicosa quantas tu edis strages!*

Longa abiete: *Longâ hastâ ex abiete.*

Dum subit, ac dextram labenti tendit inertem;
Præcipites paritérque ruunt. His addit Amastrum
Hippotaden: sequitúrque incumbens eminus hastâ,
Terreaque, Harpalycúmque, & Demophoonta, Chromimque,
Quótque emissa manu contorsit spicula virgo;
Tot Phrygii cecidêre viri. Procul Ornitus armis
Ignotis, & equo venator Japyge fertur:
Cui pellis latos humeros erepta juvenco
Pugnatori operit; caput ingens oris hiatus,
Et malæ texêre lupi cum dentibus albis;
Agrestísque manus armat sparus: ipse catervis
Vertitur in mediis, & toto vertice supra est.
Hunc illa exceptum (neque enim labor agmine verso)

Equo Japyge. *Equo Apulo, sive ex Apulia, quæ Japygia dicta est.*

Pellis erepta juvenco: *Id est, lorica. Nam propriè* lorica *est tegimen de corio tanquam de loro factum.*

Armis ignotis: *Novis, inconsuetis, quæ mox enumerantur; nam pro lorica tergus taurinum: pro galea lupi caput, pro hasta sparus.*

Juvenco pugnatori: *Pellis illa & corium fuit detractum tauro pugnaci, & pertinaci.*

Sparus. *Telum est rusticanum à* spargendo *dictum.*

Vertitur in mediis. *Circumagitur.*

Hunc illa exceptum: *Circumventum.* Neque enim labor: *Quod illi non difficile erat, toto agmine in fugam converso, unáque Orphito.*

Syl-

Trajicit, & super hæc inimico pectore fatur:
Sylvis te, Tyrrhene, feras agitare putasti?
Advenit qui vestra dies muliebribus armis
Verba redargueret. Nomen tamen haud leve patrum
Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillæ.
Protinus Orsilochum & Buten, duo maxima Teucrûm
Corpora, sed Buten adversum cuspide fixit
Loricam galeámque inter, quà colla sedentis
Lucent, & lævo dependet parma lacerto;
Orsilochum fugiens, magnúmque agitata per orbem
Eludit gyro interior, sequitúrque sequentem.
Tum validam pérque arma viro pérque ossa securim,
Altior insurgens, oranti & multa precanti
Congeminat: vulnus calido rigat ora cerebro.
Incidit huic, subitóque aspectu territus hæsit

Sylvis: *An putabas tibi venatori rem esse cum feris? Est cum viris; imò cum fœmina; eáque, cujus manu cecidisse tibi laudi erit, & apud inferos solatio.* Tyrrhene: *Orte è Tyrrhena gente.*

Nomen tamen haud leve: *Irrisio est amaritudinis plena: Magnam revera gloriam referes ad manes parentum, quem fœminea tela superârunt.*

Colla sedentis: *Sessoris, equitis.*

Gyro interior: *Breviori spatio, atque ambitu reflectens sese.*

Sequitúrque sequentem: *Persequitur eum, qui priùs eam persequebatur.*

Incidit huic: *In hanc incidit; Occurrit.*

Apenninicolæ bellator filius Auni,
Haud Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant;
Isque ubi se nullo jam cursu evadere pugnâ
Posse, neque instantem reginam avertere, cernit:
Consilio versare dolos ingressus & astu,
Incipit hæc: quid tam egregium, si fœmina forti
Fidis equo? dimitte fugam, & te cominus æquo
Mecum crede solo, pugnæque accinge pedestri;
Jam nosces, ventosa feret cui gloria fraudem.
Dixit: at illa furens, acríque infensa dolore,
Tradit equum comiti, paribúsque assistit in armis,
Ense pedes nudo, puráque interrita parmâ.
At juvenis, vicisse dolo ratus, avolat ipse
Haud mora, conversisque fugax aufertur habenis,
Quadrupedémque citum ferratâ calce fatigat.

Apenninicolæ: *Bellicosus filius Auni, qui fuit incola montis Apennini.*

Dimitte fugam: *Equi celeritatem, cui fidis, relinque; ut quæ equestri arte modò intercepisti Orsilochum.*

Ventosa gloria: *Laus inanis, & jactantia, cui damnum afferat, cognosces.*

Puráque interrita parmâ: *Interpretatio plurium est, puram parmam hîc esse,* nudam, *& absque rerum gestarum figuris pictis, ut alibi:* palmáque inglorius albâ: *Nam primùm tunc in bella descendisse putatur Camilla, necdum specimen aliquod virtutis edidisse; Sed & sensus esse potest; Purâ parmâ, id est, nitidâ, lucidâ, tersâ.*

Vane Ligur, frustráque animis elate superbis,
Nequicquam patrias tentâsti lubricus artes:
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.
Hæc fatur virgo, & pernicibus ignea plantis
Transit equum cursu: frænísque adversa prehensis
Congreditur, pœnásque inimico à sanguine sumit,
Quàm facilè accipiter saxo sacer ales ab alto
Consequitur pennis sublimem in nube columbam,
Compressámque tenet, pedibúsque evisceratuncis:
Tum cruor & vulsæ labuntur ab æthere plumæ.
At non hæc nullis hominum sator atque Deorum

Ob-

Vane ligur: *Fallax, & inaniter te jactans, nam referente Nigidio:* Ligures, qui Apenninum tenuerunt, latrones insidiosi, fallaces, mendaces.

Lubricus: *Fallax, mobilis, frustra adhibuisti patriam astutiam.*

Fallaci Auno: *Nec astutia ista tua te salvum reducet Auno patri, doloso pariter.*

Transit equum: *Citato cursu, & quasi igneo levis, pedes ipsum equitem antevertit. De Camillæ pernicitate dictum libro 7. sub finem.* Adversa. *Ipsa opposita.*

Accipiter, sacer ales: *Avis rapax, ideo Marti sacra.*

At non hæc: *Nec tamen res Trojanas neglexit sublimis in cælo Jupiter, quasi nullis oculis ista videns. Tarchonti igitur Tyrrheno non levibus stimulis iram & animum excitat.*

Observans oculis, summo sedet altus Olympo;
Tyrrhenum genitor Tarchontem in prælia sæva
Suscitat, & stimulis haud mollibus incitat iras.
Ergo inter cædes cedentiáque agmina Tarchon
Fertur equo, variísque instigat vocibus alas,
Nomine quémque vocans: reficítque in prælia pulsos.
Quis metus, ô nunquam dolituri, ô semper inertes
Tyrrheni, quæ tanta animis ignavia venit?
Fœmina palantes agit, atque hæc agmina vertit.
Quò ferrum? quidve hæc geritis tela irrita dextris?
At non in Venerem segnes nocturnáque bella,
Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Expectare dapes, & plenæ pocula mensæ,
Hic amor, hoc studium: dum sacra secundus aruspex

Alas: *Equitatum.*

O nunquam dolituri! *Quasi, inquit, nunquam dolituri essetis vestram ignaviam, nunquam ulturi sævitiam Mezentii; atque etiam hîc terga mulieri daturi. Est exprobratio ironica.* Palantes: *Vagos; fugaces.*

Non in Venerem segnes. *Mulierem fugitis, quia armata est; tamen mulieres alias non fugitis, quin nocturna cum mulieribus bella non horretis egregii viri.*

Tibia Bacchi: *Nec minùs segnes estis in Bacchi festis, & epulis Baccho sacris, ubi sonitus tibiæ signum dat ad choreas. De tibiis Æn. 9. 618.*

Secundus aruspex: *Dummodo favens aruspex nuntiet prospera sacrificia, inspectis hostiarum visceribus, & hostia opima invitet vos in lucos; ubi ad epu-*

Nuntiet, ac lucos vocet hostia pinguis in altos.
Hæc effatus, equum in medios moriturus & ipse
Concitat, & Venulo adversum se turbidus infert:
Direptúmque ab equo dextrâ complectitur hostem,
Et gremium ante suum multa vi concitus aufert.
Tollitur in cælum clamor, cunctíque Latini
Convertêre oculos: volat igneus æquore Tarchon
Arma virúmque ferens: tum summâ ipsius ab hastâ
Defringit ferrum, & partes rimatur apertas,
Quà vulnus lathale ferat. Contrà ille repugnans
Sustinet à jugulo dextram & vim viribus exit.
Utque volans altè raptum cùm fulva draconem
Fert aquila, implicuítque pedes, atque unguibus hæsit;
Arrectísque horret squamis, & sibilat ore,

epulandum conveniatis. Ars aruspicinæ erat propria Tyrrhenorum.

Turbidus : *Terribilis; multa vi concitus.*

Direptúmque ab equo : *Rapuit Venulum ab equo, sedentem, & ante se in equo suo collocatum portavit.*

Volat igneus æquore : *Accensus animo, & cursu citato celer volat in* æquore *seu planitie campi.*

Rimatur : *Inquirens, diffindens scrutatur : cum relatione ad aquilam, cujus similitudinem ad rem explicandam adhibet.*

Sustinet à jugulo. *Venulus contrà reluctans repellit ejus dextram à gutture suo, & evitat*, exit *vim, viribus vires repellit.*

Arduus insurgens; illa haud minùs urget adunco
Luctantem rostro, simul æthera verberat alis.
Haud aliter prædam Tiburtum ex agmine Tarchon
Portat ovans: ducis exemplum eventúmque secuti
Mæonidæ incurrunt. Tum fatis debitus Aruns
Velocem jaculo & multâ prior arte Camillam
Circuit, &, quæ sit fortuna facillima, tentat.
Quà se cunque furens medio tulit agmine virgo;
Hac Aruns subit, & tacitus vestigia lustrat:
Quà vitrix redit illa, pedémque ex hoste reportat;
Hàc juvenis furtim celeres detorquet habenas.
Hos aditus, jámque hos aditus, omnémque pererrat
Undique circuitum, & certam quatit improbus hastam.
Fortè sacer Cybele Chloreus, olímque sacerdos,
Insignis longè Phrygiis fulgebat in armis:
Spumantémque agitabat equum, quem pellis ahenis

Tiburtum: *Venulum inter Tiburtinos principem.*

Mæonidæ. *Tyrrheni e Mæonia, sive Lydia orti.*

Fatis debitus Aruns: *Fatale enim erat ex mandato Dianæ, ut suprà, mori illum, quisquis Camillam interficeret.*

Quatit improbus hastam. *Librat malignus hastam inevitabilem.*

Sacer Cybele: *Chloreus erat dicatus Cybele, Deorum matri, ejusdémque quondam sacerdos,*

Quem pellis ahenis: *Equum Chlorei cataphracti tegebat pellis, & illa tota æreis laminis auratis in modum plumarum aut squamarum cooperta.*

Pe-

In plumam squamis auro conserta tegebat.
Ipse peregrinâ ferrugine clarus & ostro,
Spicula torquebat Lycio Cortynia cornu:
Aureus ex humeris sonat arcus, & aurea vati
Cassida: tum croceam chlamydémque sinúsque crepantes
Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro,
Pictus acu tunicas, & barbara tegmina crurum,
Hunc virgo, sive ut templis præfigeret arma
Troïa, captivo sive ut se ferret in auro

Peregrina ferrugine & ostro. *Ostro sive purpura Ibericâ, ferrugineâ, & subnigricante.*

Lycio Cortynia &c. *Species pro genere. Arcus enim insignes è coronea fuerunt materia, e Lycia Asiæ regione. Sagittæ item ex urbe, Cretæ insulæ,* Cortyna.

Cassida. *Nomen 1. Declin. deductum ex accusat. nominis tertiæ declinat.* Cassida Cassidæ, *à Cassis, Cassidis*, Cassidi Cassida, *sicut* compeda à compes, chlamyda à Chlamys, Lampada à Lampas.

Croceam: *Tincta croco flore*, Saffran.

Sinusque crepantes: *Aureis laminis, & signis asperos.*

Pictus acu tunicas. *Habebat vestem Phrygionis arte & acu pictam, seu elaboratam, & è Phrygio opere ocreas, vel, ut quidam, braccas. Phryges primi acu pinxisse dicuntur.*

Sora-

Venatrix, unum ex omni certamine pugnæ
Cæca ſequebatur: totúmque incauta per agmen,
Fœmineo prædæ & ſpoliorum ardebat amore,
Telum ex inſidiis cùm tandem tempore capto
Conjicit & ſuperos Aruns ſic voce precatur:
Summe Deûm, ſancti cuſtos Soractis Apollo
Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo
Paſcitur, & medium freti pietate per ignem
Cultores multâ premimus veſtigia prunâ:
Da, pater, hoc noſtris aboleri dedecus armis,
Omnipotens. Non exuvias pulſæve trophæum
Virginis, aut ſpolia ulla pero: mihi cætera laudem
Facta ferent: hæc dira meo dum vulnere peſtis
Pulſa cadat, patriam remeabo inglorius urbem.

Au-

Soractis. *Soracte, vel Soractes mons in Etruria in agro Faliſco, nunc* monte di S. Sylveſtro. *Ibi lucus & templum Apollinis fuit. Plinius l. 7. 2.* Haud procul urbe Roma, in Faliſcorum agro, familiæ ſunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ, quæ ſacrificio annuo, quod fit ad montem Soracten Apollini, ſuper ambuſtam ligni ſtruem ambulantes non aduruntur, & ob id perpetuo Senatûs conſulto militiæ aliorúmque munerum vacationem habent. *Ajunt, ſacrificulos illos, per prunas ambulaturos, medicamento aliquo ſolitos ſibi plantas tingere.* Aruns *igitur ex illis Hirpis Etruſcis fuit, & equitibus Tarchontis.* Pineus ardor, *ſunt prunæ è pinu ſuccenſa excitatæ.*

Inglorius; *Hanc cædem ignotam eſſe volo; neque gloriæ mihi ducam ſuperâſſe fœminam.*

Voti

Audiit, & voti Phœbus ſuccedere partem
Mente dedit; partem volucres diſperſit in auras,
Sterneret ut ſubitâ turbatam morte Camillam,
Annuit oranti; reducem ut patria alta videret,
Non dedit: inque Notos vocem vertêre procellæ.
Ergo ut miſſa manu ſonitum dedit haſta per auras;
Convertêre animos acies, oculóſque tulêre
Cuncti ad reginam Volſci. Nihil ipſa neque auræ,
Nec ſonitûs memor, aut venientis ab æthere teli:
Haſta ſub exertam donec perlata papillam
Hæſit, virgineúmque altè bibit acta cruorem.
Concurrunt trepidæ comites, dominámque ruentem
Suſcipiunt: fugit ante omnes exterritus Aruns,
Lætitiâ, mixtóque metu: nec jam ampliùs haſtæ
Credere, nec telis occurrere virginis audet.
Ac velut ille, priùs quàm tela inimica ſequantur,
Continuò in montes ſe ſe avius abdidit altos
Occiſo paſtore lupus, magnóve juvenco,
Conſcius audacis facti: caudámque remulcens

Sub-

Voti partem: *Annuit ſcilicet de occidenda Camilla, abnuit de redeundo in patriam.*

Notos: *Speciem pro genere: ventos meridionales pro quibuslibet ventis E.* 2. 58. Procellæ *pro nubibus.*

Perlata papillam: *Ad mammam pr[illegible]ſam, ſiniſtram, & nudam.*

Ille lupus: *Ille frequenter adhibetur in comparationibus.*

Caudámque remulcens: *Reflectens caudam ſupponit eam trementem utero, & adit ſylvas.*

Con-

Subjecit pavitantem utero, sylvásque petivit:
Haud secus ex oculis se turbidus abstulit Aruns,
Contentúsque fugâ mediis se immiscuit armis;
Illa manu moriens telum trahit: ossa sed inter
Ferreus ad costas alto stat vulnere mucro.
Labitur exanguis, labuntur frigida letho
Lumina: purpureus quondam color ora reliquit;
Tum sic exspirans, Accam ex æqualibus unam
Alloquitur, fida ante alias quæ sola Camillæ,
Quîcum partiri curas; atque hæc ita fatur:
Hactenus Acca soror, potui: nunc vulnus acerbum
Conficit, & tenebris nigrescunt omnia circùm.
Effuge, & hæc Turno mandata novissima perfer:
Succedat pugnæ, Trojanósque arceat urbe.
Jámque vale. Simul his dictis linquebat habenas,
Ad terram non spontè fluens: tum frigidâ toto
Paulatim evolvit se corpore, lentáque colla
Et captum letho posuit caput, arma relinquens:
Vitáque cum gemitu fugit indignata sub umbras.
Tum verò immensus surgens ferit aurea clamor
Sidera: dejectâ crudescit pugna Camillâ.
Incurrunt densi: simul omnis copia Teucrûm,

Contentúsque fugâ: *Gaudens, se posse effugere.*

Evolvit se corpore; *Sic libro* 4. Téque isto corpore solvo.

Lentáque colla: *Vigore defecta.* *Sic lib.* 9. Inque humerum cervix collapsa recumbit.

Captum letho: *Caput morte victum.*

Indignata; *Significat juvenum animas à corporibus cum dolore discedere.*

Ar-

Tyrrhenique duces, Evandrique Arcadis alæ.
At Triviæ custos jam dudum in montibus Opis
Alta sedet summis, spectatque interrita pugnas.
Utque procul medio juvenum in clamore furentum
Prospexit tristi multatam morte Camillam;
Ingemuitque, deditque has imo pectore voces:
Heu! nimiùm virgo, nimiùm crudele luisti
Supplicium, Teucros conata lacessere bello.
Nec tibi desertæ in dumis coluisse Dianam
Profuit, aut nostras humero gessisse pharetras,
Non tamen indecorem tua te regina relinquet
Extrema jam in morte: neque hoc sine nomine lethum
Per gentes erit, aut famam patieris inultæ
Nam quicunque tuum violavit vulnere corpus,
Morte luet meritâ. Fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum
Antiqui Laurentis, opacâque ilice tectum.
Hîc Dea se primùm rapido pulcherrima nisu
Sistit, & Aruntem tumulo speculatur ab alto.
Ut vidit fulgentem armis, ac vana tumentem:

Arcadis alæ. *Equites Arcadici.*

At Triviæ custos: *Vel ministra, vel observatrix* Opis. Triviæ: *Dianæ.*

Multatam: *Affectam morte.*

Regis Dercenni. *Antiqui Laurentium Regis.*

Bustum: *Sepulchrum; locus, ubi cineres post cumbustionem depositi.*

Vana tumentem: *Vano Camillæ à se interemptæ honore tumidum.* Vana, *more adverbii pro vanè, ut G, 3, 500.* Terram crebra ferit.

Túnc

Cur, inquit, diversus abis? huc dirige gressum;
Huc periture veni: capias ut digna Camillæ
Præmia. Túne etiam telis moriêre Dianæ?
Dixit, & auratâ volucrem Threïssa sagittam
Deprompsit pharetrâ, cornúque infensa tetendit,
Et duxit longè: donec curvata coirent
Inter se capita, & manibus jam tangeret æquis,
Lævâ aciem ferri, dextrâ nervóque papillam.
Extemplò teli stridorem aurasque sonantes
Audiit unà Aruns, hæsitque in corpore ferrum.
Illum expirantem socii atque extrema gementem
Obliti ignoto camporum in pulvere linquunt:
Opis ad æthereum pennis aufertur Olympum.
Prima fugit dominâ amissâ levis ala Camillæ:
Turbati fugiunt Rutuli, fugit acer Atinas;
Disjectíque duces, desolatíque manipli

Tuta

Túne etiam telis? *Cum amaritudine dictum est: Usque adeò gloriosæ mortis te furiavit ambitio, ut Dianæ telis perire cuperes, violatâ cæsâque ipsius ministrâ.*

Threïssa: *Ut Threissa, id est, ut Amazon Thracia. Neque enim Opis reipsa talis erat, sed cultu tantùm, atque habitu.*

Tetendit & duxit &c. *Describit, quomodo arcum tetenderit.*

Olympum: *Montem Thessaliæ, pro cælo. Ecl. 5. 56.*

Levis ala. *Equitatus.*

Desolatíque manipli. *Vastati, deserti, dissipati militum manipuli; qui, ut diximus, ita vocati, quia*

olim

Tuta petunt, & equis aversi ad mœnia tendunt.
Nec quisquam instantes Teucros lethúmque ferentes
Sustentare valet telis, aut sistere contrà:
Sed laxos referunt humeris languentibus arcus,
Quadrupedúmque putrem cursu quatit ungula campum.
Volvitur ad muros caligine turbidus atrâ
Pulvis: & è speculis percussæ pectora matres
Fœmineum clamorem ad cæli sidera tollunt.
Qui cursu portas primi irrupêre patentes,
Hos inimica super mixto premit agmine turba;
Nec miseram effugiunt mortem: sed limine in ipso,
Mœnibus in patriis, atque inter tuta domorum
Confixi expirant animas. Pars claudere portas:
Nec sociis aperire viam, nec mœnibus audent
Accipere orantes: oritúrque miserrima cædes
Defendentûm armis aditus, inque arma ruentûm.
Exclusi, ante oculos, lacrymantúmque ora parentum,
Pars in præcipites fossas, urgente ruinâ
Volvitur; immissis pars cæca & concita frænis
Arietat in portas, & duros objice postes.

Ipsæ

olim hastas fœni manipulis illigabant, & præferebant pro signis.

Lethumque ferentes: *Inferentes mortem.*

Laxos arcus: *Non intentos; sed jam solutos.*

Qui cursu portas: *Trojani unà portas ingressi, hos in urbe ipsa, inque ipsis domibus cædunt.*

Arietat in portas: *Pars, id est, aliqui fugientium undâ, & insequentis hostis impetu ruens, more arietis, (instrumenti bellici, de quo Æn. 2.492.) ad portas affligitur.*

 Sum-

Ipsæ de muris summo certamine matres
(Monstrat amor verus patriæ) ut vidêre Camillam,
Tela manu trepidæ jaciunt, ac robore duro,
Stipitibus ferrum sudibúsque imitantur obustis
Præcipites, primæque mori pro mœnibus ardent.
Intereà Turnum in sylvis sævissimus implet
Nuntius, & juveni ingentem fert Acca tumultum:
Deletas Volscorum acies; cecidisse Camillam,
Ingruere infensos hostes, & Marte secundo
Omnia corripuisse: metum jam ad mœnia ferri.
Ille furens (nam sæva Jovis sic numina poscunt)

De

Summo certamine: *In extremo discrimine, & suprema illa contentione* matres, *id est, fœminæ & ipsæ juxta exemplum Camillæ mœnia strenue defensabant, hostem propellebant, tela certatim mittebant.*

Monstrat amor: *Docet id verus amor patriæ, qui apparet id adversis.*

Ut vidêre Camillam. *Vel cùm viderunt Camillæ corpus inter sociarum manus relatum: vel potiùs quia v. 594. dixit Diana, se nube cavâ corpus illud tumulo illaturam: ex quo viderunt Camillam pro aliena salute ad arma concurrentem, amor patriæ suasit ipsis idem pro salute propria faciendum.*

Fert Acca: *Ex mandato Camillæ morientis, ut suprà.*

Furens, nam sæva &c. *Duplici de causa reliquit insidias, quibus Æneam deprehendere, & bellum conficere mox potuisset: nempe ob præcipitem furorem,*

Deserit obsessos colles, nemora aspera linquit;
Vix è conspectu exjerat, campúmque tenebat:
Cùm pater Æneas, saltus ingressus apertos,
Exuperátque jugum, sylvâque evadit opacâ,
Sic ambo ad muros rapidi totóque feruntur
Agmine, nec longis inter se passibus absunt,
At simul Æneas fumantes pulvere campos
Prospexit longè, Laurentiáque agmina vidit:
Et sævum Ænean agnovit Turnus in armis,
Adventúmque pedum flatúsque audivit equorum,
Continuò pugnas ineant, & prælia tentent,

N

rorem, qui ei mentem abstulit, & ob numina Jovis & vim fatorum Æneæ faventium.

Obsessos colles : *Quos ipse obsederat, ne ad urbem transitum haberet Æneas.*

Saltus ingressus apertos : *Insidiis jam exutos; non, ut ante, obsessos.*

Ambo ad muros : *Ut tueretur, & repugnaret Turnus: ut obsideret, Æneas.*

Fumantes pulvere campos. *A signo excitati pulveris surgentis in cælum instar fumi, colligit Æneas Turnum hostem adesse; & Turnus agnoscit Æneam,* sævum, *id est cum ferocia appropinquare muris.* Flatus equorum. *Hinnitus.*

Pugnas ineant : *Pro iniissent, nisi sol occidisset, & nox interveniens utrumque distinuisset.*

Nî roseus fessos jam gurgite Phœbus Ibero
Tingat equos, noctémque die labente reducat.
Confidunt castris ante urbem, & mœnia vallant.

Gurgite Phœbus Ibero. *Periphrasis occasûs solis : Est autem Iber, Iberus, fluvius Hispaniæ, à quo Hispani ipsi Iberi dicti sunt. Ibera tamen propriè appellatur ea regio, quæ intra Iberum sita est. Et quia Galli* Celtæ *quondam eam terram tenuerunt, & ipsi incolæ* Celtiberi, *regia verò* Celtiberia *etiamnum appellatur.*

Mœnia vallant : *Circumambiunt, Trojani ut oppugnent : Rutuli, ut defendant.*

P. VIRGILII M.
ÆNEIDOS
LIBER XII.

ARGUMENTUM.

Fractis geminâ pugnâ Latinis, Turnus cum Ænea singulari certamine dimicare statuit. Solemni sacramento conditiones certaminis, fœdúsque à Latino, Ænea, Turnóque sancitur. Fœdus à Juturna, Turni sorore, Junonis impulsu disturbatur: primúsque Tolumnius, falso augurio victoriam suis pollicitus, Trojanos invadit. Æneas sagittâ vulneratus excedere cogitur è prælio: quo absente maximam stragem Turnus edit. Venus dictamno herbâ vulnus Æneæ sanat. Is, refectis viribus reversus ad pugnam, Turnum nominatim vocat. Sed cùm Juturna, ex-

cusso Turni aurigâ Metisco, currum ejus moderaretur, & ab Æneæ occursu detorqueret, ne congredi simul possent: Æneas admoto ad urbis mœnia exercitu, in propugnacula ignem conjicit. Hinc Amata, Turnum occisum rata, laqueo vitam sibi adimit. Turnus, ne urbs in hostium potestatem veniret, ad singulare certamen redit. Pugnant Æneas & Turnus. Æneas victor, cùm Turni jugulo immineret, jámque ipsius precibus motus ad misericordiam deflecteret; viso in ejus humeris Pallantis balteo, repentè exardescit, hostémque interficit.

TUrnus ut infractos adverso Marte Latinos
Defecisse videt, sua nunc promissa reposci,
Se signari oculis: ultrò implacabilis ardet,
Attollítque animos. Pœnorum qualis in arvis

Infractos: *Vox rarò negans, sæpiùs affirmans. Hic idem, quod* fractos.

Promissa. *Quibus ad singulare cum Ænea prælium se obstrinxerat.*

Pœnorum. *Afrorum circa Carthaginem: qui sic dicebantur, quasi Phœni, quia è Phœnicia cum Didone profecti.*

Arma

Saucius ille gravi venantûm vulnere pectus,
Tum demum movet arma leo: gaudétque comantes
Excutiens cervice toros, fixúmque latronis
Impavidus frangit telum, & fremit ore cruento.
Haud secùs accenso glis cit violentia Turno.
Tum sic affatur Regem, atque ita turbidus infit:
Nulla mora in Turno: nihil est, quòd dicta retractent
Ignavi Æneadæ; nec, quæ pepigêre, recusent.
Congredior: fer sacra, pater, & concipe fœdus.
Aut hac Dardanium dextrâ sub Tartara mittam
Desertorem Asiæ (sedeant, specténtque Latini)
Et solus ferro crimen commune refellam:
Aut habeat victos, cedat Lavinia conjux.
Olli sedato respondit corde Latinus:
O præstans animi juvenis, quantum ipse feroci

Arma leo. *Arma sunt uniuscujusque vires, & ad agendum instrumenta. Hîc leonis arma sunt ungues, & dentes, unde dicuntur leones* exarmati, *quibus ungues & dentes evulsi sunt.*

Toros. *Sunt eminentiæ musculorum nodosæ ac tumentes, circa cervicem aliásque corporis partes.*

Fer sacra &c. concipe fœdus. *Ad ejusmodi fœdera adhibebantur sacrificia, & verba* concepta, *id est certa solemniáque.*

Crimen commune: *Commune fugæ ac timoris dedecus.*

O præstans animi: *Oratio Latini, quâ conatur Turnum à spe conjugii, & singulari certamine ad pacem revocare.*

Virtute exuperas; tantò me impensiùs æquum est
Consulere, atque omnes metuentem expendere casus.
Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta
Multa manu: nec non aurúmque animúsque Latino est.
Sunt aliæ innuptæ Latio & Laurentibus agris,
Nec genus indecores. Sine me hæc haud mollia fatu
Sublatis aperire dolis: simul hæc animo hauri.
Me natam nulli veterum sociare procorum
Fas erat, ídque omnes Divíque hominésque canebant.
Victus amore tui, cognato sanguine victus,
Conjugis & mœstæ lacrymis, vincla omnia rupi,
Promissam eripui genero, arma impia sumpsi.
Ex illo qui me casus, quæ, Turne, sequantur

Bel-

Sunt tibi regna: *I. Ratio. Affinitas Turni cum Latino est inutilis, cùm regnum utriusque satis absque nova virium conjunctione potens sit; cùm sint urbes multæ Turno, divitiæ pariter, atque animus & fortitudo Latinis populis; Virgines in Latio plurimæ, quas Turnus uxores optare possit.*

Haud mollia fatu: *Vera, sed tamen aspera.*

Animo hauri. *Omni intentione percipe.*

Fas erat: *II. Ratio: Affinitatem hanc esse illicitam, quippe à Diis prohibitam. Æn. 7. 95.* Canebant: *Prædicebant. Suprà.*

Ex illo, qui me casus: *Quia contra fata, & responsa Deûm, victus amore tui, cognatione, precibus, & lacrymis uxoris meæ Amatæ, religionis & fœderis cum Ænea rupi vincula, & promissam jam Æneæ per legatos filiam negavi, ei bellum intuli,*

quanta

Bella, vides: quantos primus patiâre labores.
Bis magnâ victi pugnâ, vix urbe tuemur
Spes Italas: recaleant nostro Tyberina fluenta
Sanguine adhuc, campíque ingentes ossibus albent.
Quò referor toties? quæ mentem insania mutat?
Si Turno extincto socios sum accire paratus;
Cur non incolumi potiùs certamina tollo?
Quid consanguinei Rutuli, quid cætera dicet
Italia, ad mortem si te (fors dicta refutet)
Prodiderim, natam & connubia nostra petentem?
Respice res bello varias: miserere parentis
Longævi, quem nunc mœstum patria Ardea longè
Dividit. Haudquaquam dictis violentia Turni

Fle-

quanta hinc mala! Et tu primus *ac præcipuus quantas difficultates patiaris, ipse cernis.*

Bis magnâ victi pugnâ. *Primâ in exscensu navium, ubi occisus ab Ænea Mezentius, fugatus Turnus. Secundâ, equestri, ubi cecidit Camilla.*

Si Turno extincto: *IV. Ratio. Si, inquit, te occiso socium Æneam excepturus sum: quidnî potiùs te salvo?*

Quid consanguinei: *V. Ratio. Objicit Rutulorum odia sibi futura ob periculum Turni; Turno ipsi solicitudinem, dolorémque Dauni parentis, belli varios eventus &c.*

Fors dicta refutet: *Quod omen avertant superi.* Fors, *sive fortuna.*

Parentis longævi: *Dauni.*

Ardea. *Urbs Rutulorum regia.*

Flectitur: exuperat magis, ægrescítque medendo.
Ut primùm fari potuit, sic institit ore:
Quam pro me curam geris, hanc precor, optime, pro me
Deponas, lethúmque sinas pro laude pacisci.
Et nos tela, pater, ferrúmque haud debile dextrâ
Spargimus, & nostro sequitur de vulnere sanguis.
Longè illi Dea mater erit, quæ nube fugacem
Fœmineâ tegat, & vanis sese occulat umbris.
At regina novâ pugnæ conterrita sorte
Flebat, & ardentem generum moritura tenebat:
Turne, per has ego te lacrymas, per si quis Amatæ
Tangit honos animum: spes tu nunc una senectæ,
Tu requies miseræ: decus imperiúmque Latini
Te penes: in te omnis domus inclinata recumbit.

Quam pro me curam &c. *Quam pro salute mea solicitudinem geris, hanc pro mea fama & gloria quæso derelinquas: vir fortis enim gloriosam mortem præponit saluti.*

Nostro de vulnere: *Quod nos inferimus.*

Longè illi Dea mater: *Procul aberit ab ejus defensione mater Venus; neque enim semper eum eripiet nube tectum, ut quondam Diomedi.*

At Regina. *Amata Regis uxor.* *Nova* sorte; *Sortem hîc vocat singulare certamen, quod de novo suscipiendum; cùm hac de re cogitationes jam antè depositæ.*

Ardentem generum: *Irâ exardescentem, & ad hoc consilii ex ira devenientem.* Moritura: *Ad mortem obstinata.*

Ae-

Unum oro, desiste manum committere Teucris.
Qui te cunque manent isto certamine casus;
Et me, Turne, manent: simul hæc invisa relinquam
Lumina, nec generum Æneam captiva videbo.
Accepit vocem lacrymis Lavinia matris
Flagrantes perfusa genas: cui plurimus ignem
Subjecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.
Indum sanguineo veluti violaverit ostro.
Si quis ebur; vel mixta rubent ubi lilia multâ
Alba rosâ: tales virgo dabat ore colores.
Illum turbat amor, figítque in virgine vultus.
Ardet in arma magis: paucísque affatur Amatam:
Ne quæso, ne me lacrymis, néve omine tanto
Prosequere, induri certamina Martis euntem,
O mater: neque enim Turno mora libera mortis

Accepit vocem lacrymis: *Audiit filia Lavinia matrem, & ipsa lacrymis perfusa, & cui verecundia igneum per genas suffuderat ruborem. Movebatur enim, intelligens se esse tantorum causam malorum. Conjungenda igitur* Vocem matris, & *lacrymis perfusa genas.*

Indum, *Ebur è dentibus elephantorum, qui frequentes in India, Asiæ maxima regione. G. I, 57.* India mittit ebur. Violaverit: *tinxerit candorem eboris colore purpureo.* Ostro: *Purpurâ ex ostreo expressâ.*

Neque enim Turno mora libera mortis. *Ne putes me cessurum lacrymis, & posse revocari funesto illo doloris vestri omine. Si enim sum moriturus, nec sic quidem pugnam subterfugio: non enim mortalium ulli*

Nuntius hæc Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer: cùm primùm craſtina cælo
Puniceis invecta rotis Aurora rubebit;
Non Teucros agat in Rutulos: Teucrûm arma quieſcant
Et Rutulûm: noſtro dirimatur ſanguine bellum:
Illo quæratur conjux Lavinia campo.
Hæc ubi dicta dedit, rapidúsque in tecta receſſit:
Poſcit equos, gaudétque tuens ante ora frementes:
Pilumno quos ipſa decus dedit Orithyia;
Qui candore nives anteirent, curſibus auras.
Circumſtant properi aurigæ, manibúsque laceſſunt
Pectora plauſa cavis, & colla comantia pectunt.
Ipſe dehinc auro ſqualentem albóque orichalco

Cir-

ulli liberum eſt mortem retardare, cùm dies fatalis imminet.

Tyranno: *Regi, nam* tyrannus *in bonam quoque partem accipitur pro rege, ut alibi dictum.*

Puniceis: *Rubris.*

Pilumno &c. Orithyia. *Pilumnus abavus Turni.* Orithyia, *Erechtei Athenarum regis filia, rapta in Thraciam à Borea.* Decus dedit: *Ad ornamentum donavit.*

Manibúsque laceſſunt. *Palpant cavis manibus pectora equorum plauſa, & pectunt colla crinita.* Plauſa: *Id eſt, ſonantia; ponitur enim etiam pro re ſonante ex percuſſione.*

Albóque orichalco: *Græcè* ὀρείχαλκος, *ab* ὄρος *mons, &* χαλκός *æs, éſtque* æs montanum *non fulvum, ut æs vulgare, ſed in album deflectens.*

Aptat

Circumdat loricam humeris: simul aptat habendo
Ensémque, clypeúmque, & rubræ cornua cristæ:
Ensem, quem Dauno ignipotens Deus ipse parenti
Fecerat, & Stygiâ candentem tinxerat undâ.
Exin, quæ in mediis ingenti adnixa columnæ
Ædibus astabat, validam vi corripit hastam.
Actoris Aurunci spolium, quassátque trementem,
Vociferans: nunc, ô nunquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest: te maximus Actor,

To

Aptat habendo: *Simul accommodat, ad habendum, & ut usui sit, corporique congruè inhæreat.*

Cornua cristæ: *Non vera cornua, sed cristam geminam è jubis equinis, aut plumis è galeæ vertice hinc inde eminentem instar cornuum. Æn. 6. 779.* Geminæ stant vertice cristæ.

Stygiâ candentem &c. *Candens est aliquando* albicans, *aliquando* fervens. *Aquâ tinxerat ensem Vulcanus. Sic enim Chalybs immersione temperatur.* Aquâ stygiâ, *ad quandam veluti magicam consecrationem, ut ensem illum frangi non posse probaret. Stygis enim Arcadiæ fontis, qui inde à Poëtis ad inferos traductus est, ea vis erat, ut vasa cujuslibet metalli diffringeret, nec possent ejus aquæ, nisi equi ungulâ contineri.*

Actoris Aurunci spolium: *Ducis alicujus Auruncorum, cui Turnus eam bello detraxerat.*

Vocatus meos; *Meæ invocationis preces.*

Vibrat

Te Turni nunc dextra gerit: da sternere corpus,
Loricámque manu validâ lacerare revulsam
Semiviri Phrygis, & fœdare in pulvere crines,
Vibratos calido ferro, myrrháque madentes.
His agitur furiis, totóque ardentis ab ore
Scintillæ absistunt: oculis micat acribus ignis.
Mugitus veluti cùm prima in prælia taurus
Terrificos aciet, atque irasci in cornua tentat.
Arboris obnixus trunco, ventósque lacessit
Ictibus, & sparsâ ad pugnam proludit arenâ.

Nec

Vibratos &c. *Calamistro crispatos, fuit autem* calamistrum, *acus ferrea, longior, aliquando fistulæ instar cava: quæ calefacta sub cinere, & capillis adbibita, eos intorquebat: à similitudine cum* calamo *seu arundine, nomen habuit; hujus artis ministri, ci-* niflones *& cinerarii vocabantur, quòd ad calefaciendum calamistrum flarent in cineres.*

Myrrháque madentes: *Myrrha arbuscula est, in Arabia præsertim nascens: Succus inde sponte exsudat certis temporibus, tum incisione exprimitur, dicitúrque* stacte *vel* myrrha. *Plin. l. 12. 15. Condiendis cadaveribus, & imbuendis capillis, aliisque ejusmodi deliciis adhibebatur.*

Furiis. *Furiosis motibus, quasi quibusdam furiis.*

Irasci in cornua tentat: *Experiendo cornua ad arboris truncum, tanquam ad palum se exercendo &c.*

Proludit arenâ: *Proludere, est ludendo imaginem quandam veritatis ostendere: Vel futurum certamen medi-*

Nec minùs intereà maternis sævus in armis
Æneas acuit Martem, & se suscitat irâ,
Oblato gaudens componi fœdere bellum.
Tum socios mœstíque metum solatur Iüli,
Fata docens: regíque jubet responsa Latino
Certa referre viros, & pacis dicere leges.
Postera vix summos spargebat lumine montes
Orta dies: cùm primùm alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucémque elatis naribus efflant.
Campum ad certamen, magnæ sub mœnibus urbis,
Dimensi Rutulíque viri Teucríque parabant:
In medióque focos, & Diis communibus aras
Gramineas: alii fontémque ignémque ferebant

meditari, & exercendarum virium causâ, confirmandique animi, simulacrum certaminis inire.

Maternis in armis: *Quæ Venus mater ei impetraverat à Vulcano.* Sævus: *Fortis, vel magnus.* Acuit Martem: *Irritat se ad futurum certamen.*

Solis equi. *Quatuor*, Pyrois *à* πῦρ ignis; Eous *ab* ἠώς Aurora, Æthon *ab* αἴθω *uro*; Phlegon, *à* φλέγω *inflammo.* Gurgite *pro mari.*

Diis communibus. *Communes Dii multis modis sumuntur. I. Qui certam cæli Zonam regionémque non habent; qualis Cybele mater Deorum; cùm certam habeant Jupiter, Juno, Mercurius, Venus. II. Qui apud omnes homines coluntur, ut Sol, Luna, Mars &c. III. Hîc ad rem meliùs, qui ab Rutulis ac Trojanis ad pacem communiter & pariter invocandi erant.*

Fontémque. *Fontem pro aqua posuit.*

Velati

Velati lino, & verbenâ tempora vincti.
Procedit legio Ausonidûm, pilatáque plenis
Agmina se fundunt portis: hinc Troïus omnis,
Tyrrhenúsque ruit variis exercitus armis:
Haud secus instructi ferro, quàm si aspera Martis
Pugna vocet. Necnon mediis in millibus ipsi
Ductores auro volitant ostróque decori:
Et genus assaraci Mnestheus, & fortis Asylas:
Et Messapus equûm domitor, Neptunia proles.
Utque dato signo spatia in sua quisque recessit:
Defigunt tellure hastas, & scuta reclinant.
Tum studio effusæ matres, & vulgus inermum,
Invalidíque senes, turres & tecta domorum
Obsedêre: alii portis sublimibus astant.
At Juno ex summo, qui nunc Albanus habetur,
(Tunc neque nomen erat, neque honos, aut gloria monti)
Prospiciens tumulo, campum spectabat, & ambas
Laurentum Troûmque acies, urbémque Latini.
Extemplo Turni sic est affata sororem,

Diva

Velati lino. *Id est filo, sive licio, quo flamines caput cingebant, unde* flamines *quasi filamines vacabantur.*

Verbenâ. *Propriè certa est herbæ species, communiter tamen sumebatur pro qualibet herba vel fronde, laureâ, myrteâ &c. è sacro loco evulsâ.*

Pilata. *Armata pilis, hastilibus.*

Studio effusæ matres: *Videndi cupiditate egressæ fœminæ.*

Diva

Diva Deam, stagnis quæ fluminibúsque sonoris
Præsidet: hunc illi rex ætheris altus honorem
Juppiter erepta pro virginitate sacravit.
Nympha, decus fluviorum, animo gratissima nostro,
Scis, ut te cunctis unam, quæcunque Latinæ
Magnanimi Jovis ingratum ascendêre cubile,
Prætulerim, cælíque libens in parte locârim.
Disce tuum (ne me incuses) Juturna dolorem,
Quà visa est fortuna pati, Parcæque sinebant
Cedere res Latio, Turnum & tua mœnia texi:

Nunc

Diva Deam. *Dicunt Grammatici* Deos *fuisse æternos*: Divos *ex hominibus assumptos. Tamen Virgilius nomen utrumque confundit, & per Deam hîc intelligit Juturnam sororem Turni; quæ Naïs ab Ovidio vocatur, id est* Nymphâ aquatilis. *Fons ejus & lacus ex Albani montis radicibus in Tiberim influens dicitur nunc* Lago di Turno ; vel di Volturno, *cùm esset priùs* lago di Juturna, *inquit Cluverius.*

Jupiter erepto : *Ut esset Nympha, & præsideret fluminibus, ei hunc honorem à Jove in præmium ereptæ pudicitiæ concessum ait Virgilius; Ovidius etiam ante amores Jovis ei attribuit.*

Jovis ingratum cubile. *Commutatio* pro cubile Jovis ingrati, *& in servando conjugio parùm fidi.*

Disce tuum : *O Juturna, ne me accuses, causam luctûs tui accipe.*

Cedere res Latio. *Feliciter cuncta procedere.*

Nunc juvenem imparibus video concurrere fatis:
Parcarúmque dies & vis inimica propinquat.
Non pugnam aspicere hanc oculis, non fœdera possum.
Tu pro germano si quid præsentius audes,
Perge decet: forsan miseros meliora sequentur,
Vix ea, cùm lacrymas oculis Juturna profudit,
Térque quatérque manu pectus percussit honestum.
Non lacrymis hoc tempus, ait Saturnia Juno,
Accelera, & fratrem, si quis modus, eripe morti:
Aut tu bella cie, conceptúmque excute fœdus.
Auctor ego audendi, Sic exhortata reliquit
Incertam, & tristi turbatam vulnere mentis.
Intereà reges, ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circùm

Au-

Siquid præsentius: *Efficacius, melius in rem præsentem.*

Auctor ego audendi: *Hic, & hæc auctor. Hic ab auctoritate descendit. Cùm autem venit ab eo, quod est* augeo, *&* auctor, *&* auctrix *facit.*

Intereà reges &c. *Hîc sententia longiori parenthesi suspensa est, per novem nempe versus*: intereà reges -- procedunt castris. *Potest tamen & absque parenthesi intelligi, si dicatur Poëta à plurali numero ad singularem statim deflexisse*, pro intereà reges vehuntur: Latinus *quidem curru quadrijugo &c.* ingenti mole: *Pompa, ambitu, & comitatu.*

Aurati

Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt,
Solis avi ſpecimen: bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato criſpans haſtilia ferro:
Hinc pater Æneas, Romanæ ſtirpis origo,
Sidereo flagrans clypeo & cæleſtibus armis,
Et juxtà Aſcanius, magnæ ſpes altera Romæ:
Procedunt caſtris: puráque in veſte ſacerdos
Setigeræ fœtum ſuis, intonſámque bidentem
Attulit, admovítque pecus flagrantibus aris.
Illi ad ſurgentem converſi lumina Solem,
Dant fruges manibus ſalſas, & tempora ferro

Summa

Aurati bis ſex: *Coronæ radios habens duodecim, referens ſigna Zodiaci, argumentum generis ſui, cui mater erat Circe, filia ſolis.*

Criſpans. *Quatiendo quaſi ſinuans & flectens.*

Sidereo clypeo. *Vel inſtar ſiderum fulgente: vel quem in cælo Venus à Vulcano petierat: vel quem Deus ipſe Vulcanus in inſula Hiera fabricaverat.*

Spes altera Romæ. *Æneas enim prima, Aſcanius ſecunda. Ajunt aliqui, Ciceronem quoddam è Virgilii carminibus audientem, has in voces pariter erupiſſe, ſe intelligendo & Virgilium; ſed hoc alii falſum eſſe probant.*

Setigeræ fœtum ſuis: *Porca in fœderibus feriendis cædi ſolita, more Romano aut Italo, ovis verò pro Ænea adhibetur Græco more.*

Fruges ſalſas &c. *Molam ex puriſſimo frumento,* ſalſo, *toſto ac molito, victimarum capiti imponunt, quæ propriè eſt* immolatio. Tempora ferro notant;

Summa notant pecudum, paterísque altaria libant.
Tum pius Æneas stricto sic ense precatur:
Esto nunc Sol testis & hæc mihi terra precanti,
Quam propter tantos potui perferre labores:
Et pater omnipotens, & tu Saturnia Juno;
Jam melior, jam Diva, precor: túque inclyte Mavors;
Cuncta tuo qui bella pater sub numine torques:
Fontésque fluviósque voco, quæque ætheris alti
Relligio, & quæ cæruleo sunt numina ponto.
Cesserit Ausonio si fors victoria Turno,
Convenit Evandri victos discedere ad urbem:
Cedet Iülus agris: nec pòst arma ulla rebelles
Æneadæ referent, ferróve hæc regna lacessent.
Sin nostrum annuerit nobis victoria Martem,
(Ut potiùs reor, & potiùs Dii numine firment)
Non ego, nec Teucris Italos parere jubebo,
Nec mihi regna peto: paribus se legibus ambæ
Invictæ gentes æterna in fœdera mittant.

Sa-

tant: *pilos è capite victimarum secant.* Altaria libant, *vina invergunt in altaria, & in frontem victimarum, quæ* libatio *dicebatur.*

Esto nunc Sol testis: *Sol, Terra, Jupiter, Juno, Mars &c. communes illi sunt utriusque gentis Dii, de quibus v.* 118.

Jam melior: *Jam mihi mitior & faventior, & sic* jam *verè* Diva; *proprium enim Deorum est, bonos esse.*

Nostrum Martem, *Faventem nobis.*

Sa-

Sacra Deósque dabo: socer arma Latinus habeto,
Imperium solemne socer: nova mœnia Teucri,
Constituent, urbíque dabit Lavinia nomen.
Sic prior Æneas: sequitur sic deinde Latinus,
Suspiciens cælum, tendítque ad sidera dextram:
Hæc eadem, Ænea, terram, mare, sidera juro,
Latonæque genus duplex, Janúmque bifrontem,
Vímque Deûm infernam, & diri sacraria Ditis.
Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine sancit.
Tango aras, mediósque ignes, & numina testor:

Nulla

Sacra, deósque dabo: *Arma & imperii habenas habeat Latinus, ego curabo religionem, & Deos.*

Latonæque genus duplex: Apollinem, *Solem*, & Dianam, *Lunam, Latonâ ex Jove editos in insula Delo.*

Janúmque bifrontem: *Italorum Regem ac Numen fœderibus adhiberi solitum.*

Vimque Deûm infernam. *Pro Diis ipsis inferis, ut* odora canum vis, *pro ipsis canibus.*

Sacraria ditis. *Dis, Pluma est. Sacrarium est sanctuarium, locus templi intimus, ubi præcipua numinis religio. Hæc regia est Plutonis. Quidam hanc infernam regiam* Sacram *dici putant, quasi* execrabilem, *ut*: Auri sacra fames.

Fœdera fulmine sancit. *Quia Jupiter ultor est violati fœderis, perculsis fulmine fœdifragis.*

Tango aras. *Mos jurantium, supplicantium, sacrificantium, ut aras & simulacra & res sacras manu* con-

Nulla dies pacem hanc Italis nec fœdera rumpet;
Quo res cúnque cadent: nec me vis ulla volentem
Avertet: non, si tellurem effundat in undas
Diluvio miscens, cælúmve in Tartara solvat:
Ut sceptrum hoc (dextrâ sceptrum nam fortè gerebat)
Nunquam fronde levi fundet virgulta nec umbras:
Cùm semel in sylvis imo de stirpe recisum
Matre caret, posuítque comas & brachia ferro;
Olim arbos, nunc artificis manus ære decoro

In-

contingant: qui mos ad nos etiam transiit, ut jurantes sacris libris manum imponamus.

Non si tellurem effundat: *Perpetuitatem fœderis asseverat, adjuncta conditione impossibili, quæ vim habet negationis. Quasi dicat: Diluvio priùs omnia, aut machinæ hujus orbis in chaos reversæ ruinâ interibunt, quàm pacis nostræ, fœderísque dissolutio fiat.* Effundat: *Refertur ad nominativum* vis ulla.

Ut sceptrum hoc: *Et ut sceptrum hoc nunquam fundet virgulta, nunquam emittet ramulos, nec umbracula levibus foliis; ex quo in sylvis aliquando abscissum est,* & matre caret, *id est, terra, vel arbore sua.* Imo de stirpe. *Utitur hîc masculino genere, quia significat imam arboris partem, sive truncum.*

Posuítque comas: *Ferro amisit frondes, quia amputatas; quondam arbor, nunc manus fabri cinxit illam ære pulchro.*

Pa-

Incluſit, patribúſque dedit geſtare Latinis.
Talibus inter ſe firmabant fœdera dictis,
Conſpectu in medio procerum: tum ritè ſacratas
In flammam jugulant pecudes, & viſcera vivis
Eripiunt: cumulántque oneratis lancibus aras.
At verò Rutulis impar ea pugna videri
Jamdudum, & vario miſceri pectora motu:
Tum magis, ut propiùs cernunt non viribus æquis.
Adjuvat inceſſu tacito progreſſus, & aram
Suppliciter venerans demiſſo lumine Turnus,
Tabentéſque genæ, & juvenili in corpore pallor.
Quem ſimul ac Juturna ſoror crebreſcere vidit
Sermonem, & vulgi variare labantia corda:
In medias acies, formam aſſimulata Camerti,
(Cui genus à proavis ingens, clarúmque paternæ
Nomen erat virtutis, & ipſe acerrimus armis)
In medias dat ſeſe acies haud neſcia rerum,

Ru-

Patribúſque Latinis: *Regibus Latinis.*

Oneratis lancibus. *Vaſis eſcariis, in quibus ſtructa & cumulata victimarum exta.*

Impar videri: *Quia Æneas animo, ætate, experientia, & militari ſcientia viſus melior. Turni verò ad aram accedentis infirmitatem prodebant inceſſus ſegnis, oculi demiſſi, tabentes genæ, pallor.* Ut propiùs: *Diligentiùs: Subaudi* congreſſuros vident *viribus non æquis.*

Crebreſcere. *Invaleſcere apud plures.*

Rumorésque ferit varios, ac talia fatur:
Non pudet, ô Rutuli, cunctis pro talibus unam
Objectare animam? numeróne, an viribus æqui
Non sumus? En omnes & Troës & Arcades hîc sunt,
Fatalísque manus, infensa Etruria Turno:
Vix hostem, alterni si congrediamur, habemus.
Ille quidem ad superos, quorum se devovet aris,
Succedet famâ, vivúsque per ora feretur:
Nos patriâ amissâ dominis parere superbis
Cogemur, qui nunc lenti consedimus arvis.
Talibus incensa est juvenum sententia dictis
Jam magìs atque magìs, serpítque per agmina murmur.
Ipsi Laurentes mutati, ipsíque Latini:
Qui sibi jam requiem pugnæ rebúsque salutem
Sperabant; nunc arma volunt, fœdúsque precantur.

Ia-

Troës & Arcades. *Gentes in Turnum fœderatæ, Trojani Æneæ, Arcades Evandri, Etrusci Tarchontis.*

Fatalísque manus. *Vel quia Latinorum agros petebant quasi fatis sibi debitos, vel potiùs, cùm Virgilius id solis Etruscis tribuat, quia fato paratum sibi regem Æneam exspectaverant. Æn. 8. 494.* Infesta Etruria Turno, *illa nempe* quæ infesta, *nam aliqua pars Etruriæ Turno erat addicta duce Messapo.*

Vix hostem alterni. *Si secundus quisque nostrûm, si media pars nostrûm congrediatur, vix singuli hostem habebimus, id est, duo & ampliùs unicuique objicimur. Illis ergo longè plures sumus.*

Mon-

Infectum, & Turni sortem miserantur iniquam,
His aliud majus Juturna adjungit, & alto
Dat signum cælo: quo non præsentius ullum
Turbavit mentes Italas, monstróque fefellit.
Námque volans rubrâ fulvus Jovis ales in æthrâ,
Littoreas agitabat aves, turbámque sonantem
Agminis aligeri; subitò cùm lapsus ad undas
Cycnum excellentem pedibus rapit improbus uncis.
Arrexêre animos Itali: cunctæque volucres
Convertunt clamore fugam (mirabile visu)
Ætheráque obscurant pennis, hostémque per auras
Factâ nube premunt: donec vi victus & ipso
Pondere defecit, prædámque ex unguibus ales
Projecit fluvio, penitúsque in nubila fugit.
Tum verò augurium Rutuli clamore salutant,

Ex-

Monstro. *Ostento, quod monstratur & ostenditur signa futurorum petentibus.*

Rubrâ Jovis ales in æthrâ. *Æthra, æthræ, nomen* I. *declin:* αἴθρα, *idem est atque æther. Æther autem est juxta Anaxagoram & Ciceronum, illa veterum sphæra ignis ambiens aërem, ab* αἴθειν ardere: *Ideo* rubra *à Virgilio dicta. Juxta alios est cæli tôtius & siderum compago, hîc pro aëre universim sumitur.* Littoreas aves. *Palustres.*

Augurium. *Propriè enim erat signum petitum ex avibus. Et scitè quidem Rutuli Æneam in aquila, Turnum in cycno, seipsos in avibus agnoscebant.*

Expediúntque manus, primusque Tolumnius augur:
Hoc erat, hoc, votis, inquit, quod sæpè petivi.
Accipio, agnoscóque Deos. Me, me duce ferrum
Corripite, ô Rutuli, quos improbus advena bello
Territat, invalidas ut aves; & littora vestra
Vi populat: petet ille fugam penitusque profundo
Vela dabit: vos unanimi densete catervas,
Et regem vobis pugnâ defendite raptum.
Dixit, & adversos telum contorsit in hostes
Procurrens: sonitum dat stridula cornus, & auras
Certa secat: simul hoc, simul ingens clamor, & omnes
Turbati cunei, calefactáque corda tumultu;
Hasta volans, ut fortè novem pulcherrima fratrum
Corpora constiterant contrà, quos fida creârat
Una tot Arcadio conjux Tyrrhena Gylippo;

Ho-

Vi populat. *Antiquè. Nam veteres & populo, & populor dicebant.*

Penitúsque profuudo: *Et penitus se in profundum mare cum navibus conferet.*

Densete catervas. *Veteri more, pro* densate, *nam dicebatur* Denseo, ere, & Denso, are.

Cornus. *Hasta ex arbore corno.*

Cunei. *Ordines peditum, sic dicti, ab agminum figura. Nam & cunei figura est primâ fronte acuta, tum magìs ac magìs in latitudinem secundùm latera explicatur.*

Horum

Horum unum ad medium, teritur quà sutilis alvo
Balteus, & laterum juncturas fibula mordet,
Egregium formâ juvenem & fulgentibus armis,
Transadigit costas, fulvâque extendit arenâ.
At fratres, animosa phalanx accensáque luctu,
Pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum
Corripiunt, cæcíque ruunt: quos agmina contra
Procurrunt Laurentum: hinc densi rursùs inundant
Troës, Agyllinique, & pictis Arcades armis.
Sic omnes amor unus habet decernere ferro.
Diripuêre aras: it toto turbida cælo
Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber:
Craterásque focósque ferunt. Fugit ipse Latinus,
Pulsatos referens infecto fœdere Divos.
Infrænant alii currus, aut corpora saltu

Sub-

Horum unum: *Transfodit unum illorum circa medium corpus per costas, quà balteus consutus atteritur ventre, & quà fibula stringit juncturas laterum.* Fibula, *claviculus extrema balthei connectens.*

Agyllini. *Etrusci, Æneæ socii, ex urbe* Agyllina *sive* Carite, *nunc Cerveteri.*

Crateras &c. *Pocula, quibus vina fundebant, cruorémque victimarum; Græca* vox: *κρατὴρ.*

Focos. *Partes ararum graminearum, ubi accensus ignis fuerat.*

Pulsatos Divos: *Disjectos.*

Infrænant currus. *Equos frænatos currui alligant.*

Sub-

Subjiciunt in equos, & ſtrictis enſibus adſunt.
Meſſapus regem regiſque inſigne gerentem
Tyrrhenum Auleſten, avidus confundere fœdus,
Adverſo proterret equo: ruit ille recedens,
Et miſer oppoſitis à tergo involvitur aris
In caput, inque humeros; at fervidus advolat haſtâ
Meſſapus, telóque orantem multa trabali
Deſuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur:
Hoc habet, hæc melior magnis data victima Divis.
Concurrunt Itali, ſpoliántque calentia membra.
Obvius ambuſtum torrem Chorinæus ab ara
Corripit, & venienti Ebuſo plagámque ferenti
Occupat os flammis: olli ingens barba reluxit,

Ni-

Subjiciunt in equos. *Superjiciunt, ſuper equos jaciunt.*

Tyrrhenum Auleſten. *Unum è regibus Tyrrhenis. Tales fuêre* Mezentius, Meſſapus *ex Turni partibus.* Maſſicus, Oſinius *ex partibus Æneæ.*

Telo trabali. *Magno inſtar* trabis, *unde apud Statium* haſta trabalis; *apud Claudianum;* trabale ſceptrum, *apud Horatium*, clavi trabales.

Hoc habet. *Id eſt, lethali percuſſus eſt vulnere. Apud antiquos enim id erat*, hoc habet, *quod* nunc peractum eſt.

Chorinæus. *Sacerdos Trojanus, qui ex officio propiùs aræ aſtabat.*

Plagámque ferenti: *Pro* inferenti.

Occupat os flammis: *Prævenit ipſius irruentis ictum torre flammeo.*

Su-

Nidorémque ambusta dedit: super ipse secutus
Cæsariem lævâ turbati corripit hostis,
Impressóque genu nitens, terræ applicat ipsum,
Sic rigido latus ense ferit. Podalirius Alsum
Pastorem, primâque acie per tela ruentem
Ense sequens nudo superimminet: ille securi
Adversi frontem mediam mentúmque reductâ
Disjicit, & sparso latè rigat arma cerebro.
Olli dura quies oculos & ferreus urget
Somnus: in æternam clauduntur lumina noctem.
At pius Æneas dextram tentebat inermem
Nudato capite, atque suos clamore vocabat.
Quò ruitis, quævé ista repens discordia surgit?
O cohibete iras; ictum jam fœdus, & omnes

Super ipse secutus: *Ipse Chorinæus incurrens desuper apprehendit manu sinistrâ comam turbati hostis, & obluctans imposito genu sternit eum humi.*

Securi: *Adde*, reducta, *ad se tracta*, *secat frontem mediam &c.* Disjicit. *Secat, dividit.*

Dextram tendebat inermem &c. *Quo in fœdere faciendo omnes admonebat pacis.*

Nudato capite. *Iam ut hac piâ confidentiâ ferociam Latinorum emolliret; quàm ut agnosceretur à suis, eísque voluntatem suam apertiùs significaret. Sic Julius Cæsar in acie Pharsalica nudâ manu & capite suis inclamabat:* Parcite civibus.

Repens. *Aut subitò, ut sit adverbium, id est, repentè. Aut* repens, *pro* repentina. *Alii legunt* Recens.

Faxo,

Compositæ leges: mihi jus concurrere soli:
Me finite, atque auferte metus: ego fœdera faxo
Firma manu: Turnum jam debent hæc mihi sacra.
Has inter voces, media inter talia verba,
Ecce viro stridens alis allapsa sagitta est:
Incertum, quâ pulsa manu, quo turbine adacta:
Quis tantam Rutulis laudem, casúsne, Deúsne,
Attulerit: pressa est insignis gloria facti,
Nec sese Æneæ jactavit vulnere quisquam.
Turnus ut Æneam cedentem ex agmine vidit,]
Turbatósque duces; subitâ spe fervidus ardet:
Poscit equos atque arma simul, saltúque superbus
Emicat in currum, & manibus molitur habenas,
Multa virûm volitans dat fortia corpora letho:
Semineces volvit multos, aut agmina curru
Proterit, aut raptas fugientibus ingerit hastas.
Qualis apud gelidi cùm flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors clypeo increpat atque furentes

Bella

Faxo. *Fecero.*

Turnum debent hæc mihi sacra. *Ex quo verba fœderis concepimus ego & Latinus: ex eo Turnus mihi uni addictus est; unus ego cum eo congredi possum: abstinete ab eo, & mihi permittite.*

Insignis gloria facti. *Pressa, pro suppressa, & non: insignis gloria, sed insignis facti conjungendum.*

Qualis &c. *Comparat eum cum Marte ad Hebrum belligerante.*

Hebri. *Fluvii Thraciæ, in qua* Mavors, *Mars, natus esse dicitur.*

Clypeo increpat. *Id est collisis hastâ & clypeo equos*

Bella movens immittit equos: illi æquore aperto
Ante Notos Zephyrumque volant: gemit ultima pulsu
Thraca pedum: circúmque atræ Formidinis ora,
Iræque, Insidiæque, Dei comitatus, aguntur.
Talis equos alacer media inter prælia Turnus
Fumantes sudore quatit, miserabile cæsis
Hostibus insultans: spargit rapida ungula rores
Sanguineos, mixtâque cruor calcatur arenâ.
Jámque neci Sthenelumque dedit, Thamyrímque, Pholumque:
Hunc congressus, & hunc; illum eminus: eminus ambos
Imbrasidas, Glaucum atque Ladem; quos Imbrasus ipse

Nu-

quos increpat & hoc terrore instigat. Vel increpat *verborum neutrorum more absque casu, id est*, sonat.

Thraca. *Pro Thracia, quæ Græcè est* Θράκη.

Dei comitatus: *Dignus Marte comitatus, formido, Ira, insidiæ.*

Miserabile. *Miserabiliter, miserandè cæsis insultans.*

Hunc congressus & hunc: *Thamyrim quidem & Pholum aggressus cominus;* Illum: *Sthenelum verò eminùs.*

Imbrasidas: *Glaucum & Ladem, quos ipse Imbrasus educaverat in Lycia.*

Pari-

Nutrierat Lyciâ, paribusque ornaverat armis
Vel conferre manum, vel equo prævertere ventos.
Parte alia, media Eumedes in prælia fertur,
Antiqui proles bello præclara Dolonis,
Nomine avum referens, animo manibusque parentem:
Qui quondam, castra ut Danaûm speculator adiret
Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus.
Illum Tydides alio pro talibus ausis
Affecit pretio: nec equis aspirat Achillis.

Hunc

Paribúsque ornaverat armis : *Ut æqualiter dimicarent, æqualiter currerent.*

Proles bello præclara : *Ironicè. Fuit enim Dolon bello ignavus, & hic Eumedes, ejus filius satis ignominiosè occiditur.*

Nomine avum referens. *Eumedes hic Dolonis filius vocabatur; & avus quoque Eumedes.*

Qui quondam : *Dolon, cùm Hector mercedem promitteret ei, qui speculator ire voluerit ad Græcorum naves, petiit sibi promitti mercedis locô currum & equos Achillis.* Pelides : *Achilles Pelei filius.*

Tydides : *Diomedes Tydei filius, cùm intellexisset ex ipso Dolone rem ignaviter fatente, speculatorem esse, occidit Dolonem, & hoc ipsi pretium rependit prô curru & equis.*

Nec equis aspirat Achillis. *Pergit poëta illudere Doloni, qui captus à Diomede non ampliùs ad equos Achillis, sibi in præmium promissos; sed ad vitam servandam aspirabat.*

Lon-

Hunc procul ut campo Turnus conſpexit aperto:
Ante levi jaculo longum per inane ſecutus,
Siſtit equos bijuges, & curru deſilit, atque
Semianimi lapsóque ſupervenit: & pede collo
Impreſſo, dextræ mucronem extorquet, & alto
Fulgentem tinxit jugulo, atque hæc inſuper addit:
En, agros, & quam bello, Trojane, petîſti,
Heſperiam metire jacens: hæc præmia, qui me
Ferro auſi tentare, ferunt; ſic mœnia condunt.
Huic comitem Buten, conjectâ cuſpide, mittit:
Chloreáque, Sybarímque, Daretáque, Therſilochúmque,
Et ſternacis equi lapſum cervice Thymœtem.
Ac velut Edoni Boreæ cùm ſpiritus alto
Inſonat Ægæo, ſequitúrque ad littora fluctus,

Longum per inane: *Per longum ſpatium jaculo inſecutus eſt, vel etiam è longinquo jam vulneravit.*

En agros. *Quos ſperâſti agros tibi tuíſque tanquam victoribus dividendos, eos ſic metire jacens in terra.* Heſperiam; *Italiam.*

Sternacis equi cervice. *Equo in anteriora genua prolapſo, Thymœtes per ejus collum devolutus eſt.*

Edoni Boreæ. *Thracii: è Thracia ſeptentrionali in Græciam & mare Ægeum flantis.* Edoni *populi ſunt in Thracia, unde apud Strabonem Lycurgus Thraciæ rex* Edonus *appellatur. Et Statius* Edonas hyemes *vocat.*

Alto Ægæo. *Cùm per profundum mare Ægæum flatus Thracii Boreæ ſonant.*

Quà venti incubuêre, fugam dant nubila cælo;
Sic Turno, quacunque viam secat, agmina cedunt,
Conversæque ruunt acies: fert impetus ipsum,
Et cristam adverso curru quatit aura volantem.
Non tulit instantem Phegeus, animísque frementem:
Objecit sese ad currum, & spumantia frænis
Ora citatorum dextrâ detorsit equorum.
Dum trahitur, pendétque jugis: hunc lata retectum
Lancea consequitur, rumpítque infixa bilicem
Loricam, & summum degustat vulnere corpus.
Ille tamen clypeo objecto conversus in hostem
Ibat, & auxilium ducto mucrone petebat:
Quem rota præcipitem & procursu concitus axis
Impulit, effundítque solo: Turnúsque secutus,
Imam inter galeam summi thoracis & oras,
Abstulit ense caput, truncúmque reliquit arenâ.
Atque ea dum campis victor dat funera Turnus,
Interea Æneam Mnestheus, & fidus Achates,

Fugam dant nubila. *Ventus enim Septentrionalis fugat nubes, meridionalis colligit.*

Pendétque jugis: *Dum equos detorquet, & in obversum trahit, ipse simul trahitur & inhæret jugo: hunc lata Turni lancea consequitur, quia detectus, & vulneri patens, remoto clypeo.*

Bilicem. *Bino textu, vel licio, sive filo.*
Degustat: *Leviter tangit; levi stringit vulnere.*
Ducto mucrone: *id est, educto.*
Procursu: *Impetu.*

Ascaniúsque comes, castris statuêre cruentum,
Alternos longâ nitentem cuspide gressus.
Sævit, & infracta luctatur arundine telum
Eripere, auxilióque viam, quæ proxima, poscit;
Ense secent lato vulnus, telíque latebram
Rescindant penitus, seséque in bella remittant.
Jámque aderat Phœbo ante alios dilectus Japis
Jasides: acri quondam cui captus amore
Ipse suas artes, sua munera, lætus Apollo,
Augurium citharámque dabat, celerésque sagittas.

Alternos &c. *Vulnerati pedis passus hastili sustentantem, & fulcientem. Alter enim pes, qui saucius non erat, sine adminiculo firmos & liberos metiebatur gressus.*

Sævit: *Sui contemptor, gloriæ dominus, civium servator hactenus, nunc indignatur, sibique irascitur, quòd saucius ad pugnam nequeat procedere.*

Infracta arundine: *Conatur cuspidem teli frangere, & eripere telum, & petit modum auxilii, qui celerrimus sit.*

Japis: Japidis *in genit. Medici nomen. diversum* â Japyge, *qui est ventus*, à Japyx. Phœbo dilectus: *A Medicorum Deo Apolline dilectus præ aliis, Jasii filius.*

Suas artes: *Apollinis artes fuerunt: I. Vaticinia II. Musica, unde cum lyra pingitur, & Poëtarum Deus est. III. Peritia jaculandi, unde ipsi tribuitur pharetra. IV. Medicina, quam artem Æsculapio filio tradidisse dicitur.*

Ille, ut depositi proferret fata parentis,
Scire potestates herbarum usúmque medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.
Stabat, acerba fremens, ingentem nixus in hastam
Æneas, magno juvenum & mœrentis Iüli
Concursu lacrymísque immobilis. Ille retorto
Pæonium in morem senior succinctus amictu,
Multa manu medicâ Phœbíque potentibus herbis
Nequicquam trepidat; nequicquam spicula dextrâ

Sol-

Depositi. *Id est* desperati, jacentis &c. *ita Cicero Verrin.* 3. Ægram & propè depositam reipublicæ partem *ait se suscepisse.* Proferret fata: *Ut produceret vitam patris sui, prælegit artem medicam.*

Mutas artes. *Medicinam, quam sic vocat, vel comparatione Musicæ & vaticinii, quæ voce maximè constant; vel quia parùm famosa tum erat & à servis ferè exercebatur; vel quia tunc non voce & disceptatione, ac præceptione tractabatur, sed manu atque opere: unde* Chirurgiam *nostram referebat; ut patet ex hoc* Japide, *qui Chirurgum hîc præstat potiùs, quàm Medicum: & ex ipsis Poëtæ verbis, qui ipsi tribuit non tantùm* scire potestates herbarum, *sed ipsum etiam usum medendi.*

Ille retorto: *Japis medicus rejecto amictu, more medicorum.*

Pæonium. *In morem Pæonis Deorum medici. Æn* 7. 769.

Trepidat; *Festinat.*

Pul-

Solicitat, prensátque tenaci forcipe ferrum:
Nulla viam fortuna regit, nihil auctor Apollo
Subvenit: & sævus campis magis ac magis horror
Crebrescit, propiusque malum est. Jam pulvere cælum
Stare vident: subeunt equites, & spicula castris
Densa cadunt mediis: it tristis ad æthera clamor
Bellantûm juvenum, & duro sub Marte cadentûm.
Hîc Venus, indigno nati concussa dolore,
Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis, & flore comantem
Purpureo: non illa feris incognita capris
Gramina, cùm tergo volucres hæsêre sagittæ.
Hoc Venus, obscuro faciem circumdata nimbo
Detulit: hoc fuscum labris splendentibus amnem

In

Pulvere cælum stare. *Jam vident aërem totum pulvere plenum esse.*

Dictamnum. *Dictamnus vel Dictamnum: herba in sola Creta insula proveniens*, polegio, Poley-Krauth, *formâ affinis, frondibus tamen latioribus & lauuginosis: quare* puberes *hîc dicuntur. Valet ad expellenda è vulneribus tela: cujus rei capræ & cervi Cretenses indicium dicuntur fecisse. Nomen habet à Dictæo monte Cretensis insulæ, in quo, ut & in Ida ejusdem insulæ monte reperitur.*

Faciem circumdata; *Tota aëre septa, ne videretur.*

Hoc fuscum: *Imbuit hoc dictamno undam, infusam lebeti pro lavando ac fovendo vulnere. Fuscum amnem vocat aquam ex amne desumptam, & jam va-*

Inficit: occultè medicans: spargítque salubris
Ambrosiæ succos, & odoriferam panaceam.
Fovit eâ vulnus lymphâ longævus Japis,
Ignorans: subitóque omnis de corpore fugit
Quippe dolor, omnis stetit imo vulnere sanguis.
Jámque secuta manum nullo cogente sagitta
Excidit, atque novæ rediêre in pristina vires.
Arma citi properate viro: quid statis? Japis
Conclamat, primúsque animos accendit in hostes.
Non hæc humanis opibus, non arte magistrâ
Proveniunt; neque te, Ænea, mea dextera servat:
Major agit Deus, atque opera ad majora remittit.
Ille avidus pugnæ suras incluserat auro
Hinc atque hinc: odítque moras, hastámque coruscat.

Post.

riis infectam succis herbarum, quas Japis priùs miscuerat; & inde nigricantem. Labris, *Vasis, in quibus lavabant, quasi* lavabris.

Ambrosiæ &c. Panaceam. *Ambrosia herba est alias Rutæ affinis: sed hîc est haud dubiè cibus potúsve deorum.* Panacea, Panax, Panaces, *herba est fœniculo, anetho, & ferulæ aliquatenus affinis, admodùm salutaris & morborum omnium remedia nomine ipso promittens à* πᾶν *omne, &* ἄκος remedium.

Stetit: *Fluere desiit.*

Suras: *Pars tibiæ posterior, carnosa. Sumitur hîc pro tota tibia, quam vestiit Æneas ocreis aureis.*

Hastámque coruscat. *Activè. Quassat hastam.*

De-

Poſtquam habilis lateri clypeus loricáque tergo eſt:
Aſcanium fuſis circùm complectitur armis,
Summáque per galeam delibans oſcula fatur:
Diſce, puer, virtutem ex me, verumque laborem;
Fortunam ex aliis nunc te mea dextera bello
Defenſum dabit; & magna inter præmia ducet.
Tu facito, mox cùm matura adoleverit ætas,
Sis memor: & te animo repetentem exempla tuorum,
Et pater Æneas, & avunculus exciter Hector.
Hæc ubi dicta dedit, portis ſeſe extulit ingens,
Telum immane manu quatiens: ſimul agmine denſo
Anteus, Mneſtheuſque ruunt: omníſque relictis
Turba fluit caſtris: tum cœco pulvere campus
Miſcetur, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Vidit ab adverſo venientes aggere Turnus,
Vidêre Auſonii: gelidusque per ima cucurrit

Delibans oſcula. *Ore contingens ora; & leviter tang.ns.*

Fortunam ex aliis: *Licèt enim hoc Latino bello felix Æneas fuiſſet: tamen adversâ fortunâ jactatus eatenus fuerat.*

Magna inter præmia ducet, *Vel* ducet te ad magna præmia laudis, regni &c. *vel fortè*: ducet ac reputabit magni præmii locô, ſi poſt tot labores te defenſum dare poſſit.

Avunculus Hector: *Creuſa enim Aſcanii mater, ſoror erat Hectoris, Priami filia.*

Offa tremor. Prima ante omnes Juturna Latinos
Audiit, agnovítque sonum, & tremefacta refugit.
Ille volat, campóque atrum rapit agmen aperto.
Qualis ubi ad terras abrupto sidere nimbus
It mare per medium; miseris heu præscia longè
Horrescunt corda agricolis: dabit ille ruinas
Arboribus stragémque satis, ruet omnia latè.
Antevolant, sonitúmque ferunt ad littora venti.
Talis in adversos ductor Rhœteïus hostes
Agmen agit: densi cuneis se quisque coactis.
Agglomerant. Ferit ense gravem Thymbræus Osirim:
Archetium Mnestheus, Epulonem obtruncat Achates,
Ufentémque Gyas. Cadit ipse Tolumnius augur,

Pri-

Ille volat. *Æneas festinans trahit secum densum agmen in patente campo.*

Qualis ubi: *Comparatio: sicut turbo, ruit ad terras per mare medium &c.* Abrupto sidere, *Effusa tempestate, ac procella, quæ siderum ortu & occasu concitatur.*

Ruet omnia latè: *Activè, ut Æn.* 1. 39. Spumas salis ære ruebant. *Prævident agricolæ, & dicunt: turbo imminens infert calamitatem arboribus, & cladem segetibus, latéque cuncta evertet.*

Ductor Rhæteïus. *Trojanus, Æneas à Rhæteo Troadis promontorio.*

Cuneis. *Ordinibus in figuram cunei.*

Tolumnius. *Qui primus telum in hostes conjecerat, fœdúsque turbaverat.* Augur, *quia ex avium consideratione futura prædicebat. Æn.* 2. *v.* 703.

Tol-

Primus in adversos telum qui torserat hostes.
Tollitur in cælum clamor: versíque vicissim
Pulverulenta fugâ Rutuli dant terga per agros.
Ipse neque aversos dignatur sternere morti;
Nec pede congressos æquo, nec tela ferentes
Insequitur: solùm densa in caligine Turnum
Vestigat lustrans, solum in certamina poscit.
Hoc concussa metu mentem Juturna virago,
Aurigam Turni media inter lora Metiscum
Excutit, & longè lapsum temone relinquit:
Ipsa subit, manibusque undantes flectit habenas:
Cuncta gerens, vocémque, & corpus, & arma Metisci.

Nigra

Tollitur in cælum clamor: *Occiso eo, qui auctor disrumpendi fœderis erat, exortus est clamor; & statim secuta fuga Rutulorum.* Versíque vicissim: *Priùs enim Trojani in fugam erant versi à Rutulis, Ænea vulnerato.*

Pulverulenta terga: *Plena pulveris.*

Neque adversos: *Æneas neque dignatur fugientes, nec contrà stantes, neque tela jacientes eminùs occidere; unum quærit Turnum.* Lustrans: *Circumiens.*

Virago. *A* vir *dixerunt veteres* viram *pro fœmina: hinc* virago, *quæ viro esset similis: unde contracta est* virgo. *Tamen* virago *generosæ fœminæ singulariter tribuitur*, virgo *cuilibet integræ.*

Undantes habenas: *Undarum more sinuosas, & crispantes.*

Nigra velut magnas domini cùm divitis ædes
Pervolat, & pennis alta atria lustrat hirundo,
Pabula parva legens, nidísque loquacibus escas:
Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circùm
Stagna sonat. Similis medios Juturna per hostes
Fertur equis, rapidóque volans obit omnia curru:
Jámque hîc germanum, jámque hîc ostendit ovantem:
Nec conferre manum patitur: volat avia longè.
Haud minùs Æneas tortos legit obvius orbes,
Vestigátque virum, & disjecta per agmina magnâ

Voce

Nigra velut: *Comparatio discursantis Juturnæ, nunc aurigæ, cum hirundine, nigra, quæ hinc inde pervolat ædes magnas, quia* divitis.

Pabula parva: *Muscas.* Nidísque loquacibus. *Et escam legit, colligit, pullis in nido; qui cùm loquaces sint, ipsos quoque nidos loquaces vocat.*

Porticibus vacuis: *Magnis: ut* Vacua atria lustrat saucius.

Similis Juturna: *Similiter.*

Volat avia: *Declinat congressum Æneæ.*

Legit obvius orbes. Legere orbes, *nihil aliud videtur*, quàm iisdem orbibus per eundem circuitum insistere. *Sed quia additur* obvius, *omnino est*, corripere orbes illos, & breviori circuitu sese hosti adversum offerre.

Disjecta per agmina: *Dissipata adventu, & impetu Æneæ.*

Huic

Voce vocat. Quoties oculos conjecit in hostem,
Alipedumque fugam cursu tentavit equorum;
Aversos toties currus Juturna retorsit.
Heu! quid agat? vario nequicquam fluctuat æstu:
Diversæque vocant animum in contraria curæ.
Huic Messapus, uti lævâ duo fortè gerebat
Lenta levis cursu præfixa hastilia ferro,
Horum unum certo contorquens dirigit ictu.
Substitit Æneas, & se collegit in arma,
Poplite subsidens: apicem tamen incita summum
Hasta tulit, summásque excussit vertice cristas.
Tum verò assurgunt iræ, insidiísque subactus
Diversos ubi sensit equos currúmque referri,
Multa Jovem & læsi testatus fœderis aras:
Jam tandem invadit medios, & Marte secundo

Ter-

Huic Messapus. *Obvius Messapus in Æneam alteram duarum hastarum torsit.*

Lenta levis: *Cùm sinistra manu ferret duo jacula flexilia, lenta, ferro armata.* Levis cursu: *Leviter circumcursando.*

Collegit in arma. *Arma hîc pro clypeo, quo ita se texit, ut nulla parte posset feriri: clypeo ergo se texit adversùs ictum hastæ: & in clypeum turbatus colligit artus.*

Incita summum: *Immissa cum impetu hasta abstulit summitatem galeæ, quam Græci conum vocant, in qua eminent cristæ.*

Referri, *Retrò ferri, & rapi in diversam partem.*

In-

Terribilis, ſævam nullo diſcrimine cædem
Suſcitat, irarúmque omnes effundit habenas.
Quis mihi nunc tot acerba Deus, quis carmine cædes
Diverſas, obitúmque ducum, quos æquore toto
Inque vicem nunc Turnus agit, nunc Troïus heros,
Expediat? tantón' placuit concurrere motu,
Juppiter, æterna gentes in pace futuras?
Æneas Rutulum Sucronem (ea prima ruentes
Pugna loco ſtatuit Teucros) haud multa moratus
Excipit in latus, & quà fata celerrima, crudum
Transadigit coſtas & crates pectoris enſem.
Turnus equo dejectum Amycum, fratrémque Diorem,
Congreſſus pedes, hunc venientem cuſpide longâ,
Hunc mucrone ferit: currúque abſciſſa duorum

Su-

Inque vicem. *Modò Turnus, modò Æneas viciſſim toto campo disjecit.*

Ea prima ruentes. *Duplex interpretatio:* I. *Communis: Pugna illa Æneæ cum Sucrone effecit, ut Trojani anteà fugientes tum primò ſubſiſterent.* II. *Pugna illa ſive occurſus Sucronis fortiſſimi militis fecit, ut Trojani in hoſtem antè irruentes tum primò impetum cohibuerint ac ſtiterint.*

Quà fata celerrima: *Ubi proxima letho via, & mors ſequitur promptiſſima;* crudum, *conjunge,* enſem, *durum, crudelem, immiſit per coſtas, id eſt, crates pectoris.*

Curru: *pro currui.*

Ill-

Suſpendit capita, & rorantia ſanguine portat.
Ille Talon Tanaímque neci, fortémque Cethegum,
Tres uno congreſſu, & mœſtum mittit Onythen,
Nomen Echionium, matríſque genus Peridiæ.
Hic fratres Lyciâ miſſos & Apollinis agris,
Et juvenem exoſum nequicquam bella Menœten
Arcada: piſcoſæ cui circùm flumina Lernæ
Ars fuerat; paupérque domus: nec nota potentum
Munera, conductáque pater tellure ſerebat.
Ac velut immiſſi diverſis partibus ignes
Arentem in ſylvam, & virgulta ſonantia lauro:

Aut

Ille Talon &c. *Æneas:* mœſtum Onyten: *Severum, naturaliter triſtem.* Echionium, *Thebanum genere, & filium Peridiæ.*

Hic fratres: *Turnus morti dat fratres profectos è Lycia, & ex agris Apollinis.*

Et juvenem Menœten: *Occidit quoque Turnus Menœten Arcadem, qui urgentibus fatis ad bella deductus, quæ nequicquam ſemper vitare cupiebat; oriundus hîc quidem ex Arcadia, ſed deinde in Argia regione piſcatum exercuerat circa Lernam paludem, denique cum Evandro Arcade venerat in Italiam, túmque erat inter Æneæ auxilia.*

Nec nota potentum &c. *Nec magnatum dignitates erant illi notæ; id eſt, neque cliens frequentabat potentiorum limina.*

Ac velut: *Stragem comparat igni è diverſis partibus injecto aridam in ſylvam; item fluvio præcipiti lapſu ex altis montibus cum ſtrepitu currenti in mare.* Sonantia lauro: *Ob crepitum ardentis lauri.*

Mu-

Aut ubi decursu rapido de montibus altis
Dant sonitum spumosi amnes, & in æquora currunt;
Quisque suum populatus iter: non segniùs ambo
Æneas Turnúsque ruunt per prælia, nunc, nunc
Fluctuat ira intus: rumpuntur nescia vinci
Pectora: nunc totis in vulnera viribus itur.
Murranum hic, atavos & avorum antiqua sonantem
Nomina, per regésque actum genus omne Latinos
Præcipitem scopulo atque ingentis turbine saxi
Excutit, effundítque solo: h. nc lora & juga subter
Provolvêre rotæ, crebro super ungula pulsu
Incita, nec domini memorum proculcat equorum.
Ille ruenti Hyllo animísque immanè frementi
Occurrit, telúmque aurata ad tempora torquet:
Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro,
Dextera nec tua te, Grajûm fortissime Creteu,
Eripuit Turno: nec Dii texêre Cupentum,
Ænea veniente, sui: dedit obvia ferro

Pe-

Murranum hic: *Æneas saxo in modum ventosi turbinis rotato, præcipitem dejicit, & humi sternit Murranum, jactantem avos, & vetera avorum nomina, deductúmque genus omne per Reges Latinos.*

Hunc lora: *Murranum sic stratum rotæ propulerunt subter juga & habenas; præterea protriverunt eum ungulæ equorum, domini sui immemorum.*

Ille ruenti Hyllo: *Turnus occurrit Hyllo irruenti, & inconsiderata festinatione in se præruenti.* Aurata tempora: *Propter galeam inauratam.* Olli. *Hyllo stetit hasta in cerebro perfosso per galeam.*

Latè

Pectora, nec misero clypei mora profuit ærei,
Te quoque Laurentes viderunt, Æole, campi
Oppetere, & latè terram consternere tergo.
Occidis, Argivæ quem non potuêre phalanges
Sternere, nec Priami regnorum eversor Achilles.
Hìc tibi mortis erant metæ; domus alta sub Ida,
Lyrnessi domus alta; solo Laurente sepulchrum.
Totæ adeò conversæ acies, omnésque Latini,
Omnes Dardanidæ: Mnestheus, acérque Serestus,
Et Messapus, equûm domitor, & fortis Asylas,
Tuscorúmque phalanx, Evandríque Arcadis alæ:
Pro se quisque viri summa nituntur opum vi,
Nec mora, nec requies: vasto certamine tendunt,
Hic mentem Æneæ genitrix pulcherrima misit,
Iret ut ad muros, urbíque adverteret agmen
Ociùs, & subita turbaret clade Latinos.
Ille, ut vestigans diversa per agmina Turnum,

Hunc

Latè consternere: *Corporis magnitudinem designat.*

Mortis metæ: *Mors, quæ meta est rerum & finis.*

Domus alta sub Ida. *Æoli origo erat ex alta familia sub monte Ida, & ex urbe Phrygiæ Lyrnesso, ad quam mons Ida se extendebat, sed humile sepulchrum in terra Laurente jam est.*

Conversæ acies: *Toti exercitus inter se permixti.*

Messapus &c. *Hic ex parte Turni, alii omnes aut Trojani, aut Trojanorum socii.*

Opum vi: *Omni industria, virtute, armis.*

Acies circumtulit: *Circumjecit oculos huc & illuc.*

Tu-

Huc atque huc acies circumtulit; aspicit urbem
Immunem tanti belli, atque impunè quietam.
Continuò pugnæ accendit majoris imago.
Mnesthea, Sergestúmque vocat, fortémque Serestum,
Ductores: tumulúmque capit, quò cætera Teucrûm
Concurrit legio, nec scuta aut spicula densi
Depónunt: celso medius stans aggere fatur:
Nequa meis esto dictis mora: Juppiter hàc stat:
Neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.
Urbem hodie, causam belli, regna ipsa Latini,
Nî frænum accipere & victi parere fatentur,
Eruam: & æqua solo fumantia culmina ponam.
Scilicet expectem, libeat dum prælia Turno
Nostra pati? rursúsque velit concurrere victus?
Hoc caput, ô cives, hæc belli summa nefandi.
Ferte faces properè, fœdúsque reposcite flammis.
Dixerat: atque animis pariter certantibus omnes
Dant cuneum, densâque ad muros mole feruntur.
Scalæ improvisò, subitúsque apparuit ignis.
Discurrunt alii ad portas, primósque trucidant:
Ferrum alii torquent, & obumbrant æthera telis.

Ipse

Tumulúmque capit: *Ex more militari, ut armati ad concionem audeant milites, & ut ex aggere aut tumulo concionetur imperator.*

Jupiter hàc stat. *Jupiter vindex violatæ fœderum religionis, hac parte stat à nobis: siquidem nudam & indefensam urbem nobis objicit.*

Fœdusque reposcite flammis: *Vindicemus incendio ruptum fœdus singularis certaminis.*

Dant cuneum. *Sese in cunei figuram componunt, qua prima fronte acuta, tum magìs ac magìs in latitudinem secundùm latera explicatur.*

Dex-

Ipse inter primos dextram sub mœnia tendit
Æneas, magnáque incusat voce Latinum:
Testatúrque Deos; iterum se ad prælia cogi:
Bis jam Italos hostes, hæc altera fœdera rumpi,
Exoritur trepidos inter discordia cives:
Urbem alii reserare jubent, & pandere portas
Dardanidis, ipsúmque trahunt in mœnia regem;
Arma ferunt alii, & pergunt defendere muros.
Inclusas ut cùm latebroso in pumice pastor
Vestigavit apes; fumóque implevit amaro:
Illæ intus trepidæ rerum, per cerea castra
Discurrunt, magnísque acuunt stridoribus iras.
Volvitur ater odor tectis, tum murmure cæco
Intus saxa sonant: vacuas it fumus ad auras.
Accidit hæc fessis etiam fortuna Latinis,
Quæ totam luctu concussit funditus urbem.

Dextram sub mœnia tendit: *Protendit dexteram ad muros, & increpat alta voce Latinum.*

Altera fœdera: *Primum fœdus initum per Ilioneum legatum lib. 7. alterum per me ipsum de singulari certamine.*

Ipsúmque trahunt &c. *Trahunt ad muros Latinum regem suum, vel ut summi discriminis spectator urbem ipse Trojanis aperiendam esse intelligat, vel ut violator fœderis ipse Trojanis dedatur.*

Pumice. *Cavo lapide.* Pastor: *Qui idem & mellarius.*

Trepidæ rerum: *Ut Æn. 1. 182. Fessi rerum.*

Cerea castra: *Mellaria in cavernosa petra.*

Fessis: *Pro afflictis.*

Regina ut tectis venientem prospicit hostem,
Incessi muros, ignes ad tecta volare,
Nusquam acies contrà Rutulas, nulla agmina Turni;
Infelix pugnæ juvenem in certamine credit
Extinctum: & subito mentem turbata dolore,
Se causam clamat, criménque caputque malorum;
Multáque per mœstum demens effata furorem,
Purpureos moritura manu discindit amictus;
Et nodum informis lethi trabe nectit ab alta.
Quam cladem miseræ postquam accepêre Latinæ,
Filia prima manu flavos Lavinia crines
Et roseas laniata genas, tum cætera circùm
Turba furit: resonant latè plangoribus ædes.
Hinc totam infelix vulgatur fama per urbem.
Demittunt mentes: it scissâ veste Latinus,
Conjugis attonitus fatis, urbísque ruinâ,
Caniciem immundo perfusam pulvere turpans;
Multáque se incusat, qui non acceperit antè
Dar-

Tectis venientem: *Ad domos, aut contra tecta venientem. Vel etiam* tectis prospicit.

Incessi muros: *Infestari ab hostibus imminentibus.*

Informis lethi. *Suspendium informe & ignominiosum fuit supplicium, suspensique abjiciebantur insepulti.*

Demittunt mentes: *Desperant.* It scissa veste: *Quod in dolore & luctu factitatum.*

Immundo pulvere turpans; *fuit enim solenne veteribus luctu, funebri præsertim, caput cinere seu pulvere conspergere.*

Multáque, *Multum: neutrum pro adverbio.*

Ex-

Dardanium Æneam, generúmque asciverit ultrò.
Intereà extremo bellator in æquore Turnus
Palantes sequitur paucos, jam segnior, atque
Jam minùs atque minùs successu lætus equorum:
Attulit hunc illi cæcis terroribus aura
Commixtum clamorem, arrectásque impulit aures
Confusæ sonus urbis, & illætabile murmur.
Hei mihi: quid tanto turbantur mœnia luctu?
Quísve ruit tantus diversa clamor ab urbe?
Sic ait, adductísque amens subsistit habenis.
Atque huic, in faciem soror ut conversa Metisci
Aurigæ, currúmque & equos & lora regebat.
Talibus occurrit dictis: hàc, Turne, sequamur
Trojugenas, quà prima viam victoria pandit.
Sunt alii, qui tecta manu defendere possint:
Ingruit Æneas Italis, & prælia miscet:
Et nos sæva manu mittamus funera Teucris.

Extremo bellator. *In acie extrema, non inter primos; idque dolo Juturnæ, animi sui languore, & equis fatigatis.*

Minùs successu lætus equorum. *Vel quia minùs jam celeriter currebant; vel quia minùs jam gaudebat, quòd eum à pugna tam longè abstulissent.*

Sic ait: *Animo consternatus & consilii inops adduxit habenas, & substitit.*

Atque huic: *At verò soror, Juturna, quippe quæ transformata in speciem aurigæ Metisci moderabatur currum & equos, & habenas, respondet illi talibus verbis.*

Nec numero inferior, pugnæ nec honore recedes.
Turnus ad hæc:
O ſoror, & dudum agnovi, cùm prima per artem
Fœdera turbâſti, téque hæc in bella dediſti:
Et nunc nequicquam fallis Dea, ſed quis olympo
Demiſſam tantos voluit te ferre labores?
An fratris miſeri letum ut crudele videres?
Nam quid ago? aut quæ jam ſpondet fortuna ſalutem?
Vidi oculos ante ipſe meos me voce vocantem
Murranum, quo non ſuperat mihi carior alter,
Oppetere ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Occidit infelix, ne noſtrum dedecus Ufens.
Aſpiceret: Teucri potiuntur corpore & armis.
Exſcindine domos (id rebus defuit unum)
Perpetiar? dextrâ nec Drancis dicta refellam?
Terga dabo? & Turnum fugientem hæc terra videbit?

Ut-

Fœdera turbâſti: *Suprà v. 224.*

Murranum: *Regii ſanguinis virum, occiſum ab Ænea ſuprà v. 529. Omen mortis ſe habere dicit à Murrano occiſo, & ſe vocante.* Superat: *Non alius ſuperſtes inter vivos eſt tam mihi carus.*

Occidit Ufens: *Miſer quoque Ufens periit, ne noſtram infamiam aſpiceret; Dux Æquicolarum, de eo Æn. 7. 745. occiſus à Gya Trojano ſuprà v. 460.* Potiuntur corpore. *Id eſt, etiam ſepulturâ caruit.*

Drancis dicta: *Hic princeps Latinus, Turno infeſtus, fugam publica oratione objecerat, Æn. 11. 336.*

Usque

Usque adeóne mori miserum est? vos ô mihi manes
Este boni, quoniam superis aversa voluntas.
Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpæ,
Descendam, magnorum haud unquam indignus avorum.
Vix ea fatus erat, medios volat ecce per hostes
Vectus equo spumante Sages, adversa sagittâ.
Saucius ora, ruítque implorans nomine Turnum;
Turne, in te suprema salus: miserere tuorum,
Fulminat Æneas armis, summásque minatur
Dejecturum arces Italûm, excidióque daturum:
Jámque faces ad tecta volant: in te ora Latini,
In te oculos referunt: mussat rex ipse Latinus,
Quos generos vocet, aut quæ sese ad fœdera flectat.
Præterea regina, tui fidissima, dextrâ
Occidit ipsa suâ, lucémque exterrita fugit.
Soli pro portis Messapus & acer Atinas
Sustentant aciem: circum hos utrínque phalanges
Stant densæ, strictísque seges mucronibus horret
Ferrea, tu currum deserto in gramine versas.

Usque adeóne mori. *Moriar quidem: sed mori malo, quàm eâ me viventem culpâ maculare, quòd fugerim, quòd urbem deseruerim; neque enim adeò misera res est mori. Ergo Manes, Dii inferi, excipite me propitii, siquidem superi mea non amplius curant.*

Sancta: *Incorrupta*: Istius inscia culpæ: *vel fugæ; quia fuga grande crimen est apud virum fortem; vel rupti fœderis, & læsæ religionis.*

Mussat. *Vix audet loqui, dubitat, intra se murmurat, dubius, quem generum admittat, téne, an Æneam.*

Versas: *Huc atque illuc agis.*

Obstupuit variâ confusus imagine rerum
Turnus, & obtutu tacito stetit: æstuat ingens
Imo in corde pudor, mixtóque insania luctu,
Et furijs agitatus amor, & conscia virtus.
Ut primùm discussæ umbræ, & lux reddita menti,
Ardentes oculorum acies ad mœnia torsit
Turbidus, éque rotis magnam respexit ad urbem.
Ecce autem flammis inter tabulata volutus
Ad cælum undabat vortex, turrímque tenebat,
Turrim compactis trabibus quam eduxerat ipse,
Subdiderátque rotas, pontésque instraverat altos.
Jam jam fata, soror, superant; absiste morari:
Quò Deus, & quò dura vocat fortuna sequamur.
Stat conferre manum Æneæ: stat, quicquid acerbi est,
Morte pati, nec me indecorem, germana, videbis
Ampliùs: hunc, oro, sine me furere antè furorem.
Dixit, & è curru saltum dedit ociùs arvis:
Pérque hostes, per tela ruit, mœstámque sororem
Deserit, ac rapido cursu media agmina rumpit.
Ac veluti montis saxum de vertice præceps
Cùm ruit avulsum vento, seu turbidus imber
Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas:
Fertur in abruptum magno mons improbus actu,
Exultát-

Eque rotis: *E curru.*

Tabulata. *Turres erant ligneæ, varijs contabulationibus eductæ, pontibus inter se conjunctæ, rotis impositæ, ut pro rerum necessitate, aliò atque aliò advolverentur.*

Improbus. *Id est, magnus, ut:* Labor omnia vincit improbus.

Exultát-

Exultátque ſolo, ſylvas, armenta, viróſque
Involvens ſecum: disjecta per agmina Turnus
Sic urbis ruit ad muros, ubi plurima fuſo
Sanguine terra madet, ſtridéntque haſtilibus auræ:
Significátque manu, & magno ſimul incipit ore:
Parcite jam, Rutuli, & vos, tela inhibete, Latini:
Quæcunque eſt fortuna, mea eſt: me verius unum
Pro vobis fœdus luere, & decernere ferro.
Diſceſſêre omnes medii, ſpatiúmque dedêre.
At Pater Æneas, audito nomine Turni,
Deſerit & muros, & ſummas deſerit arces:
Præcipitátque moras omnes: opera omnia rumpit,
Lætitiâ exultans: horrendúmque intonat armis:
Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipſe coruſcis

Exultátque ſolo: *Sæpè exilit, dum volvitur.*

Magno ore: *Pro voce magna.*

Verius. *Id eſt, æquius. Livius l.* 32. 33. Sociorum audiri poſtulata verum eſſe.

Fœdus luere: *Fœderis violati pœnas dare.*

Quantus Athos: *Turnum comparavit parti montis; tribus maximis montibus nunc comparat Æneam.* Athos: *Mons Macedoniæ, imminens mari Ægæo, nunc* Monte Sancto.

Eryx. *Mons in Sicilia poſt Ætnam maximus, nunc* S. Juliani.

Cùm fremit ilicibus quantus, gaudétque nivali
Vertice se attollens pater Apenninus ad auras.
Jam verò & Rutuli certatim, & Troës, & omnes
Convertêre oculos Itali, quíque alta tenebant
Mœnia, quíque imos pulsabant ariete muros:
Armáque depofuêre humeris: stupet ipse Latinus,
Ingentes, genitos diversis partibus orbis
Inter se coiisse viros, & cernere ferro.
Atque illi, ut vacuo patuerunt æquore campi,
Procursu rapido conjectis eminus hastis,
Invadunt Martem clypeis atque ære sonoro;
Dat gemitum tellus: tum crebros ensibus ictus
Congeminant: fors & virtus miscentur in unum,
Ac velut ingenti Silâ, summóve Taburno,

Cùm

Coruscis ilicibus. *Foliorum motu coruscantibus.*

Pater Apenninus. *Apenninus dicitur montium perpetua series ex alpibus propagata, in Liguribus circa Genuam incipiens.* Pater *dicitur, tot sylvarum, tot fluminum, quæ in utrumque latus Italiæ ex eo erumpunt; vel ob dignitatem, quia montium omnium Italiæ maximus est.*

Ariete muros: *Machinâ quassandis muris comparatâ.*

Cernere ferro: *Pro* decernere. *Sic enim Seneca Epist.* 58. Quædam simplicia in usu erant, sicut cernere ferro.

Dat gemitum tellus: *Pulsu pedum.*

Silâ: *Sylva ingens Apennini montis.* Taburnus *mons olivifer in Samnio Campaniæ confini, nunc* Tabor, *vel* Taburo. *Subintellige præpositionem* in:

Quemad-

Cùm duo conversis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt, pavidi cessêre magistri:
Stat pecus omne metu mutum, mussántque juvencæ,
Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur;
Illi inter sese multa vi vulnera miscent.
Cornuáque obnixi infigunt: & sanguine largo
Colla armósque lavant: gemitu nemus omne remugit.
Haud aliter Tros Æneas & Daunius heros
Concurrunt clypeis: ingens fragor æthera complet.
Jupiter ipse duas æquato examine lances
Sustinet, & fata imponit diversa duorum:
Quem damnet labor, & quo vergat pondere letum.
Emicat hîc, impune putans & corpore toto

Altè

Quemadmodum in magna Sila, aut alto Taburno, quando duo tauri obversis capitibus congrediuntur in certamen hostile &c.

Pavidi magistri: *Bubulci, pastores.* Mussántque juvencæ: *Timide & quasi tacite mugiant.*

Armósque lavant: *Humeros & colla multo tingunt sanguine.*

Examine lances: *Examen filum est, sive lingua in medio bilancis pendula, cujus momentis indicatur, quò pondus vergat.*

Quem damnet labor: *A quo labor hic frustrà suscipiatur, vel cui labor malè succedat.*

Emicat hîc, *Turnus exilit, & toto corpore exurgit in gladium altè erectum, existimans id fore sibi impunitum.*

Altè sublatum consurgit Turnus in ensem:
Et ferit. Exclamant Troës, trepidíque Latini:
Arrectæque amborum acies. At perfidus ensis
Frangitur, in medióque ardentem deserit ictu,
Ni fuga subsidio subeat: fugit ocior Euro,
Ut capulum ignotum dextrámque aspexit inermem.
Fama est, præcipitem, cùm prima in prælia junctos
Conscendebat equos, patrio mucrone relicto,
Dum trepidat, ferrum aurigæ rapuisse Metisci:
Idque diu, dum terga dabant palantia Teucri,
Suffecit: postquam arma Dei ad Vulcania ventum est,
Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu
Dissiluit: fulvâ resplendent fragmina arenâ.
Ergo amens diversâ fugâ petit æquora Turnus,
Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes.
Undique enim densâ Teucri inclusêre coronâ:
Atque hinc vasta palus, hinc ardua mœnia cingunt.
Nec minùs Æneas, quanquam tardante sagittâ

In-

Capulum ignotum: *Ut agnovit ex capulo gladium non esse suum, non Vulcanium, sed Metisci, ut infrà.*

Patrio mucrone: *Quem scilicet Dauno ignipotens Deus ipse parenti fecerat, & Stygiâ candentem tinxerat undâ, ut suprà V. 90.*

Dum trepidat: *Dum properat, ac turbatur.*

Idque diu suffecit: *Sat fuit, ac valuit in cædendis Teucris fugientibus.*

Ad Vulcania: *Dei Vulcani arma, quæ habuit Æneas.*

Tardante sagittâ: *Vulnere ex sagitta.*

Puni-

Interdum genua impediunt, cursúmque recusant,
Insequitur, trepidíque pedem pede fervidus urget.
Inclusum veluti si quando in flumine nactus
Cervum, aut puniceæ septum formidine pennæ,
Venator cursu canis & latratibus instat:
Ille autem insidiis & ripâ territus altâ,
Mille fugit refugítque vias: at vividus Umber
Hæret hians, jam jámque tenet, similísque tenenti
Increpuit malis, morsúque elusus inani est,
Tum verò exoritur clamor: ripæque lacúsque
Responsant circà, & cælum tonat omne tumultu.
Ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omnes,
Nomine quemque vocans: notúmque efflagitat ensem,
Æneas mortem contrà præsénsque minatur
Exitium, si quisquam adeat: terrétque trementes,
Excisurum urbem minitans, & saucius instat.
Quínque orbes explent cursu, totidémque retexunt
Huc, illuc: nec enim levia aut ludicra petuntur
Præmia, sed Turni de vita & sanguine certant.
Fortè sacer Fauno folijs oleaster amaris

Hîc

Puniceæ formidine pennæ: *Fune, rubris & versicoloribus plumis distincto ad terrendas feras. Pennæ formidatæ vocantur ab Ovidio.*

Insidijs: *Pennarum scilicet, & instrumenti illius in fune ad terrendas bestias facti.*

Umber: *Canis ex Umbria, Italiæ Septentrionali regione.*

Sacer Fauno: *De Fauno, Deo Laurentinorum, Latini patre, aut avo Æn. 7. 47.*

Oleaster. *Olea Sylvestris sæpè pro templis constituta suspendendis donarijs: quia vivacitas hujus arbo-*

Hîc steterat, nautis olim venerabile lignum;
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti Divo, & votas suspendere vestes:
Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum
Sustulerant, puro ut possent concurrere campo.
Hîc hasta Æneæ stabat: huc impetus illam
Detulerat fixam, & lenta in radice tenebat.
Incubuit, voluitque manu convellere ferrum
Dardanides; telóque sequi, quem prendere cursu
Non poterat. Tum verò amens formidine Turnus,
Faune, precor, miserere, inquit: túque optima ferrum
Terra tene: colui vestros si semper honores,
Quos contrà Æneadæ bello fecêre profanos.
Dixit: opémque Dei non cassa in vota vocavit,
Námque diu luctans, lentóque in stirpe moratus,
Viribus haud ullis valuit discludere morsus
Roboris Æneas. Dum nititur acer, & instat,
Rursus in aurigæ faciem mutata Metisci
Procurrit, fratríque ensem Dea Daunia reddit.
Quod Venus audaci Nymphæ indignata licere;

Ac-

arboris tanta est, ut multis confixa clavis nihil tamen lædatur.

Votas vestes: *Voto promissas.*

Stirpem sacrum: *Stirps aliàs fœm. gen. Virgilius masc. ut infrà*, lentóque *&c.* 781.

Puro campo: *Vacuo, absque impedimentis.*

Hîc hasta Æneæ &c. *Conjecta in Turnum fugientem.*

Telóque sequi: *Hastâ jactâ consequi, ferire.*

Discludere morsus: *Tenacitatem radicis, mordicus tenentis hastam.*

Dea Daunia: *Juturna, Turni soror, Dauni filia.*

Mar-

Acceſſit, telúmque alta ab radice revellit.
Olli ſublimes armis, animíſque refecti,
Hic gladio fidens, hic acer & arduus haſtâ,
Aſſiſtunt contrà, certamine Martis anheli.
Junonem intereà rex omnipotentis Olympi
Alloquitur, fulvâ pugnas de nube tuentem.
Quæ jam finis erit, conjux? quid denique reſtat?
Indigetem Æneam ſcis ipſa & ſcire fateris
Deberi cælo, fatíſque ad ſidera tolli.
Quid ſtruis? aut qua ſpe gelidis in nubibus hæres?
Mortalin' decuit violari vulnere Divum?
Aut enſem (quid enim ſine te Juturna valeret?)
Ereptum reddi Turno, & vim creſcere victis?
Deſine jam tandem, precibúſque inflectere noſtris:
Nec te tantus edat tacitam dolor; & mihi curæ
Sæpè tuo dulci triſtes ex ore recurſent;
Ventum ad ſupremum eſt. Terris agitare vel undis
Trojanos potuiſti, infandum accendere bellum,

Martis anheli: *Aſſiſtunt contra ſe, in Martis certamine anheli.*

Quæ jam finis: *Virgilio nomen finis interdum eſt fœmininum. Æn.* 5. 384.

Indigetem Æneam: *Indigetes Dii, qui primò in terra* degentes, *inde in cœlum traducti fuerant. Talis præcipuè Æneas, quem Livius teſtatur, non tantùm* Indigetem *dictum fuiſſe, ſed etiam* Jovem indigetem.

Accendere bellum. *Excitatâ ex inferis furiâ, quæ fœdus Latini cum Ænea diſturbaret. Æn.* 7. *v.* 323.

Defor-

Deformare domum, & luctu miscere hymenæos;
Ulteriùs tentare veto. Sic Juppiter orsus:
Sic Dea submisso contra Saturnia vultu:
Ista quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas,
Juppiter, & Turnum & terras invita reliqui.
Nec tu me aëriâ solam nunc sede videres
Digna indigna pati; sed flammis cincta sub ipsâ
Starem acie, traherémque inimica in prælia Teucros.
Juturnam misero, fateor, succurrere fratri
Suasi, & pro vita majora audere probavi:
Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum.
Adjuro Stygii caput implacabile fontis,
Una superstitio superis quæ reddita divis.
Et nunc cedo equidem, pugnásque exosa relinquo.
Illud te, nullâ fati quod lege tenetur,
Pro Latio obtestor, pro majestate tuorum:
Cùm jam connubiis pacem felicibus, esto,
Component; cùm jam leges & fœdera jungent:

Ne

Deformare domum: *Deformem reddere per luctum, quod minata fuerat Juno L.7.*

Una superstitio &c. *Superstitio, gravis & formidolosa religio, metus religiosus;* reddita, *data, & imposita. Compositum pro simplici. Sensus: Quæ una religio, Diis superstes, reddit eos inferis obnoxios, si Stygem jurati fallant.*

Esto, component: *Itaque sit, constituant pacem fausto conjugio. Consentit, sed invita.*

Es

Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri jubeas, Teucrósque vocari:
Aut vocem mutare viros, aut vertere vestes.
Sit Latium, sint Albani per secula reges:
Sit Romana potens Italâ virtute propago:
Occidit, occideritque sinas cum nomine Troja.
Olli subridens hominum rerúmque repertor,
Es germana Jovis, Saturníque altera proles:
Irarum tantos volvis sub pectore fluctus?
Verùm age, & inceptum frustra submitte furorem:
Do, quod vis: & me victúsque voléñsque remitto.
Sermonem Ausonij patrium morésque tenebunt;
Utque est, nomen erit: commixti corpore tantùm
Subsident Teucri: morem ritúsque sacrorum
Adjiciam; faciámque omnes uno ore Latinos.
Hinc genus, Ausonio mixtum quod sanguine surget,
Supra homines, supra ire Deos pietate videbis,
Nec gens ulla tuos æquè celebrabit honores.
Annuit his Juno, & mentem lætata retorsit.

In-

Es germana Jovis: *Tu quidem mea soror es, & Saturni filia: quid ergo irarum tantos volvis sub pectore fluctus?*

Inceptum frustrà: *Sed age; & mitiga furorem frustrà susceptum. Concedo, quod petis, ac me submitto, & sponte, & superatus tuis precibus.*

Commixti corpore: *Simul habitabunt, & inibunt conjugia.*

Tuos celebrabit honores: *Propter Templum Junonis in monte Aventino; & Junonia festa celebrata, necnon Junonis simulacrum evocatum Carthagine, & Romam advectum.*

Lætata retorsit: *Mutavit, inflecti passa est.*

Cogno-

Interea excedit cælo, nubémque reliquit.
His actis, aliud genitor secum ipse volutat;
Juturnámque parat fratris dimittere ab armis.
Dicuntur geminæ pestes, cognomine Diræ:
Quas, & tartaream Nox intempesta Megæram,
Uno eodémque tulit partu: paribúsque revinxit
Serpentum spiris, ventosásque addidit alas.
Hæ Jovis ad solium sævíque in limine regis
Apparent, acuúntque metum mortalibus ægris:
Si quando letum horrificum morbósque Deûm rex
Molitur; meritas aut bello territat urbes.
Harum unam celerem demittit ab æthere summo
Jupiter, inque omen Juturnæ occurrere jussit.
Illa volat, celeríque ad terram turbine fertur:
Non secùs ac nervo per nubem impulsa sagitta,
Armatam sævi Parthus quam felle veneni,
Parthus sive Cydon, telum immedicabile torsit
Stridens, & celeres incognita transilit umbras:
Talis se sata nocte tulit, terrásque petivit.
Postquam acies videt Iliacas, atque agmina Turni;

Ali-

Cognomine Diræ: *Apud inferos Furiæ, in medio* Harpyæ, *in cœlo* Diræ *& Jovis canes dictæ. Innuit* Tisiphonem, *&* Alecto, *Noctis & Acherontis filias, ac tertiam*, Megæram, *pariter Nocte progenitam.* Intempesta: *Obscura, ad agendum intempestiva.*

Inque omen: *Quasi portentum, & omen fraterni fati, ut eo territa avocaretur Juturna.*

Felle veneni: *Veneno amaro: aut felle venenato.*

Parthus &c. *Parthi arte sagittandi nobiles.* Cydon *incola urbis, quæ Cydon ipsa quoque dicta est.*

Talis se: *Filia Noctis se talis intulit, & adivit terras.*

Ali-

Alitis in parvæ ſubitò collecta figuram:
Quæ quondam in buſtis aut culminibus deſertis
Nocte ſedens, ſerùm canit importuna per umbras:
Hanc verſa in faciem, Turni ſe peſtis ad ora
Fértque refértque ſonans, clypeúmque everberat alis,
Illi membra novus ſolvit formidine corpor:
Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæſit.
At procul ut Diræ ſtridorem agnovit & alas;
Infelix crines ſcindit Juturna ſolutos
Unguibus ora ſoror fœdans, & pectora pugnis.
Quid nunc te tua, Turne, poteſt germana juvare?
Aut quid jam miseræ ſuperat mihi? quâ tibi lucem
Arte morer? talin' poſſum me opponere monſtro?
Jam jam linquo acies. Ne me terrete timentem
Obſcœnæ volucres: alarum verbera noſco,
Lethalémque ſonum: nec fallunt juſſa ſuperba
Magnanimi Jovis. Hæc pro virginitate reponit?
Quò vitam dedit æternam? Cur mortis adempta eſt
Conditio? poſſem tantos finire dolores
Nunc certe, & miſero fratri comes ire per umbras,
Jam mortalis ego. Haud quicquam mihi dulce meorum
Te ſine frater erit. O quæ ſatis ima dehiſcat
Terra mihi, manéſque Deam demittat ad imos!
Tantum effata, caput glauco contexit amictu

Alitis in parvæ. *Noctua intelligitur.*

Obſcœnæ volucres: *Funeſtæ, & mali ominis.*

Pro virginitate: *Quam Juturnæ rapuerat Jupiter*, v. 140.

Glauco amictu: *Ex colore aquarum, quibus præerat Nais Juturna*; v. 139. Fluvio: *Tyberi: unde in lacum ſuum, qui influit in Tyberim, facilis fuit via.*

Multa gemens, & se fluvio Dea condidit alto.
Æneas instat contrà, telúmque coruscat
Ingens arboreum, & sævo sic pectore fatur:
Quæ nunc deinde mora est? aut quid jam, Turne retractas?
Non cursu, sævis certandum est cominus armis.
Verte omnes te te in facies; & contrahe, quicquid
Sive animis, sive arte vales: optâ ardua pennis
Astra sequi, clausúmque cavâ te condere terrâ.
Ille caput quassans: non me tua fervida terrent
Dicta, ferox: Dii me terrent, & Juppiter hostis.
Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens:
Saxum antiquum, ingens, campo quod fortè jacebat
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.
Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
Ille manu raptum trepidâ torquebat in hostem
Altior insurgens, & cursu concitus heros.
Sed neque currentem se, nec cognoscit euntem,

Tol-

Æneas instat. *Redit ad narrationem, quam interruperat, interpositis dictis Junonis, Jovis, Juturnæ.* Telúmque coruscat: *Activè: Hastam, quæ magnitudine referebat integram pinum, fraxinum, aliámve arborem, quassat.*

Contrahe: *Collige.*

Vix illud lecti: *Duodecim electi, & egregii viri difficile illud collo sufferrent.*

Sed neque currentem: *Sed eventu irrito; quia ipse præ formidine nec mentis, nec virium compos.*

Nec

Tollentémve manu, saxúmque immane moventem,
Genua labant, gelidus concrevit frigore sanguis.
Tum lapis ipse viri, vacuum per inane volutus,
Nec spatium evasit, totum nec pertulit ictum,
Ac velut in somnis oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequicquam avidos extendere cursus
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus; non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox nec verba sequuntur.
Sic Turno, quacunque viam virtute petivit,
Successum Dea Dira negat. Tum pectore sensus
Vertuntur varii. Rutulos aspectat & urbem,
Cunctatúrque metu: telúmque instare tremiscit:
Nec quò se eripiat, nec qua vi tendat in hostem:
Nec currus usquam videt, aurigámque sororem;
Cunctanti telum Æneas fatale coruscat,
Sortitus fortunam oculis: & corpore toto
Eminus intorquet. Murali concita nunquam

Tor-

Nec spatium evasit: *Nec pertransiit intervallum hominis, nec servavit totam vim.*

Sortitus fortunam oculis; *Explorans oculis opportunitatem feriendi, & locum, quem fortuna destinet vulneri.*

Murali concita nunquam: *Concita saxa tormento murali sunt saxa catapultis, & balistis emissa ad muros feriendos.*

Tormento ſic ſaxa fremunt, nec fulmine tanti
Diſſultant crepitus. Volat atri turbinis inſtar
Exitium dirum haſta ferens: orásque recludit
Loricæ, & clypei extremos ſeptemplicis orbes:
Per medium ſtridens tranſit femur. Incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
Conſurgunt gemitu Rutuli, totúsque remugit
Mons circùm, & vocem latè nemora alta remittunt
Ille humilis ſupplé xque, oculos dextrámque precantem
Protendens: equidem merui, nec deprecor, inquit:
Utere ſorte tua: miſeri te ſiqua parentis
Tan-

Oráſque recludit: *Extremitates loricæ, quæ femur attingunt: & extremitates imi clypei, quem tegendo capiti altiùs ſuſtulerat.*

Septemplicis: *Septem coriis aut laminis ferreis æreíſque contexti.*

Incidit ictus: *Percuſſus cecidit in terram flexo poplite.*

Conſurgunt gemitu: *Inſurgit gemitus à Rutulis ſublatus.*

Utere ſorte tuâ: *Interfice hoſtem tuum, in quem fortuna tibi poteſtatem indulſit.*

Miſeri te ſiqua: *Non eſt, quod mihi parcas causâ meâ; ego quidem mori meritus ſum: ſed tamen*

Tangere cura poteſt, oro, (fuit & tibi talis
Anchiſes genitor) Dauni miſerere ſenectæ:
Et me, ſeu corpus ſpoliatum lumine mavis,
Redde meis Victi, & victum tendere palmas
Auſonij vidêre: tua eſt Lavinia conjux.
Ulteriùs ne tende odiis. Stetit acer in armis
Æneas, volvens oculos, dextrâmque repreſſit.
Et jam jámque magìs cunctantem flectere ſermo
Cœperat: infelix humero cùm apparuit ingens
Balteus, & notis fulſerunt cingula bullis
Pallantis pueri: victum quem vulnere Turnus
Straverat, atque humeris inimicum inſigne gerebat,
Ille oculis poſtquam ſævi monumenta doloris
Exuviâſque hauſit: furiis accenſus & irâ
Terribilis: túne hinc ſpoliis indute meorum
Eripiâre mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat, & pœnam ſcelerato ex ſanguine ſumit.

men in gratiam patris mei, ſenis Dauni, miſerere, memor, quàm gravis foret patri tuo, ſi viveret, mors filij immatura.

Balteus & notis: *Balteus, cingulum, humero laterique circumdatum, ornatum bullis, id eſt, clavis aureis; de quo Æn.* 9. 359. *Balteum hunc Pallanti à ſe occiſo Turnus eripuerat Æn.* 10. v. 496. *Agnoſcit eum Æneas ex pictura Danaidum, quarum facinus in ea expreſſum erat. Ibidem. Túmque accidit, quod à poëta prædictum eſt ibidem* v. 503. *Turno tempus erit, magno cùm optaverit emptum intactum Pallanta, & cùm ſpolia iſta, diémque oderit.*

Hoc dicens, ferrum adverso sub pectore condit
Fervidus: ast illi solvuntur frigore membra,
Vitáque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

Indignata: *Quòd juvenis morte immatura moreretur, quòd victus ab extero, quòd regno & sponsâ privatus, quòd post spem veniæ conceptam &c.*

FINIS ÆNEIDOS.

EXERCI-

EXERCITATIONES
RHETORICÆ

In præcipuas

P. VIRGILII MARONIS
ORATIONES,

Quæ in Æneidum libris leguntur,

QUIBUS ADDITI TRES INDICES,

Deſcriptionum Alter, Alter Comparationum ſive ſimilitudinum, Tertius Dictorum memorabilium, quæ in toto Virgilio animadverſione digna viſa ſunt.

EX ÆNEIDOS LIB. I.

ORATIO I.

JUnonis iratæ, quòd Æneas classe Italiam peteret.
Motus *Ira* & *pudor*. Mores *Mulieris superbæ*.
Loci communes *à Comparatione minorum*, & *à Consequentibus*.

Mène incœpto) Cùm secum ipsa loquatur, nullum adhibet *Exordium*, statimque aperit id, quo maximè angebatur: vinci Deam à mortali homine, unde oritur *Ira, ex Arist. lib.* 2. *c.* 2. *tex.* 10.

Mène) Quidam Commentatores in his verbis Ironiam agnoscunt; falluntur tamen, nam ipsa Interrogatio negat, cùm affirmare videtur.

Quippe) *Objectio*, cui respondet *à Comparatione Minorum*:

Turpe est Junoni id non posse facere, quod Pallas fecit;

Sed Pallas potuit exurere classem Græcorum;

Ergo turpe est Junoni id non posse præstare in Trojanos.

Pallásne) *Assumptio*, quæ illustratur pulcherrimâ *Hypotyposi* Ajacis fulmine pereuntis ob violatam in templo Palladis Cassandram.

Ast ego) *Complexio*, ostendítque se in plurimis dignitate Palladem superare, cùm tamen unam gentem perdere non possit, illa multas perdiderit. Hinc *Pudor, ex Arist. l.* 2. *c.* 6. *t.* 68.

Et quisquam) *Pudoris* argumentum ex loco citato, & per *Epicherema* ita arguit *à Consequentibus*:

Cavendum est mihi, ne divinos honores in terris amittam;

Sed amittam, si nequeam Trojanos perdere;

Ergo eos quoquo modo perdere debeo.

ORATIO II.

JUnonis ad Æolum, ut in Trojanorum classem ventos emitteret.

Motus *Gratia.* Mores *Supplicis.*

Loci communes *ab Adjunctis.*

Partes sunt duæ, *Exordium*, & *Contentio.*

Æole) Ut sibi in *Exordio* benevolentiam conciliet, Æoli in fluctus auctoritatem extollit, qui eos & sedare, & concitare possit.

Gens inimica) *Contentio* hoc videtur constare Argumento.

Potes, & debes hanc mihi rem gratam facere;
Ergo facies.

Quòd possit, patet ex imperio, quod illi Jupiter in fluctus dederat; quòd debeat, ostendit *ab Adjunctis*, victam enim gentem, & Junoni inimicam debebat & ipse odio habere.

Incute) *Complexio Enthymematis*, & ipsa *Petitio.*

Sunt mihi) Ut promptiùs Junoni petenti pareat, exponitur, quod inde beneficium consecuturus sit, nuptias Dejopejæ; & illud beneficium amplificat pariter ab *Adjunctis*, quòd pulcherrima Nympharum esset, & nunquam ab illius thalamo discessura; tandem à spe futuræ prolis; *Arist. l.* 2. *c.* 7. *t.* 80. Æolus breviter respondet, se in omnibus debere Junoni obtemperare, cui quæcunque haberet, accepta omnia referebat.

ORATIO III.

ÆNeæ ad Socios post tempestatem, ne desponderent animos.

Motus *Confidentia.* Mores *Viri Constantis.*

Loci communes *ab Antecedentibus*, & *à Causis.*

O Socij

O Socij) Socios vocat ad captandam Benevolentiam, quorum ipse Dux erat; facit autem *Confidentes ab Antecedentibus* malis, hoc *Syllogismo*:

Ij non debent frangi malis, qui multò pejora tulerunt;
Sed nos mala jam passi sumus multò pejora;
Ergo his frangi non debemus.

Neque enim) *Propositio* simul, & *Assumptio*, ex *Arist. lib.* 2. *c.* 5. *text* 57.

Revocate) *Complexio*.

Forsan &) Dulcis enim est memoria malorum præteritorum; ex *Arist. l.* 1. *c.* 11. *t.* 189.

Per varios) Solatur deinde oblata spe futuri in Italia Regni: argumentum est *à Causa finali*, tali pacto:

Ea mala fortiter toleranda sunt, quæ nos ad felicitatem perducunt;
Sed per hæc mala ad summas felicitates tendimus;
Ergo ea fortiter perferre debemus.

Assumptionem confirmat ex Deorum promissis, ut confidant fore, quæ pollicebatur, juxta *Arist. lib. & capacitatis, tex.* 60.

ORATIO IV.

Veneris ad Jovem pro Trojanis.

Motus *Misericordia*. Mores *fœminæ supplicis, & pro filio solicitæ*.

Loci communes *à Causis*, & *ab Exemplo*.

Tres sunt partes, *Exordium*, *Contentio*, & *Epilogus*.

O qui res) *Exorditur* à summa in cælum, terrásque Jovis potestate, quod ei maximè conciliare benevolentiam poterat.

Quid meus) Inprimis igitur à remotione Causæ, hac ratione:

Qui innocens est, non debet extrema pati:
Æneas, & Trojani innocentes sunt;
Ergo non debent extrema pati, quòd in Italiam tendant, ex *Arist. l.* 2. *c.* 8. *t.* 83.

Certè

Certè hinc) Deinde urget à promissis ipsius Jovis,
Servare debes, quod promisisti;
Sed promisisti ex Trojanorum sanguine fore Romanos rerum Dominos:
Ergo id debes & nunc tueri.

In utroque Argumento illustratur *Assumptio cum complexione.*

Hoc equidem) *Misericordiam* movet, quòd eo etiam tempore Trojani perpetuis malis premantur, cùm eos respirare oportebat, *Arist.* loco citato, *tex.* 89.

Antenor) Tandem *exemplo* utitur Antenoris, quod mirè amplificat per αὔξησιν: evasit enim Græcos, evasit itineris pericula, extruxit urbem, & pace fruitur.

Nos tua) Alterum *Comparationis* membrum; nam miserabile erat, Æneam Deæ filium, & cælo destinatum ob unius Junonis iram non posse eò pervenire, quò pervenerat Antenor.

Hic pietatis) Epilogus, quo duo repetit, & se filiam esse Jovis, & promissam è Jove Italiam Trojanis; utrumque autem maximè valebat, ne sineret Jupiter Æneam cum socijs ad extrema perduci.

ORATIO V.

ILionei ad Didonem, ut in Punico littore suas reficere naves tutò possent Trojani.

Motus *Misericordia.* Mores *Viri gravis.*

Loci communes *à Causis*, & *ab Effectis.*

Quatuor sunt partes, *Exordium*, *Narratio*, *Contentio*, & *Conclusio.*

O Regina) In *Exordio* laudat quidem Didonis felicitatem & æquitatem ad captandam *benevolentiam*, sed maximè *Misericordiam* movet, tum ex parte ipsius Re-

Reginæ, cui novam urbem & superbas gentes regenti similia accidere poterunt; ex *Arist. l. 2. c. 8. t. 84.* tum ex parte Trojanorum, quos miseros, pios, & innocentes exhibet, *loco citato. t. 92.*

Est locus) *Narratio,* & exponit eleganter non modò quò tenderent, sed etiam qua sorte ad Africæ littora pervenerint.

Quod genus) In *Contentione* petit, ne sibi, suisque vis inferatur, tali usus argumento *ab honesto:*

Non debetis quempiam prohibere hospitio littoris, & arenæ;

Sed nos nihil aliud petimus, quàm in littore posse tutò consistere;

Ergo id negare nobis non debetis.

Si genus) *Propositionem,* quam suprà amplificavit ex ipsa rei atrocitate, confirmat hîc à timore divinæ ultionis.

Rex erat) Deinde sic arguit à suimet Regis virtutibus:

Regem justitiâ, & armis insignem injuriâ afficere non debes.

Talis est Rex noster Æneas:

Ergo eum injuriâ afficere non debes, nosmet violando.

Quò justior) *Assumptio.*

Non metus) *Propositionem* probat *ab Effectis,* si enim vixerit, vim vi repellet, aut beneficium majori gratiâ rependet,

Sunt & Siculis) *Prolepsis:* qua occurrit tacitæ objectioni; etiamsi jam perjerit Æneas, fore tamen compensandum beneficium à Trojano Aceste, qui regnabat in Sicilia.

Quassatam) *Conclusio,* ut liceat Trojanis suam reparare classem, & vel Italiam vivo Ænea, vel Siciliam petere, eo jam mortuo,

ORA-

Interea excedit cælo, nubémque reliquit.
His actis, aliud genitor secum ipse volutat;
Juturnámque parat fratris dimittere ab armis.
Dicuntur geminæ pestes, cognomine Diræ:
Quas, & tartaream Nox intempesta Megæram,
Uno eodémque tulit partu: paribúsque revinxit
Serpentum spiris, ventosásque addidit alas.
Hæ Jovis ad solium sævíque in limine regis
Apparent, acuúntque metum mortalibus ægris:
Si quando letum horrificum morbósque Deûm rex
Molitur, meritas aut bello territat urbes.
Harum unam celerem demittit ab æthere summo
Jupiter, inque omen Juturnæ occurrere jussit.
Illa volat, celerísque ad terram turbine fertur:
Non secùs ac nervo per nubem impulsa sagitta,
Armatam sævi Parthus quam felle veneni,
Parthus sive Cydon, telum immedicabile torsit
Stridens, & celeres incognita transilit umbras:
Talis se sata nocte tulit, terrásque petivit.
Postquam acies videt Iliacas, atque agmina Turni;

Ali-

Cognomine Diræ: *Apud inferos Furiæ, in medio* Harpyæ, *in cœlo* Diræ *& Jovis canes dictæ. Innuit* Tisiphonem, *&* Alecto, *Noctis & Acherontis filias, ac tertiam*, Megæram, *pariter Nocte progenitam.* Intempesta: *Obscura, ad agendum intempestiva.*

Inque omen: *Quasi portentum, & omen fraterni fati, ut eo territa avocaretur Juturna.*

Felle veneni: *Veneno amaro: aut felle venenato.*

Parthus &c. *Parthi arte sagittandi nobiles.* Cydon *incola urbis, quæ Cydon ipsa quoque dicta est.*

Talis se: *Filia Noctis se talis intulit, & adivit terras.*

Ali-

Alitis in parvæ ſubitò collecta figuram:
Quæ quondam in buſtis aut culminibus deſertis
Nocte ſedens, ſerùm canit importuna per umbras:
Hanc verſa in faciem, Turni ſe peſtis ad ora
Fértque refértque ſonans, clypeúmque everberat alis.
Illi membra novus ſolvit formidine corpor:
Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæſit.
At procul ut Diræ ſtridorem agnovit & alas;
Infelix crines ſcindit Juturna ſolutos
Unguibus ora ſoror fœdans, & pectora pugnis.
Quid nunc te tua, Turne, poteſt germana juvare?
Aut quid jam miſeræ ſuperat mihi? quâ tibi lucem
Arte morer? talin' poſſum me opponere monſtro?
Jam jam linquo acies. Ne me terrete timentem
Obſcœnæ volucres: alarum verbera noſco,
Lethalémque ſonum: nec fallunt juſſa ſuperba
Magnanimi Jovis. Hæc pro virginitate reponit?
Quò vitam dedit æternam? Cur mortis adempta eſt
Conditio? poſſem tantos finire dolores
Nunc certe, & miſero fratri comes ire per umbras,
Jam mortalis ego. Haud quicquam mihi dulce meorum
Te ſine frater erit. O quæ ſatis ima dehiſcat
Terra mihi, manéſque Deam demittat ad imos!
Tantum effata, caput glauco contexit amictu

Multa

Alitis in parvæ. *Noctua intelligitur.*
Obſcœnæ volucres: *Funeſtæ, & mali ominis.*
Pro virginitate: *Quam Juturnæ rapuerat Jupiter*, v. 140.
Glauco amictu: *Ex colore aquarum, quibus præerat Nais Juturna*; v. 139. Fluvio: *Tyberi: unde in lacum ſuum, qui influit in Tyberim, facilis fuit via.*

Multa gemens, & se fluvio Dea condidit alto.
Æneas instat contrà, telúmque coruscat
Ingens arboreum, & sævo sic pectore fatur:
Quæ nunc deinde mora est? aut quid jam, Turne retractas?
Non cursu, sævis certandum est cominus armis.
Verte omnes te te in facies; & contrahe, quicquid
Sive animis, sive arte vales: optâ ardua pennis
Astra sequi, clausúmque cavâ te condere terrâ.
Ille caput quassans: non me tua fervida terrent
Dicta, ferox: Dii me terrent, & Juppiter hostis.
Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens:
Saxum antiquum, ingens, campo quod fortè jacebat
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.
Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
Ille manu raptum trepidâ torquebat in hostem
Altior insurgens, & cursu concitus heros.
Sed neque currentem se, nec cognoscit euntem,

Tol-

Æneas instat. *Redit ad narrationem, quam interruperat, interpositis dictis Junonis, Jovis, Juturnæ.* Telúmque coruscat: *Activè: Hastam, quæ magnitudine referebat integram pinum, fraxinum, aliámve arborem, quassat.*

Contrahe: *Collige.*

Vix illud lecti: *Duodecim electi, & egregii viri difficile illud collo sufferrent.*

Sed neque currentem: *Sed eventu irrito; quia ipse præ formidine nec mentis, nec virium compos.*

Nec

Tollentémve manu, saxúmque immane moventem,
Genua labant, gelidus concrevit frigore sanguis.
Tum lapis ipse viri, vacuum per inane volutus,
Nec spatium evasit, totum nec pertulit ictum,
Ac velut in somnis oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequicquam avidos extendere cursus
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus; non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox nec verba sequuntur.
Sic Turno, quacunque viam virtute petivit,
Successum Dea Dira negat. Tum pectore sensus
Vertuntur varii. Rutulos aspectat & urbem,
Cunctatúrque metu: telúmque instare tremiscit:
Nec quò se eripiat, nec qua vi tendat in hostem:
Nec currus usquam videt, aurigámque sororem;
Cunctanti telum Æneas fatale coruscat,
Sortitus fortunam oculis: & corpore toto
Eminus intorquet. Murali concita nunquam

Tor-

Nec spatium evasit: *Nec pertransiit intervallum hominis, nec servavit totam vim.*

Sortitus fortunam oculis; *Explorans oculis opportunitatem feriendi, & locum, quem fortuna destinet valneri.*

Murali concita nunquam: *Concita saxa tormento murali sunt saxa catapultis, & balistis emissa ad muros feriendos.*

 Oràs-

Tormento ſic ſaxa fremunt, nec fulmine tanti
Diſſultant crepitus. Volat atri turbinis inſtar
Exitium dirum haſta ferens: oráſque recludit
Loricæ, & clypei extremos ſeptemplicis orbes:
Per medium ſtridens tranſit femur. Incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
Conſurgunt gemitu Rutuli, totúſque remugit
Mons circùm, & vocem latè nemora alta remittunt.
Ille humilis ſupplexque, oculos dextrámque precantem
Protendens: equidem merui, nec deprecor, inquit:
Utere ſorte tua: miſeri te ſiqua parentis

Tan-

Oráſque recludit: *Extremitates loricæ, quæ femur attingunt: & extremitates imi clypei, quem tegendo capiti altiùs ſuſtulerat.*

Septemplicis: *Septem coriis aut laminis ferreis æreiſque contexti.*

Incidit ictus: *Percuſſus cecidit in terram flexo poplite.*

Conſurgunt gemitu: *Inſurgit gemitus à Rutulis ſublatus.*

Utere ſorte tuâ: *Interfice hoſtem tuum, in quem fortuna tibi poteſtatem indulſit.*

Miſeri te ſiqua: *Non eſt, quod mihi parcas cauſâ meâ; ego quidem mori meritus ſum: ſed tamen*

men

Tangere cura potest, oro, (fuit & tibi talis
Anchises genitor) Dauni miserere senectæ:
Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,
Redde meis. Vicisti, & victum tendere palmas
Ausonij vidêre: tua est Lavinia conjux.
Ulteriùs ne tende odiis. Stetit acer in armis
Æneas, volvens oculos, dextrámque repressit.
Et jam jámque magìs cunctantem flectere sermo
Cœperat: infelix humero cùm apparuit ingens
Balteus, & notis fulserunt cingula bullis
Pallantis pueri: victum quem vulnere Turnus
Straverat, atque humeris inimicum insigne gerebat,
Ille oculis postquam sævi monumenta doloris
Exuviásque hausit; furijs accensus & irâ
Terribilis: túne hinc spoliis indute meorum
Eripiâre mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat, & pœnam scelerato ex sanguine sumit.

men in gratiam patris mei, senis Dauni, miserere, memor, quàm gravis foret patri tuo, si viveret, mors filij immatura.

Balteus & notis: *Balteus, cingulum, humero laterique circumdatum, ornatum bullis, id est, clavis aureis; de quo Æn.* 9. 359. *Balteum hunc Pallanti à se occiso Turnus eripuerat Æn.* 10. v. 496. *Agnoscit eum Æneas ex pictura Danaidum, quarum facinus in ea expressum erat. Ibidem. Túmque accidit, quod à poëta prædictum est ibidem* v. 503. *Turno tempus erit, magno cùm optaverit emptum intactum Pallanta, & cùm spolia ista, diémque oderit.*

Hoc dicens, ferrum adverſo ſub pectore condit
Fervidus: aſt illi ſolvuntur frigore membra,
Vitâque cum gemitu fugit indignata ſub umbras.

Indignata: *Quòd juvenis morte immatura moreretur, quòd victus ab extero, quòd regno & ſponsâ privatus, quòd poſt ſpem veniæ conceptam &c.*

FINIS ÆNEIDOS.

EXERCI-

EXERCITATIONES
RHETORICÆ

In præcipuas

P. VIRGILII MARONIS
ORATIONES,

Quæ in Æneidum libris leguntur,

QUIBUS ADDITI TRES INDICES,

Descriptionum Alter, Alter Comparationum sive similitudinum, Tertius Dictorum memorabilium, quæ in toto Virgilio animadversione digna visa sunt.

EX ÆNEIDOS LIB. I.

ORATIO I.

JUnonis iratæ, quòd Æneas classe Italiam peteret.
Motus *Ira*, & *pudor*. Mores *Mulieris superbæ*.
Loci communes *à Comparatione minorum*, & *à Consequentibus*.

Mene incœpto) Cùm secum ipsa loquatur, nullum adhibet *Exordium*, statímque aperit id, quo maximè angebatur; vinci Deam à mortali homine, unde oritur *Ira, ex Arist. lib.* 2. *c.* 2. *tex.* 10.

Mene) Quidam Commentatores in his verbis Ironiam agnoscunt; falluntur tamen, nam ipsa Interrogatio negat, cùm affirmare videtur.

Quippe) *Objectio*, cui respondet *à Comparatione Minorum*:

Turpe est Junoni id non posse facere, quod Pallas fecit;
Sed Pallas potuit exurere classem Græcorum;
Ergo turpe est Junoni id non posse præstare in Trojanos.

Pallásne) *Assumptio*, quæ illustratur pulcherrimâ *Hypotyposi* Ajacis fulmine pereuntis ob violatam in templo Palladis Cassandram.

Ast ego) *Complexio*, ostendítque se in plurimis dignitate Palladem superare, cùm tamen unam gentem perdere non possit, illa multas perdiderit. Hinc *Pudor*, *ex Arist. l.* 2. *c.* 6. *t.* 68.

Et quisquam) *Pudoris* argumentum ex loco citato, & per *Epicherema* ita arguit *à Consequentibus*:

Cavendum est mihi, ne divinos honores in terris amittam;
Sed amittam, si nequeam Trojanos perdere;
Ergo eos quoquo modo perdere debeo.

Hîc ſteterat, nautis olim venerabile lignum,
Servati ex undis ubi figere dona ſolebant
Laurenti Divo, & votas ſuſpendere veſtes:
Sed ſtirpem Teucri nullo diſcrimine ſacrum
Suſtulerant, puro ut poſſent concurrere campo.
Hîc haſta Æneæ ſtabat: huc impetus illam
Detulerat fixam, & lenta in radice tenebat.
Incubuit, voluitque manu convellere ferrum
Dardanides; telóque ſequi, quem prendere curſu
Non poterat. Tum verò amens formidine Turnus,
Faune, precor, miſerere, inquit: túque optima ferrum
Terra tene: colui veſtros ſi ſemper honores,
Quos contrà Æneadæ bello fecêre profanos.
Dixit: opémque Dei non caſſa in vota vocavit,
Námque diu luctans, lentóque in ſtirpe moratus,
Viribus haud ullis valuit diſcludere morſus
Roboris Æneas. Dum nititur acer, & inſtat,
Rurſus in aurigæ faciem mutata Metiſci
Procurrit, fratríque enſem Dea Daunia reddit.
Quod Venus audaci Nymphæ indignata licere;

Ac-

arboris tanta eſt, ut multis confixa clavis nihil tamen lædatur.

Votas veſtes: *Voto promiſſas.*

Stirpem ſacrum: *Stirps aliàs fœm. gen. Virgilius maſc. ut infrà*, lentóque &c. 781.

Puro campo: *Vacuo, abſque impedimentis.*

Hîc haſta Æneæ &c. *Conjecta in Turnum fugientem.*

Telóque ſequi: *Haſtâ jactâ conſequi, ferire.*

Diſcludere morſus: *Tenacitatem radicis, mordicus tenentis haſtam.*

Dea Daunia: *Juturna, Turni ſoror, Dauni filia.*

Mar-

Acceſſit, telúmque alta ab radice revellit.
Olli ſublimes armis, animísque refecti,
Hic gladio fidens, hic acer & arduus haſtâ,
Aſſiſtunt contrà, certamine Martis anheli.
Junonem intereà rex omnipotentis Olympi
Alloquitur, fulvâ pugnas de nube tuentem.
Quæ jam finis erit, conjux? quid denique reſtat?
Indigetem Æneam ſcis ipſa & ſcire fateris
Deberi cælo, fatiſque ad ſidera tolli.
Quid ſtruis? aut qua ſpe gelidis in nubibus hæres?
Mortalin' decuit violari vulnere Divum?
Aut enſem (quid enim ſine te Juturna valeret?)
Ereptum reddi Turno, & vim creſcere victis?
Deſine jam tandem, precibúſque inflectere noſtris:
Nec te tantus edat tacitam dolor; & mihi curæ
Sæpè tuo dulci triſtes ex ore recurſent;
Ventum ad ſupremum eſt. Terris agitare vel undis
Trojanos potuiſti, infandum accendere bellum,

Martis anheli: *Aſſiſtunt contra ſe, in Martis certamine anheli.*

Quæ jam finis: *Virgilio nomen finis interdum eſt fœmininum. Æn. 5. 384.*

Indigetem Æneam: *Indigetes Dii, qui primò in terra* degentes, *inde in cœlum traducti fuerant. Talis præcipuè Æneas, quem Livius teſtatur, non tantùm* Indigetem *dictum fuiſſe, ſed etiam* Jovem indigetem.

Accendere bellum. *Excitatâ ex inferis furiâ, quæ fœdus Latini cum Ænea diſturbaret. Æn. 7. v. 323.*

Deformare domum, & luctu miscere hymenæos;
Ulteriùs tentare veto. Sic Juppiter orsus:
Sic Dea submisso contra Saturnia vultu:
Ista quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas,
Juppiter, & Turnum & terras invita reliqui.
Nec tu me aëriâ solam nunc sede videres
Digna indigna pati; sed flammis cincta sub ipsâ
Starem acie, traherémque inimica in prælia Teucros.
Juturnam misero, fateor, succurrere fratri
Suasi, & pro vita majora audere probavi:
Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum,
Adjuro Stygii caput implacabile fontis,
Una superstitio superis quæ reddita divis.
Et nunc cedo equidem, pugnásque exosa relinquo.
Illud te, nullâ fati quod lege tenetur,
Pro Latio obtestor, pro majestate tuorum:
Cùm jam connubiis pacem felicibus, esto,
Component; cùm jam leges & fœdera jungent:

Ne

Deformare domum: *Deformem reddere per luctum, quod minata fuerat Juno L.7.*

Una superstitio &c. *Superstitio, gravis & formidolosa religio, metus religiosus;* reddita, *data, & imposita. Compositum pro simplici. Sensus: Quæ una religio, Diis superstes, reddit eos inferis obnoxios, si Stygem jurati fallant.*

Esto, component: *Itaque sit, constituant pacem fausto conjugio. Consentit, sed invita.*

Es

Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri jubeas, Teucrósque vocari:
Aut vocem mutare viros, aut vertere vestes.
Sit Latium, sint Albani per secula reges:
Sit Romana potens Italâ virtute propago:
Occidit, occiderítque sinas cum nomine Troja.
Olli subridens hominum rerúmque repertor,
Es germana Jovis, Saturníque altera proles:
Irarum tantos volvis sub pectore fluctus?
Verùm age, & inceptum frustra submitte furorem:
Do, quod vis: & me victúsque volénsque remitto.
Sermonem Ausonij patrium morésque tenebunt;
Utque est, nomen erit: commixti corpore tantùm
Subsident Teucri: morem ritúsque sacrorum
Adjiciam; faciámque omnes uno ore Latinos.
Hinc genus, Ausonio mixtum quod sanguine surget,
Supra homines, supra ire Deos pietate videbis,
Nec gens ulla tuos æquè celebrabit honores.
Annuit his Juno, & mentem lætata retorsit.

In-

Es germana Jovis: *Tu quidem mea soror es, & Saturni filia: quid ergo irarum tantos volvis sub pectore fluctus?*

Inceptum frustrà: *Sed age; & mitiga furorem frustrà susceptum. Concedo, quod petis, ac me submitto, & sponte, & superatus tuis precibus.*

Commixti corpore: *Simul habitabunt, & inibunt conjugia.*

Tuos celebrabit honores: *Propter Templum Junonis in monte Aventino; & Junonia festa celebrata, necnon Junonis simulacrum evocatum Carthagine, & Romam advectum.*

Lætata retorsit: *Mutavit, inflecti passa est.*

Cogno-

Interea excedit cælo, nubémque reliquit.
His actis, aliud genitor secum ipse volutat;
Juturnámque parat fratris dimittere ab armis.
Dicuntur geminæ pestes, cognomine Diræ:
Quas, & tartaream Nox intempesta Megæram,
Uno eodémque tulit partu: paribúsque revinxit
Serpentum spiris, ventosásque addidit alas.
Hæ Jovis ad solium sævíque in limine regis
Apparent, acuúntque metum mortalibus ægris:
Si quando letum horrificum morbósque Deûm rex
Molitur, meritas aut bello territat urbes.
Harum unam celerem demittit ab æthere summo
Jupiter, ínque omen Juturnæ occurrere jussit.
Illa volat, celerísque ad terram turbine fertur:
Non secùs ac nervo per nubem impulsa sagitta,
Armatam sævi Parthus quam felle veneni,
Parthus sive Cydon, telum immedicabile torsit
Stridens, & celeres incognita transilit umbras:
Talis se sata nocte tulit, terrásque petivit.
Postquam acies videt Iliacas, atque agmina Turni;

Ali-

Cognomine Diræ: *Apud inferos Furiæ, in medio* Harpyæ, *in cœlo* Diræ *& Jovis canes dictæ. Innuit* Tisiphonem, *&* Alecto, *Noctis & Acherontis filias, ac tertiam*, Megæram, *pariter Nocte progenitam.* Intempesta: *Obscura, ad agendum intempestiva.*

Inque omen: *Quasi portentum, & omen fraterni fati, ut eo territa avocaretur Juturna.*

Felle veneni: *Veneno amaro: aut felle venenato.*

Parthus &c. *Parthi arte sagittandi nobiles.*

Cydon *incola urbis, quæ Cydon ipsa quoque dicta est.*

Talis se: *Filia Noctis se talis intulit, & adivit terras.*

Ali-

Alitis in parvæ subitò collecta figuram:
Quæ quondam in bustis aut culminibus desertis
Nocte sedens, serùm canit importuna per umbras:
Hanc versa in faciem, Turni se pestis ad ora
Fértque refértque sonans, clypeúmque everberat alis.
Illi membra novus solvit formidine corpor:
Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæsit.
At procul ut Diræ stridorem agnovit & alas;
Infelix crines scindit Juturna solutos
Unguibus ora soror fœdans, & pectora pugnis.
Quid nunc te tua, Turne, potest germana juvare?
Aut quid jam miseræ superat mihi? quâ tibi lucem
Arte morer? talin' possum me opponere monstro?
Jam jam linquo acies. Ne me terrete timentem
Obscœnæ volucres: alarum verbera nosco,
Lethalémque sonum: nec fallunt jussa superba
Magnanimi Jovis. Hæc pro virginitate reponit?
Quò vitam dedit æternam? Cur mortis adempta est
Conditio? possem tantos finire dolores
Nunc certe, & misero fratri comes ire per umbras,
Jam mortalis ego. Haud quicquam mihi dulce meorum
Te sine frater erit. O quæ satis ima dehiscat
Terra mihi, manésque Deam demittat ad imos!
Tantum effata, caput glauco contexit amictu

Multa

Alitis in parvæ. *Noctua intelligitur.*

Obscœnæ volucres: *Funestæ, & mali ominis.*

Pro virginitate: *Quam Juturnæ rapuerat Jupiter*, v. 140.

Glauco amictu: *Ex colore aquarum, quibus præerat Nais Juturna*; v. 139. Fluvio: *Tyberi: unde in lacum suum, qui influit in Tyberim, facilis fuit via.*

Yyy Æneas

Multa gemens, & se fluvio Dea condidit alto.
Æneas instat contrà, telúmque coruscat
Ingens arboreum, & sævo sic pectore fatur:
Quæ nunc deinde mora est? aut quid jam, Turne retractas?
Non cursu, sævis certandum est cominus armis.
Verte omnes te te in facies; & contrahe, quicquid
Sive animis, sive arte vales: optâ ardua pennis
Astra sequi, clausúmque cavâ te condere terrâ.
Ille caput quassans: non me tua fervida terrent
Dicta, ferox: Dii me terrent, & Juppiter hostis.
Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens:
Saxum antiquum, ingens, campo quòd fortè jacebat
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.
Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
Ille manu raptum trepidâ torquebat in hostem
Altior insurgens, & cursu concitus heros.
Sed neque currentem se, nec cognoscit euntem,

Tol-

Æneas instat. *Redit ad narrationem, quam interruperat, interpositis dictis Junonis, Jovis, Juturnæ.* Telúmque coruscat: *Activè: Hastam, quæ magnitudine referebat integram pinum, fraxinum, aliámve arborem, quassat.*

Contrahe: *Collige.*

Vix illud lecti: *Duodecim electi, & egregii viri difficile illud collo sufferrent.*

Sed neque currentem: *Sed eventu irrito; quia ipse præ formidine nec mentis, nec virium compos.*

Nec

Tollentémve manu, saxúmque immane moventem.
Genua labant, gelidus concrevit frigore sanguis.
Tum lapis ipse viri, vacuum per inane volutus,
Nec spatium evasit, totum nec pertulit ictum,
Ac velut in somnis oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequicquam avidos extendere cursus
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus; non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox nec verba sequuntur.
Sic Turno, quacunque viam virtute petivit,
Successum Dea Dira negat. Tum pectore sensus
Vertuntur varii. Rutulos aspectat & urbem,
Cunctatúrque metu: telúmque instare tremiscit:
Nec quò se eripiat, nec qua vi tendat in hostem:
Nec currus usquam videt, aurigámque sororem:
Cuncti inti telum Æneas fatale coruscat,
Sortitus fortunam oculis: & corpore toto
Eminus intorquet. Murali concita nunquam

Tor-

Nec spatium evasit: *Nec pertransiit intervallum hominis, nec servavit totam vim.*

Sortitus fortunam oculis: *Explorans oculis opportunitatem feriendi, & locum, quem fortuna destinet vulneri.*

Murali concita nunquam: *Concita saxa tormento murali sunt saxa catapultis, & balistis emissa ad muros feriendos.*

Tormento sic saxa fremunt, nec fulmine tanti
Dissultant crepitus. Volat atri turbinis instar
Exitium dirum hasta ferens: orásque recludit
Loricæ, & clypei extremos septemplicis orbes:
Per medium stridens transit femur. Incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
Consurgunt gemitu Rutuli, totúsque remugit
Mons circùm, & vocem latè nemora alta remittunt.
Ille humilis suppléxque, oculos dextrámque precantem
Protendens: equidem merui, nec deprecor, inquit:
Utere sorte tua: miseri te siqua parentis
Tan-

Orásque recludit: *Extremitates loricæ, quæ femur attingunt: & extremitates imi clypei, quem tegendo capiti altiùs sustulerat.*

Septemplicis: *Septem coriis aut laminis ferreis æreísque contexti.*

Incidit ictus: *Percussus cecidit in terram flexo poplite.*

Consurgunt gemitu: *Insurgit gemitus à Rutulis sublatus.*

Utere sorte tuâ: *Interfice hostem tuum, in quem fortuna tibi potestatem indulsit.*

Miseri te siqua: *Non est, quod mihi parcas causâ meâ; ego quidem mori meritus sum: sed tamen*

Tangere cura potest, oro (fuit & tibi talis
Anchises genitor) Dauni miserere senectæ:
Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,
Redde meis Victi, & victum tendere palmas
Ausonij vidêre: tua est Lavinia conjux.
Ulteriùs ne tende odiis. Stetit acer in armis
Æneas, volvens oculos, dextrámque repressit.
Et jam jámque magis cunctantem flectere sermo
Cœperat: infelix humero cùm apparuit ingens
Balteus, & notis fulserunt cingula bullis
Pallantis pueri: victum quem vulnere Turnus
Straverat, atque humeris inimicum insigne gerebat,
Ille oculis postquam sævi monumenta doloris
Exuviásque hausit: furijs accensus & irâ
Terribilis: túne hinc spolijs indute meorum
Eripiâre mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat, & pœnam scelerato ex sanguine sumit.

men in gratiam patris mei, senis Dauni, miserere, memor, quàm gravis foret patri tuo, si viveret, mors filij immatura.

Balteus & notis: *Balteus, cingulum, humero laterique circumdatum, ornatum bullis, id est, clavis aureis; de quo Æn.* 9. 359. *Balteum hunc Pallanti à se occiso Turnus eripuerat Æn.* 10. v. 496. *Agnoscit eum Æneas ex pictura Danaidum, quarum facinus in ea expressum erat. Ibidem. Túmque accidit, quod à poëta prædictum est ibidem* v. 503. *Turno tempus erit, magno cùm optaverit emptum intactum Pallanta, & cùm spolia ista, diémque oderit.*

Hoc dicens, ferrum adverso sub pectore condit
Fervidus: ast illi solvuntur frigore membra,
Vitâque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

Indignata: *Quòd juvenis morte immatura moreretur, quòd victus ab extero, quòd regno & sponsâ privatus, quòd post spem veniæ conceptam &c.*

FINIS ÆNEIDOS.

EXERCI-

EXERCITATIONES
RHETORICÆ

In præcipuas

P. VIRGILII MARONIS
ORATIONES,

Quæ in Æneidum libris leguntur,

QUIBUS ADDITI TRES INDICES,

Descriptionum Alter, Alter Comparationum sive similitudinum, Tertius Dictorum memorabilium, quæ in toto Virgilio animadversione digna visa sunt.

EX ÆNEIDOS LIB. I.

ORATIO I.

Junonis iratæ, quòd Æneas classe Italiam peteret.
Motus *Ira*, & *pùdor*. Mores *Mulieris superbæ.*
Loci communes *à Comparatione minorum*, & *à Consequentibus.*

Méne incœpto) Cùm secum ipsa loquatur, nullum adhibet *Exordium*, statímque aperit id, quo maximè angebatur: vinci Deam à mortali homine, unde oritur *Ira, ex Arist. lib.* 2. *c.* 2. *tex.* 10.

Méne) Quidam Commentatores in his verbis Ironiam agnoscunt; falluntur tamen, nam ipsa Interrogatio negat, cùm affirmare videtur.

Quippe) *Objectio*, cui respondet *á Comparatione Minorum:*

Turpe est Junoni id non posse facere, quod Pallas fecit;
Sed Pallas potuit exurere classem Græcorum;
Ergo turpe est Junoni id non posse præstare in Trojanos.

Pallásne) *Assumptio*, quæ illustratur pulcherrimâ *Hypotyposi* Ajacis fulmine pereuntis ob violatam in templo Palladis Cassandram.

Ast ego) *Complexio*, ostendítque se in plurimis dignitate Palladem superare, cùm tamen unam gentem perdere non possit, illa multas perdiderit. Hinc *Pudor, ex Arist. l.* 2. *c.* 6. *t.* 68.

Et quisquam) *Pudoris* argumentum ex loco citato, & per *Epicherema* ita arguit *à Consequentibus:*

Cavendum est mihi, ne divinos honores in terris amittam;
Sed amittam, si nequeam Trojanos perdere;
Ergo eos quoquo modo perdere debeo.

ORATIO II.

JUnonis ad Æolum, ut in Trojanorum classem ventos emitteret.

Motus *Gratia*. Mores *Supplicis*.

Loci communes *ab Adjunctis*.

Partes sunt duæ, *Exordium*, & *Contentio*.

Æole) Ut sibi in *Exordio* benevolentiam conciliet, Æoli in fluctus auctoritatem extollit, qui eos & sedare, & concitare possit.

Gens inimica) *Contentio* hoc videtur constare Argumento.

Potes, & debes hanc mihi rem gratam facere;
Ergo facies.

Quòd possit, patet ex imperio, quod illi Jupiter in fluctus dederat; quòd debeat, ostendit *ab Adjunctis*, victam enim gentem, & Junoni inimicam debebat & ipse odio habere.

Incute) *Complexio Enthymematis*, & ipsa *Petitio*.

Sunt mihi) Ut promptiùs Junoni petenti pareat, exponitur, quod inde beneficium consecuturus sit, nuptias Deiopeiæ; & illud beneficium amplificat pariter ab *Adjunctis*, quòd pulcherrima Nympharum esset, & nunquam ab illius thalamo discessura; tandem à spe futuræ prolis; *Arist. l. 2. c. 7. t. 80.* Æolus breviter respondet, se in omnibus debere Junoni obtemperare, cui quæcunque haberet, accepta omnia referebat.

ORATIO III.

ÆNeæ ad Socios post tempestatem, ne desponderent animos.

Motus *Confidentia*. Mores *Viri Constantis*.

Loci communes *ab Antecedentibus*, & à *Causis*.

O Socij

O Socij) Socios vocat ad captandam Benevolentiam, quorum ipse Dux erat; facit autem *Confidentes ab Antecedentibus* malis, hoc *Syllogismo:*

Ij non debent frangi malis, qui multò pejora tulerunt;
Sed nos mala jam passi sumus multò pejora;
Ergo his frangi non debemus.

Neque enim) *Propositio* simul, & *Assumptio, ex Arist. lib.* 2. *c.* 5. *text* 57.

Revocate) *Complexio.*

Forsan &) Dulcis enim est memoria malorum praeteritorum; ex *Arist. l.* 1. *c.* 11. *t.* 189.

Per varios) Solatur deinde oblata spe futuri in Italia Regni: argumentum est *à Causa finali*, tali pacto:

Ea mala fortiter toleranda sunt, quæ nos ad felicitatem perducunt;
Sed per hæc mala ad summas felicitates tendimus;
Ergo ea fortiter perferre debemus.

Assumptionem confirmat ex Deorum promissis, ut confidant fore, quæ pollicebatur, juxta *Arist. lib. & capacitatis, tex.* 60.

ORATIO IV.

VEneris ad Jovem pro Trojanis.

Motus *Misericordia.* Mores *fœminæ supplicis, & pro filio solicitæ.*

Loci communes *à Causis*, & *ab Exemplo.*

Tres sunt partes, *Exordium*, *Contentio*, & *Epilogus.*

O qui res) *Exorditur* à summa in cælum, terrásque Jovis potestate, quod ei maximè conciliare benevolentiam poterat.

Quid meus) Inprimis igitur à remotione Causæ, hac ratione:

Qui innocens est, non debet extrema pati:
Æneas, & Trojani innocentes sunt;
Ergo non debent extrema pati, quòd in Italiam tendant, *ex Arist. l.* 2. *c.* 8. *t.* 83.

Certè

Certè hinc) Deinde urget à promissis ipsius Jovis,
Servare debes, quod promisisti;
Sed promisisti ex Trojanorum sanguine fore Romanos rerum Dominos:
Ergo id debes & nunc tueri.

In utroque Argumento illustratur *Assumptio cum complexione.*

Hoc equidem) *Misericordiam* movet, quòd eo etiam tempore Trojani perpetuis malis premantur, cùm eos respirare oportebat, *Arist.* loco citato, *tex.* 89.

Antenor) Tandem *exemplo* utitur Antenoris, quod mirè amplificat per αὔξησιν: evasit enim Græcos, evasit itineris pericula, extruxit urbem, & pace fruitur.

Nos tua) Alterum *Comparationis* membrum; nam miserabile erat, Æneam Deæ filium, & cælo destinatum ob unius Junonis iram non posse eò pervenire, quò pervenerat Antenor.

Hic pietatis) Epilogus, quo duo repetit, & se filiam esse Jovis, & promissam è Jove Italiam Trojanis; utrumque autem maximè valebat, ne fineret Jupiter Æneam cum socijs ad extrema perduci.

ORATIO V.

Ilionei ad Didonem, ut in Punico littore suas reficere naves tutò possent Trojani.

Motus *Misericordia.* Mores *Viri gravis.*

Loci communes *à Causis*, & *ab Effectis.*

Quatuor sunt partes, *Exordium*, *Narratio*, *Contentio*, *& Conclusio.*

O Regina) In *Exordio* laudat quidem Didonis felicitatem & æquitatem ad captandam *benevolentiam*, sed maximè *Misericordiam* movet, tum ex parte ipsius Re-

Reginæ, cui novam urbem & superbas gentes regenti similia accidere poterunt; ex *Arist. l. 2. c. 8. t. 84.* tum ex parte Trojanorum, quos miseros, pios, & innocentes exhibet, *loco citato. t. 92.*

Est locus) *Narratio*, & exponit eleganter non modò quò tenderent, sed etiam qua sorte ad Africæ littora pervenerint.

Quod genus) In *Contentione* petit, ne sibi, suisque vis inferatur; tali usus argumento *ab honesto*:

Non debetis quempiam prohibere hospitio littoris, & arenæ;

Sed nos nihil aliud petimus, quàm in littore posse tutò consistere;

Ergo id negare nobis non debetis.

Si genus) *Propositionem*, quam suprà amplificavit ex ipsa rei atrocitate, confirmat hîc à timore divinæ ultionis.

Rex erat) Deinde sic arguit à suimet Regis virtutibus:

Regem justitiâ, & armis insignem injuriâ afficere non debes.

Talis est Rex noster Æneas:

Ergo eum injuriâ afficere non debes, nosmet violando.

Quò justior) *Assumptio.*

Non metus) *Propositionem* probat *ab Effectis*, si enim vixerit, vim vi repellet, aut beneficium majori gratiâ rependet,

Sunt & Siculis) *Prolepsis*: qua occurrit tacitæ objectioni; etiamsi jam perierit Æneas, fore tamen compensandum beneficium à Trojano Aceste, qui regnabat in Sicilia.

Quassatam) *Conclusio*, ut liceat Trojanis suam reparare classem, & vel Italiam vivo Ænea, vel Siciliam petere, eo jam mortuo,

ORA-

ORATIO VI.

QUa Dido respondet Ilioneo, & Trojanis,
Motus *Amor*. Mores *humanissimi Principis*.
Loci communes *à Causis*.

Solvite) Afflictos Trojanorum animos benigno responso statim erigit , & bene sperare jubet ; deinde purgat objecta *à Causis*.

In urbe nova , & quæ multos habet inimicos, vigilantiâ , & custodiâ opus est ;
Talis est Carthago ;
Ergo vigilantiâ, & præsidiis eam tueri debeo,

Quis genus) *Benevolentiam* sibi Trojanorum conciliat duplici , eáque diversa ratione , tum cùm laudat ipsos Trojanos , tum etiam cùm suos Pœnos moderatos , & humanos facit ; ex *Arist. l.* 2. *c.* 4. *t.* 25. & 29.

Seu vos) Universa , quæ postulaverant , benignè concedit , & pollicetur ; præterea suam quoque Urbem ipsis offert, de Ænea alioquin solicita.

ORATIO VII.

ÆNeæ ad Didonem in gratiarum actionem.
Motus *Amor*, & *Gratia*. Mores *Viri grati*.
Loci communes *ab Adjunctis*.

Coram) Sic nempe exordiri solent , qui sollicitè quæsiti à suis, improvisò superveniunt.

O sola) Ad augendam in se *benevolentiam* Didonis, amplificat beneficium , *ab Adjunctis ; ex Arist. lib.* 2. *c.* 4. *t* 29.

Illud est maximum beneficium , cùm quis solus maximè egenis dat id, quo majus nihil dari potest ;
Tu sola nobis omnium egentibus das id, quo nihil dari majus potest ;

Ergo

Ergo maximum tuum eſt beneficium.

Propoſitionem habet *Ariſt. l. 2. c. 7. t. 80.* & *Aſſumptio* egregiè amplificatur.

Non opis eſt) Exaggerat rursùs beneficium à rependendæ gratiæ difficultate, Deósque, illud ut compenſent, precatur.

Quæ te) Convertit orationem ad ipſius Didonis laudes, séque gratum fore ſemper, & ubique pollicetur.

Quæ me cùmque vocant terræ) Hoc eſt, ad quascúmque terras vocant me fata.

ORATIO VIII.

QUa Dido Æneæ reſpondet, eúmque laudat.

Motus *Miſericordia.* Mores *Sapientis Matronæ.*

Loci communes *à Cauſis*, & *ab Adjunctis.*

Partes ſunt tres. *Exordium, Contentio, & Concluſio.*

Quis te) *In exordio* benevolum ſibi facit Æneam, cujus calamitates, & ſortem dolet.

Tunc ille) Æneam laudat duplici ex capite, ex nobilitate Parentum, & Patriæ *juxta Ariſt. l. 1. c. 5. t. 54.* Prima igitur laus ducitur *à Cauſis*, tali ratione:

Ille nobilis, quem Dea genuit Viro clariſſimo:
Te Venus genuit Anchiſæ;
Ergo es nobiliſſimus.

Altera laus reſpectu Patriæ, argumento *ab Adjunctis* continetur:

Illi ſunt nobiles, quos hoſtes etiam laudant;
Sed Teucer hoſtis Trojanorum Trojanos laudabat;
Ergo Trojani maximè nobiles.

Atque equidem) Exponit qua occaſione Teucer Salaminius Sidonem venerit, ut rem probabilem faciat.

Ipſe hoſtis) *Aſſumptio.*

Quare agite) *Concluſio*, qua in regiam domum Trojanos invitat, & rationem aſſignat, cur eorum miſereatur; *Ariſt. l. 2. c. 8. t. 86.*

ORA-

ORATIO IX.

Veneris ad Cupidinem, ut in gratiam Trojanorum Ascanii formam indueret.

Motus *Gratia*. Mores *Matris de filio solicitæ.*

Loci communes nulli sunt.

Partes tres; *Exordium, Narratio, & petitio auxilii.*

Nate) Conciliat in *Exordio* sibi Cupidinem laudans illius potentiam, & genus, quippe Jovis filium, séque illi suppliciter commendans.

Frater ut) Narrat; quantis Æneam periculis odium Junonis objecerit: esse nunc in Didonis, Pœnorúmque potestate, quibus sanctissimum foret Junonis Numen, & nullam aliam esse evadendi viam; nisi Dido amore Æneæ accendatur.

Quà facere.) Petit igitur, ut ipse Cupido assumat formam Ascanii, & inter amplexus ignem, & venenum Reginæ inspiret.

EX ÆNEIDOS LIB. II.

ORATIO X.

Qua Sinon Priamo, & Trojanis falsa multa enarrat de semetipso, Græcorum discessu, & Equo Palladio.

Motus *Misericordia*. Mores *Viri callidi, & dolosi.*

Loci communes *à Causis.*

Cuncta equidem) Tota hæc oratio dolos Sinonis continet, & artificiosa quædam narratio est; *exorditur* tamen professus se vera dicere, unde sibi benevolos, docilésque Trojanos faciat; *Arist.* l. 3. c. 14. t. 104.

Fan-

Fando aliquid) Primò exponit, qua de causa odio ipse fuerit Græcis, & maximè Ulyssi, quòd nimirum socius, & consanguineus esset Palamedis; hinc movet *Misericordiam*; quippe indignus eâ fortunâ. *Arist. lib.* 2. *c.* 8. *t.* 92.

Sed quid ego) Interruptio admodùm artificiosa, ut se innuat infelicissimum, dètque occasionem Trojanis sciscitandi, quæ ipse enarrare maximè optabat, & eo ipso mortem deprecatur, quòd ea jucunda futura esset Græcis; ex *Arist. lib.* 1. *cap.* 6. *t.* 78.

Sæpe fugam) Interrogatus prosequitur *narrationem* & falsam causam affert, cur Græci ex agro Trojano discesserint, séque dolo Ulyssis hostiam Palladi ex oraculo Phœbi devoverint.

Jámque dies) Qua ratione mortem evaserit, expo-nit, & quanta inde timeat; tandem ad clementiam Priami confugit; omnia ad *Misericordiam* valent; ex *Arist. loco suprà citato.*

Vos æterni) Postquam à Priamo vitam, & libertatem consecutus est, pergit referre, cur Græci Equum illum extruxerint; & imprimis ad avertendam proditionis notam, se ita à *Causis* excusat per duplicem Apostrophen & ad Deos, & ad Trojam:

Amici iis, qui benè: inimici iis, qui malè de nobis merentur, esse debemus?

Sed Græci mortem mihi intentârunt, Trojani vitam dedêre;

Ergo iis inimicus, his benevolus esse debeo.

Omnis spes : Ex ipso Poëta omnia patent, quæcunque de Equo illo Palladio Sinon dolosè effingit.

ORATIO XI.

PRiami in Pyrrhum, qui Politem ante ora Patris occiderat.

Motus *Verecundiæ*. Mores *dolentis patris*.

Loci communes *ab Adjunctis, & à Dissimili*.

At tibi). Proponit atrocitatem facinoris, quod Pyrrhus admiserat, Deósque ominatur ultores sceleris.

Qui nati) Amplificatione utitur *ab Adjunctis*, hoc modo:

Immanissimum est, filium ante ora patris necare;
Tu filium meum coram me interfecisti;
Ergo rem admisisti immanissimam.

At non ille). *A Dissimili* exemplo Achillis patris idem confirmat, qui supplici Priamo corpus Hectoris libens restituerat; ad *Verecundiam* excitandam hoc affertur, ex *Arist. l.* 2. *c.* 6. *t.* 66,

ORATIO XII.

VEneris ad Æneam, ne in Patriæ excidio frustrà & ipse periret.

Motus *Lenitas & Confidentia*. Mores *Solicitæ matris*.

Loci communes à *Causis*.

Partes sunt tres, *Exordium, Contentio*, & *Conclusio*.

Nate quis) *In Exordio* Aeneam increpat, quòd ira, & furore percitus suorum oblitus fuisset, qui in extremo vitæ discrimine constituti erant.

Non tibi) Aeneæ iram lenire videtur à *Causis juxta Arist. l.* 2. *c.* 3. *t.* 15. tali pacto:

Non Helena, sed dii Trojam evertunt;
Ergo non Helenæ irasci, sed Deorum voluntati debes acquiescere,

Antecedens probat per figuram *hypotyposin*, notátque quasi digito Neptunum, Junonem, Palladem, & Jovem Trojæ eversores.

Eripe nate) Fugam suadet, novámque Patriam pollicetur, ut *Confidentem* faciat, ex *Arist. l.* 2. *c.* 5. *t.* 60.

ORA-

ORATO XIII.

ANchisæ ad Æneam post eversam patriam vivere recusantis.

Motus *Misericordia*. Mores *Senis omnia desperantis*.

Loci communes *à dissimili*, *à causis*, *ab Antecedentibus*.

Vos ô) Arguit à *dissimili* sibi fugere turpe esse Patriâ excisâ :

Post Patriæ excidium Juvenes fuga decet;
Sed ego jam ad extremam senectam perveni;
Ergo me dedecet fuga, Patriâ eversâ.

Assumptionem omittit, & solam *Propositionem* attingit.

Me si) *à Causis* idem contendit, tali ratione;
Dii, si me incolumem esse voluissent, Patriam servâssent;
Sed Patriam non servârunt;
Ergo neque me incolumem esse voluerunt.

Satis una) *Complexio* utriusque argumenti.

Sic ô) Hortatur, ut se jam moriturum alloquantur, movétque *Misericordiam*, dum sibi locô beneficii futuram mortem affirmat, & facilem, hoc est tolerabilem jacturam sepulchri; *Arist. l.* 2. *c.* 8. *t.* 83.

Jampridem) Ultimò sic pariter *à Causis* ratiocinatur;
Invisus Diis indignus est vitâ;
Sed ego Diis jamprid em invisus sum;
Ergo vitâ indignus.

Ex quo me) *Assumptionem* probat *ab Antecedentibus*; cùm enim gloriaretur, se cum Venere rem habuisse, eum Jupiter fulmine contigerat, unde colligit, ex eo tempore se odio fuisse Superis.

ORATIO XIV.

Æneæ ad patrem vivere fine Anchiſe recuſantis.
Motus *Timor.* Mores *Viri pii, & intrepidi.*

Mene) Affirmat, ſe, & reliquos omnes perituros, ſi Pater Anchiſes pereat; Pyrrhum memorat, qui Politen ante ora Priami, Priamum ante aras necaverat, quaſi eadem mox patraturum; Matrem accuſat, quòd his cruciatibus filium reſervaſſet; & iterum arma petit mortis cupidus; at non ſine gloria, & vindicta; *Ariſt. l.* 2. *c.* 5. *t.* 41. 48. 50.

ORATIO XV.

Creuſæ ad Æneam, ut jacturam conjugis ſpe futurorum bonorum ſolaretur.

Motus *Benevolentiæ.* Mores *amantis uxoris.*

Loci communes *à Cauſis, & ab Effectis.*

Quid tantum) Solatur igitur Æneam ſic primùm à *Cauſis.*

Æquo animo ferre debemus, quæ divina voluntate nobis accidunt;
Sed Deorum voluntate conjugem amiſiſti;
Ergo illius jacturam æquo animo perferre debes.

Longa tibi) Deinde tali ratione *ab Effectis.*

Id conſtanter ferendum eſt, unde multa nobis bona proveniunt;
Sed ex his malis multa tibi bona tandem evenient;
Ergo hæc tibi conſtanter perferenda ſunt.

Hinc *Amorem* ſuum in Virum Æneam patefacit, *ex Ariſt. l.* 2 *c.* 4. *t.* 22.

Non ego) Magno ſolatio erat Æneæ id certò ſcire, non eſſe Creuſam dilectam uxorem in hoſtium poteſtate; quod illi proinde non occultat, ſimúlque communem prolem Aſcanium commendat.

EX ÆNEIDOS LIB. III.

ORATIO XVI.

ANchisæ ad Socios, ut Cretam classe peterent, malè interpretantis Apollinis Oraculum.

Motus *Confidentia*. Mores *Viri Prudentis*.

Loci communes *ab Adjunctis*.

Partes tres sunt, *Exordium*, *Contentio*, & *Conclusio*.

Audite) *In Exordio* facit *attentos*, quippe de bonis ad ipsos auditores spectantibus locuturus; *ex Arist. l.* 3. *c.* 14. *t.* 104.

Creta Jovis) Cùm Trojanis redditum fuisset ab Apolline Oraculum, eam ipsis terram petendam esse, unde illorum Majores ortum duxissent; Anchises Cretam Insulam designari contendit tali argumento, quod videtur esse *ab Adjunctis*:

Ex Creta Teucer venit, auctor gentis nostræ, nomen præterea montis Idæ, & sacra Cybeles inde transtulit;

Ergo ea nobis Patria ab Oraculo designatur.

Ergo agite) *Concludit*, promptè parendum esse Deorum voluntati præmissis sacrificiis, cùm maximè non longè Insula distaret; hinc *Confidentia* oritur, *ex Arist. l.* 2. *c.* 5. *t.* 56. & 60.

ORATIO XVII.

QUa Dij Penates oblati in somnijs Æneam admonent de Anchisæ Patris errore.

Motus *Confidentia*. Mores *gravissimi Viri admonentis*.

Loci communes *ab Effectis*, & *à Causis*.

Tres pariter sunt partes, *Exordium*, *Contentio*, & *Conclusio*.

 Quod

Quod tibi) *Docilem*, & *attentum* faciunt Æneam, docentes, à quo, & cujus rei gratiâ Legati venerint; *l. 3. c. 14. t. 104.*

Nos te) Alacriter perferre jubent longi itineris labores spe bonorum, quæ ipse, & posteri consecuturi erant, hoc pacto.

Alacriter perferenda mala, ex quibus multa nobis bona proveniunt;
Sed multa tibi, tuísque bona inde pollicemur;
Ergo hæc alacriter perferas.

Assumptionem exponunt, & quò majorem fidem obtineant, se quoque laborum, periculorúmque participes memorant; *l. 2. c. 5. t. 60.*

Tu mœnia) In iis verbis latet aliud argumentum *à Causis.*

Magnos magna decent;
Sed tui Nepotes magni futuri sunt;
Ergo eos magna Urbs decet, non hæc parva, quam ædificas.

Mutandæ sedes) Narrant, quomodo. & qua de causa oraculum Apollinis interpretandum sit de Italia, non autem de Creta.

Surge age) *Concludunt*, hortantes nuntiare hæc Patri Anchisæ, & juxta Jovis decretum Italiam petere.

ORATIO XVIII.

Celenûs Harpyiæ in Trojanos, qui sibi, suísque armentis vim intulerant.

Motus *Ira*. Mores *læsæ mulieris*.

Loci communes à *Causis.*

Bellum etiam) Increpat Trojanos, quasi bellum inferrent Harpyis, eoquòd earum armenta violâssent; argumentum est à *Causis.*

Im-

Impium est, vos arma nobis inferre pro ablatis armentis;

Sed hoc agitis;

Ergo rem maximè iniquam admittitis.

Argumenti vis in eo consistit, quòd Trojani arma in Harpyias tulerant, ut defenderent dapes, quas sibi ex ablatis armentis paraverant; *hinc ira*, *l.* 2. *c.* 2. *t.* 11.

Accipite ergo) Quasi in ultionem prædicit, non priùs aditum in Italiæ portus Trojanos habituros, quàm mensas ipsas edere ob nimiam famem cogantur, in pœnam cæsi armenti.

ORATIO XIX.

Andromachæ ad Æneam, suósmet casus lugentis. Motus *Misericordia.* Mores *Castæ & prudentis Matronæ.*

Loci communes *à Comparatione minorum.*

Tria facit, servitium deplorat, narrat suas cum Heleno nuptias, & Æneam interrogat.

O felix) Per Comparationem Polyxenæ ita suósmet casus lamentatur:

Mea sors multò acerbior, quàm Polyxenæ;

Sed & illa miserè periit;

Ergo mea sors acerbissima; *lib.* 2. *c.* 8. *t.* 84. & 89.

O felix) *Assumptio & Propositio* etiam attingitur.

Quæ sortitus) *Propositionis* approbatio; nam Polyxena neque sortem, neque captivitatem passa est; ego sortita dominum Pyrrhum, eidem filium enixa sum, qui Molossus dictus est.

Qui deinde) Narrat, quare Pyrrhus Andromacham dederit Conjugem Heleno, quomodo ille perierit, & quæ regnum adepti innovaverint.

Sed tibi) Tertiò multa petit, causam adventûs, de Ascanio, an vivat, an recordetur Creusæ matris, & quos spiritus gerat.

ORATIO XX.

HEleni ad Æneam vaticinantis de ipsius adventu in Italiam.

Motus *Spes*, & *Timor*. Mores *Viri Sapientis*.

Loci communes *à Causis*, & *ab Enumeratione*.

Tres sunt partes, *Exordium*, *Narratio*, & *Conclusio*.

Nate Dea) *In Exordio* sibi *attentionem* parat, pollicitus, se ea dicturum, quæ maximè Æneam juvent; *l.* 3. *c.* 14. *t.* 104. Deinde *Confidentiam* excitat, Deorum voluntatem attingens. *l.* 2. *c.* 5. *t.* 60.

Principio Italiam) Exponit, quàm varii & multi futuri sint Æneæ errores, priusquam in Italiam perveniat; addítque signum suis albæ.

Has autem terras) Hortatur, ne in eam Italiæ partem descendat, quæ Græciæ proxima, magna deinde Græcia dicta est; sic *à Causis*.

Trojani vitare debent loca polluta.

Sed eæ urbes omnes vitiis Græcorum pollutæ sunt;

Ergo eas Vos Trojani vitare debetis.

Assumptionem probat ab ipsarum Urbium *enumeratione*.

Quin ubi) Admonet, quibus ceremoniis ipse, & illius Posteri sacrificare debeant, velato nimirùm capite.

Ast ubi) suadet tutius esse circumnavigare Insulam, & longius iter tenere, quàm compendio, & per fretum Scyllam inter, & Charybdim transitum admodùm periculosum tentare; *l.* 2. *c.* 5. *t.* 52.

Prætereà) Placandam esse ait Junonem in Sicilia, adeundam Sybillam Cumæam, docétque, quomodo sibi Oraculum referri petat; non foliis scilicet, ut solebat; sed voce.

Hæc sunt) Tandem concludit Narrationem suam excusans per *Occupationem*, cur cætera non edisserat, & Æneam inflammat ad gloriam.

ORA-

ORATIO XXI.

QUa Æneas ex Epiro discedens Helenum, & Andromacham alloquitur.

Motus *Gratia*. Mores *Viri amici*, & *grati*.

Loci communes *à Comparatione minorum*, *ab Adjunctis*, & *à Causis*.

Vivite) Hospitum felicitatem prædicat per suæmet miseræ sortis *Comparationem*.

Nobis multum erroris, atque itineris adhuc superest;

Ergo vos felices, qui fata vestra jam explevistis.

Effigiem Xanthi) idem arguit *ab Adjunctis*, tali ratione;

Felix est, qui sibi suam Patriam reparare potest;

Vos novam Trojam, novúmque Xanthum vobis fecistis;

Ergo planè felices estis.

Quibus præterea læta, & meliora ominatur. *l. 2. c. 7 t. 80.*

Si quando) Memorem se futurum accepti beneficij profitetur, ubi in Italia constiterit, simúlque Romanorum potentiam designat. Rei convenientiam probat argumento ducto *à Causa efficiente*.

Una gens debent esse ij, quibus est idem auctor, & parens;

Sed Epiro, & Italiæ idem erit auctor, & parens Dardanus;

Ergo meritò una, & eadem gens erimus. *Arist. loc. cit.*

ORATIO XXII.

A Achæmenidis cujusdam ex socijs Ulyssis ad Trojanos, ut salvus fieret.

Motus *Misericordia* Mores *Viri supplicis,& miseri.*

Per sidera) Ut ad *Misericordiam* Trojanos flectat, tam miseram, & acerbam suam ait esse sortem, ut in quascunque potiùs terras abduci velit, quàm in ea regione morari, imò & mortem pati, si hanc pœnam in ipsum, quippe hominem Græcum Trojani statuerint; *Arist. l. 2. c. 8. t. 89.*

ORATIO XXIII.

Achæmenidis ejusdem, immanitatem Polyphemi, & Cyclopum referentis.

Motus *Timor*, *& Misericordia* Mores *Viri miseri.*

Tria facit, suam narrat historiam, immanitatem Polyphemi describit, & ad fugam Trojanos hortatur.

Sum patriâ) Se socium Ulyssis fatetur, excusat suscepta in Trojanos arma ob paupertatem, cúmque iniquiore se nunc fortuna uti dicit, quàm cùm pauper vivebat, *Misericordiam* movet, ex *Arist. l. 2. cap. 8. tex. 89.* tandem refert, quomodo immemores socii eum in antro Cyclopum deseruerint.

Domus sanie) Secundò Polyphemi describit immanitatem elegantissimè per figuram *hypotyposin*, quàmque de eo ultionem sumpserit Ulysses.

Sed fugite) In tertia parte hortatur Trojanos ad fugam, & recenset, quàm ipse infelicem vitam egerit per tres menses timore polyphemi, & Cyclopum; *Arist. l. 2. c. 5. t. 52.*

Satis est) Concludit id repetens, quod in superiore Oratione dixerat.

EX

EX ÆNEIDOS LIB. IV.

ORATIO XXIV.

QUa Dido Sorori Annæ novum suum in Æneam amorem patefacit.

Motus Amor. Mores *mulieris pudicæ*, & *amantis.*
Loci communes *ab Effectis*, & *à Contrariis.*

Tres sunt partes, *Exordium, Narratio*, & *Conclusio.*

Anna soror) In *exordio* se turbatam fatetur, adeóque auxilii indigentem; laudat Æneam, ut illi *Amorem* etiam Sororis conciliet, *idque juxta Arist. l.* 2. *c.* 4. *tex*, 25.

Credo equidem) Quod Æneæ maximæ laudi erat, divinam ejus originem memorat, probátque *ab Effectis:*

Viri fortes à Diis habent originem;
Sed Æneas in tot bellis, ac periculis se fortiter semper gessit;
Ergo revera à Diis habet originem.

Degeneres) *Propositionis* approbatio *à Contrariis.*
Heu quibus) *Assumptio.*

Si mihi) *Narrat*, & ingenuè fatetur Sorori, se amore captam Æneæ, & illud unum obstare, ne amori succumbat, quòd post Sichæi mortem statuisset nullo unquam tempore ad secundas nuptias transire.

Sed mihi) *Conclusio*, qua multa sibi imprecatur ad animi constantiam ostentandam, si pudorem violet, fidémque Sichæo conjugi datam.

ORA-

ORATIO XXV.

QUa Didoni perſuadet Anna ſoror, ut Æneæ ſe in matrimonium collocet.

Motus *Timor*. Mores *amicæ mulieris*, & *cautæ*.

Loci communes *ab Effectis*, *a Diſſimili*, & *à Cauſis*.

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Concluſionem*.

O luce) *Exordium* breve eſt, & elegantem habet *Benevolentiæ* ſignificationem.

Soldne) Hortatur igitur, ut ſe dedat Æneæ, argumento *ab Effectis*, quod tamen genericè tantùm concludit:

Dulce eſt & liberos alere, & indulgere Veneri,
Sed neutrum habere potes ſine conjugio;
Ergo illud reſpuere non debes,

Id cinerem) Sed quia duo objicere poterat, fidem Sichæo datam, & negatas tot alijs Principibus nuptias; hîc primo ex objectis reſpondet negans, id eſſe curæ mortuis.

Eſto) Alterum illud ſolvit argumento *à Diſſimili*, tali ratione:

Multos & Tyri, & in Lybia abnuiſti maritos, quòd eos non amares;
Hunc tu amas;
Ergo æquè eum recuſare virum non debes.

Placidóne) *Aſſumptio*.

Nec venit) Iterum conjugium ſuadet *à Cauſis*.

Qui multos timet, multa ſibi parare debet præſidia;
Tu multos times;
Ergo tibi parare debes conjugis præſidium, quod firmiſſimum omnium eſt.

Aſſumptionem amplificat *ab enumeratione* eorum omnium, quorum Dido timere poterat inſidias; *Ariſt. l. 2 c. 5. t. 41.*

Dijs

Diis equidem) A consecuturis bonis idem contendit, & argumentum est *ab Effectis*.

Ex hoc conjugio maxima tibi, tuóque regno gloria continget.

Ergo illud respuere non debes.

Tu modò) *Conclusio*, qua persuadet Didoni, sacris ritè peractis ad inspiciendam Deorum voluntatem, varias deinde moræ causas prætendere; ut intereà ipse quóque Æneas ad hoc optandum conjugium pertrahatur.

ORATIO XXVI.

QUa Juno, & Venus colloquuntur inter se de conjugio Didonis, & Æneæ.

Motus *Indignatio*, Mores *æmulantium mulierum*,

Loci communes nulli sunt.

Egregiam verò) Irridet cum maxima *indignatione* Juno Veneris conatus, quòd cum filio Cupidine ad unius fœminæ victoriam aspiraret; ex *Arist. l.* 2. *c.* 9. *t.* 93. Innuit deinde intelligere se, quid Venus suspicata fuerit, addítque consilium de jungendis per connubium populis, quod facile ostendit ob amorem Didonis, & gloriosum Trojanis futurum.

Quis talia) Respondet dolosè Venus, se oblatam conditionem accipere, modò id Jupiter, & fata sinant.

Mecum erit) Juno tandem subdit, hoc sibi curæ futurum, aperítque, qua ratione conjugium illud firmari velit.

ORATIO XXVII.

JArbæ Regis ad Jovem, irati ob dedecus sibi à Didone illatum.

Motus *Indignatio*. Mores *Viri injustè læsi*.

Loci communes *ab Effectis, & ob Adjunctis*.

Duæ sunt partes, *Exordium, & contentio*.

Jupi-

Jupiter) *Exordium*, quo exprobrat Jovi suam, suæque gentis religionem, cui tamen ipse minimè favebat; seu potiùs nullum hic est *Exordium*, & hoc etiam spectat ad subsequens argumentum.

Aspicis hæc) Impiè contendit nullum esse Jovis numen, quod cœlum, terrámque regat, & sic arguit *ab Effectis.*

Si quod esset Jovis numen, humana justè regeret;
Sed mala benè meritis, bona malè merentibus dantur;
Ergo nullum est Jovis numen, & cæt.

Jupiter) spectat ad primam partem *Assumptionis.*

Aspicis hæc) *Complexio*, Impiúmque dictum dubitatione lenitur.

Fœmina) Alteram *Assumptionis* partem ita probat *ab Adjunctis.*

Ingrata, & vilis fœmina Dido est, semivir Æneas;
Sed hi felices vivunt, & optato, mihíque negato Conjugio potiuntur;
Ergo malè merentibus bona dantur, benemeritis denegata.

Illa omnia va ent ad *Indignationem*, qui locus expressè habetur apud *Arist. l.* 2. *cap.* 9. *text.* 100.

Nos munera) Repetere videtur primam partem Assumptionis.

ORATIO XXVIII.

JOvis ad Mercurium, ut suo nomine discessum ex Africa Æneæ indiceret.

Motus *Pudor*, & *Timor*. Mores *sapientis Principis*.
Loci communes à *Repugnantibus*, & à *Causis*.

Vade age) Ire Mercurium jubet in Africam Legatum ad Æneam, suáque illi mandata perferre.

Non illum) Increpat mollem, quam in Africa degebat, vitam, argumento usus *a Repugnantibus*:

Multa

Multa mihi de Ænea præclara promisit Venus;
Ergo non debet illicitis amoribus operam dare.
Italiam enim, & Romanum Imperium pollicebatur, qua spe bis ait à Venere servatum Æneam, semel cum Diomede, iterùm cum Achille pugnantem: hic locus valet ad *Verecundiam ex Arist. l. 2. c. 6. t. 65.*

Si nulla) Secundò arguit à *Causis conglobatis*, hortaturque, ut quamprimùm ex Africa solvat, oblata spe maximæ gloriæ, & imperii, Regiæ conjugis, terræque Italiæ, & ne quid periculi subeat Carthagine, cùm ea urbs sub Junonis inimicissimæ Deæ tutela foret; *ex Arist. l. 2. c. 5. t. 44.*

ORATIO XXIX.

Didonis ad Æneam, ne se desertâ velit ex Africa discedere.

Motus *Misericordia.* Mores *Supplicis Mulieris.*

Loci communes *a Causis, & ab Adjunctis, a Comparatione, & ab Effectis.*

Dissimulare) Nullo utitur *Exordio*, quippe irata, & amoris furore percita, statimque objicit fugam, & perfidiam.

Nec te) Repentinum igitur hunc discessum multis rationibus deprecatur, & imprimis quidem à *Causis*, tali pacto:

> Nec amorem, & fidem datam violare, nec mortem Didonis pati debes;
> Sed hæc omnia erunt, si hinc discedas;
> Ergo hinc discedere non debes. *Arist. l. 2. c. 8. t. 89*

Quin etiam) Secundò sic *ab Adjunctis.*

> Stultum est hyberno tempore vela dare;
> Nunc hybernum est tempus;
> Ergo ne discedas, justam causam habes.

Quid

Quid si non) Confirmat idem argumentum *à Comparatione majorum.*

Si Trojam peteres, hinc enavigare non deberes, hoc tempore;

Ergo multò minùs, cùm tibi sit iter ad terras ignotas.

Mene fugis) Vehementi utitur *Deprecatione*, & ea omnia commemorat, quæ commovere Æneam, & flectere utrumque poterant.

Te propter) Enumerat incommoda, quæ vel jam passa erat propter Æneam, vel pati oportebat, ubi ille discessisset, ad excitandam *Misericordiam, ex Arist. loco citato text. 92.* Argumentum sic se habet *ab Effectis.*

Pati non debes, me à Getulis & Tyriis in ultimum discrimen adduci;

Sed ab iis mihi certissima imminent pericula, si tu me deseris;

Ergo deserere non debes.

Te propter) *Propositionis* approbatio *à Causis*, quòd ipse Æneas illius odii causa sit,

Quid moror) *Assumptio*; innuitque simul sibi in animo esse hostiles impetus voluntaria morte prævenire.

Saltem si qua) suum habendæ ex Ænea prolis desiderium aperit, ut saltem per aliquod tempus secum maneat, quo illius voti compos fieret.

ORATIO XXX.

QUa conatur Æneas justam sui discessûs causam probare Didoni.

Motus *Lenitas*. Mores *Viri Prudentis.*

Loci communes *à Causis*, & *à Comparatione.*

Tres sunt partes, *Exordium, contentio & Peroratio.*

Ego te) Ad conciliandam *Benevolentiam* Didonis affirmat, se nunquam immemorem futurum beneficiorum,

rum, quæ acceperat Carthagine: & sic statim in *Exordio* diluit sibi objectum crimen ingrati.

Pro re) Negat pariter, quod exprobraverat Dido, & tacitam fugam se cogitâsse, & quæsivisse Reginæ conjugium.

Me si fata) *A Causis* defendit suum ex Africa discessum, ut necessarium:

Non possum non ire, quò me Dij, & fata vocant;
Sed vocant in Italiam;
Ergo non possum illuc non ire.

Me si fata) *Assumptionis* approbatio; nisi enim fata me in Italiam ire cogerent, spontè meâ potiùs Trojam rursùs ædificarem.

Si te Carthaginis) Se verò minimè reprehendendum esse probat, quòd in Italiam tendat, sic *à Pari*.

Æquè tibi ignota erat Africa, ac mihi Italia:
Sed tu Phœnissa in Africa Urbem struere voluisti;
Ergo & ego Trojanus possum in Italia urbem ædificare.

Me Patris) Tres iterum *Causas* affert sui discessûs, objectam sibi sæpè noctu admonentis, & terrentis patris imaginem, memoriam Ascanij, & jussa Jovis sibi per Mercurium delata.

Desine) *Peroratio*, qua conatur iratam lenire eo maximè nomine, quòd non spontè suâ id agat, sed cogentibus Dijs; unde *lenitas* oritur, *ex Arist. l. 2. cap. 3. tex. 15.*

ORATIO XXXI.

Didonis iratæ in Æneam.
Motus *Ira.* Mores *furentis amore mulieris.*
Loci communes *ab Effectis.*

Aaaa Nea

Nec tibi) *Propositio* universalis, qua furens Dido immanitatem Æneæ insectatur, negans in eo humani quidquam inesse, probátque *ab Effectis*.

Qui siccis oculis fletum amantis, precésque negligit, inhumanus est;
Hoc fecit mecum Æneas;
Ergo nihil habet humani. *Arist. l.* 2. *c.* 2. *t.* 12.

Nam quid) *Assumptio*: concludítque argumentum Deos ipsos incusans, qui contra jus, & æquum his immanissimis hominibus præstò essent.

Nusquam tuta) Altera *propositio*, qua infidum, & ingratum Æneam nominat, & hoc pariter *ab Effectis* confirmat.

Qui benemerentem lædit, infidus est, & ingratus;
Lædit me Æneas de ipso optimè meritam;
Ergo infidus est, & ingratus.

Ejectum) *Assumptio*, quâ collocata beneficia mirificè amplificat, nam contrà injuria manifesta erat; *hinc Ira*, *ex Arist. loco citato*.

Nunc augur) Excusationem, quâ usus fuerat, Æneas, refutat. 1. Per Ironiam, illa enim priùs dici debuerant, non autem cùm jam discessum pararet. 2. Negans id esse curæ superis. Quod porrò impium dictum furenti ex nimio amore mulieri optimè convenit.

Neque te) Profitetur se nolle precibus eum ampliùs retinere, aut ab eo dicta in sui defensionem refellere, vertítque se ad imprecationes.

ORATIO XXXII.

Didonis ad Annam, ut Æneæ persuadeat suum ex Africa discessum per aliquod tempus differre.

Motus *Misericordia*. Mores *deprecantis mulieris*.

Tres sunt partes, *Exordium*, *Contentio*, & *Conclusio*.

Anna vides) Ut Soror promptiùs, celeriúsque mandata

data exequatur, exponit Dido in *Exordio*, quàm omnia Trojanis in promptu sint ad navigandum.

Hunc ego) Se dignam exhibet *Misericordiâ*, suam prædicans in hoc tolerando infortunio constantiam, ex *Arist. l.* 2. *c.* 8. *t.* 92. idque sic ostendit *à Comparatione majorum.*

Antè etiam timui infortunium, nec tamen conterrita sum;

Ergo etiam constanter perferre potero,

Miseræ hoc) Precatur Annam, quam idoneam huic muneri probat, ut se ad Æneam conferat, ultimas illi Sororis preces allatura, jubétque hoc uti argumento *à Causis*:

Rem exiguam denegare non debemus supplici minimè de nobis malemerito;

Sed ego nunquam malè merui de Ænea, rémque exiguam peto;

Ergo id mihi denegare non debet.

Non ego) *Assumptionis* approbatio quoad primam partem à *remotione Causarum.*

Non jam) Altera pars *Assumptionis*; additque *Causam finalem*, cur petat per breve tempus differri discessum.

Extremam hanc) *Concludit*, maximam gratiam pollicita sorori, si hac in re sibi diligenter indulgeat.

ORATIO XXXIII.

Didonis ad Annam sororem, voluntariam jam tum mortem cogitantis.

Motus *Spes*. Mores *astutæ*, & *dolosæ Mulieris.*

Loci communes *ab Effectis*, & *Causis.*

Inveni) Exorditur ab *attentione*, se sui amoris remedium invenisse præfata, quod & per se magnum erat & Sorori gratissimum; *l.* 3. *c.* 14. *t.* 104.

Oceani finem Sacerdotem Hesperidum ex Æthiopia se reperisse ait, quæ promittat aut Æneam amantem reddere, aut Didonem ab amoris æstu liberare rémque facit probabilem *ab Effectis*.

Hoc præstare poterit, si fluminum, & syderum cursus sistere potest;

Sed hæc illa potest perficere;

Ergo & illud.

Sistere aquam) *Assumptio*, & argumentum urgetur *Comparatione*; hinc *Spes* boni exitus, *l*. 2. *c*. 5. *t*. 55.

Testor) Quòd magica arte utatur, excusationem adhibet *à Causis*.

Excusatione dignum, quod fit ex necessitate;

Non spontè, sed ex necessitate ad magicas artes confugio;

Ergo excusatione digna sum.

Tu secreta) Præscribit, quid Anna intereà agere debeat, & causam probabilem fingit, cur ea fieri Sacerdos mandaverit.

ORATIO XXXIV.

Qua Dido multa secum reputans, tandem mortem præeligit.

Motus *Verecundia*. Mores *mulieris omnia desperantis*.

Loci communes *à repugnantibus*, *à Causis*, *à Comparatione*.

En quid agam?) Secum ipsa reputat, quod sibi tandem consilium capiendum sit; contendítque primùm *à Repugnantibus*, non esse tentandos veteres procos:

Numidarum conjugium sæpè dedignata sum:

Ergo illud nunc supplex ambire non debeo: *Arist*. *l*. 2. *c*. 6. *t*. 65.

Ilia-

Iliacas) Ne Trojanis quidem se sociam adjungere putat esse opportunum, quod sic ostendit *à Causis.*

Turpe, & periculosum est ingratis, & perjuris adhærere;
Trojani ingrati sunt, & perjuri;
Ergo ijs adhærere turpe, & periculosum est.

Quid tum?) Idem confutat hoc dilemmate:

Aut sola sequar Trojanos, aut cum Tyriis;
Neque sola debeo, neque possum cum Tyriis;
Ergo nullo modo.

Sola fuga) Solam enim irridebunt, quippe qui de me putant egregium se reportâsse triumphum.

An Tyriis) Neque cum Tyriis, idque probat *à Comparatione*, tali pacto:

In discrimine vitæ constitutos vix Tyro revelli,
Ergo Carthagine, ubi pace fruuntur, nullo modo divellam.

Quin morere) Concludit igitur necessariam esse mortem, cujus & Soror infelici consilio, & ipsa sibi fide, & pudicitia violata, causa extiterit; hæc autem ad *Verecundiam* pertinent, *ex Arist. l. 2. c. 6. t.* 67.

ORATIO XXXV.

Didonis furiis agitatæ, ubi jam solvisse Trojanos animadvertit.

Motus *odium*. Mores *bacchantis mulieris.*
Loci communes nulli sunt.

Proh Jupiter) Furoris plena est hæc oratio, & vehementis indignationis, & ubique concitatissimis figuris scatet. Jubet hîc suos naves ascendere, & arma parare, ac flammas, ne impunè Trojani abeant.

Quid loquor?) Deinde intelligens hæc modò frustra tentari, se ipsam accusat, quòd tunc pœnas de Ænea non sumpserit, cùm poterat; nec ancipitem belli fortunam timere poterat, cùm utcunque mori decrevisset.

Sol qui) Deos precatur, ut si eripi Trojanis Italiam fata non sinunt, at multæ saltem calamitates Æneam circumveniant, donec immaturó fato pereat, & maneat insepultus.

Tum vos) Tandem Tyrios hortatur, ut Reginæ injurias ulturi perpetuis odiis gentes illam prosequantur. Ubi ad inimicitias Romanos inter, & Carthaginenses, & ad expeditionem Annibalis allusisse videtur Poëta.

ORATIO XXXVI.

DIdonis, priusquam se ferro transfigeret.

Motus *Misericordia, & Indignatio.* Mores *miserrimæ mulieris.*

Dulces) Per *Apostrophen* ad lectum conjugalem, & arma Æneæ *Misericordia* maximè excitatur, ex *Arist.* *l.* 2. *c.* 8. *t* 92.

Vixi) Ait se jam satis vixisse, neque morituram ingloriam post ultum Conjugem, & præclaram Urbem extructam, eo solo nomine miseram, quòd Trojani Carthaginem appulerint.

Moriemur) Dubitat parumper, an sic inulta mori debeat; demum se gladio transfigit, & cum *Indignatione* acerbissima Æneam invitat, ut hoc suo tanto supplicio gaudeat, ac triumphet; *l.* 2. *c.* 9. *t.* 93.

EX ÆNEIDOS LIB. V.

ORATIO XXXVII.

ÆNeæ ad Trojanos de Sacris Anchisæ Patri celebrandis.

Motus

Motus *Benevolentia* Mores *amantis Filii.*
Loci communes *ab adjunctis*, & à *Comparatione.*
Tres sunt partes, *Exordium, Contentio, & Conclusio.*

Dardanidæ) Laudat imprimis Trojanos, quippe qui à Dardano Jovis filio originem trahebant; qua ratione sibi eos *benevolos* facit.

Annuus) *Ab adjunctis* temporis & loci hortatur Trojanos ad sacra Patri Anchisæ celebranda, & videtur ratiocinari:

Nunc Sacra celebranda sunt Patri, si tempus & locus faveant;
Sed tempus, & locus nunc nobis favent;
Ergo nunc Sacra celebranda sunt Patri Anchisæ.

Annuus) De tempore manifestum est, anno jam planè elapso, ex quo Anchises in Sicilia vitâ excesserat.

Hunc ego) Loci opportunitatem amplificat *à Comparatione.*

Inter barbaros, & hostes hæc solemnia agerem;
Ergo multò magis agam inter amicos, & affines,
Hinc oritur *Benevolentia* in Æneam, *ex Arist. l.* 2. *c.* 4 *t.* 33.

Ergo agite) *Complexio* superioris argumenti,& ex his pietatis officiis bona sibi, suisque ominatur.

Bina boum) Refert munera, quæ in hæc sacra conferebat Acestes, simúlque quatuor ludorum genera à se instituenda recenset.

Cuncti) *Conclusio*, qua & spe præmiorum Trojanos inflammat, & promptos, hilarésque ludis adesse jubet.

ORATIO XXXVIII.

QUa Mnestheus suos hortatur, ut omni conatu ad palmam aspirent.

Motus *Verecundia*. Mores *generosi ducis*.

Loci communes *ab Antecedentibus*, & à *Caussis*.

Nunc nunc.) Hectoris fuisse Socios ait, & à se ex multis delectos ut fortissimos, quò magis eos pudeat in certamine superari; locus expressè habetur apud *Arist. l.* 2. *c.* 6. *t.* 68.

Nunc illas) Deinde sic arguit *ab Antecedentibus.*

Tales esse in hoc certamine debetis, quales in multis periculis fuistis;

Sed in multis maris periculis fortiter vos gessistis;

Ergo similiter & in hoc certamine.

Non jam) Ultimò argumentatur *à turpi.*

Turpe est in certamine postremum locum tenere;

Sed illud peto, ne postremi omnium simus;

Ergo id totis viribus prohibere debetis.

Maximè ad *Verecundiam* id valet, *ex Arist. loc. cit. tex.* 66.

ORATIO XXXIX.

IRidis ad Trojanas mulieres, ut classem comburerent.

Motus *Misericordia*. Mores *dolentis mulieris*.

Loci communes *à Comparatione, & ab Adjunctis.*

Duæ sunt partes: miserias amplificat, & ad classem comburendam hortatur.

O misera) Prima pars tali argumento continetur *à Comparatione.*

Miseræ, quas Græci in excidio Patriæ necârunt;

Sed vos illis estis multò miseriores;

Ergo omnium miserrimæ.

Septima) *Assumptio*, quæ in superioribus habetur, comprobatur hîc *ab enumeratione* malorum, quæ per septem annos passæ fuerant.

Post

Poſt Trojæ excidium nullas illæ calamitates paſſæ ſunt;

Sed vos innumeras alias; & novæ imminent;

Ergo illis eſtis multò miſeriores,

Aſſumptio) iterum eleganter exponitur; qui locus plurimùm ad *Miſericordiam* valet *ex Ariſt. l. 2. c. 8. t. 89.*

Hic Erycis) Tùm commemoratione miſeriarum, tum loci opportunitate ad condendam Urbem, conſilium, quod erat datura, confirmat, & in hac ſecunda parte tali utitur argumento *ab Adjunctis.*

Novam Trojam nobis condere debemus;

Sed hîc in Sicilia eam condere maximè opportunum eſt;

Ergo hîc in Sicilia condere eam debemus.

Hic Erycis) *Aſſumptionis* approbatio.

Nullàne) *Propoſitio*, eáque urgetur vehementi *Interrogatione.*

Quin agite) Sic deinde videtur ſubſumere:

Sed nunquam novam in Sicilia Trojam habebimus, niſi naves comburamus;

Ergo ſtatim comburendæ ſunt naves.

Nam mihi) Conſilium ut approbent, Caſſandræ utitur auctoritate, quam per *Proſopopœjam* loquentem ſibi per ſomnum inducit; ut celeriter exequantur, ex proximis aris divinam voluntatem interpretatur.

ORATIO XL.

ANchiſæ ad Æneam, ut, quibusdam in Sicilia relictis, quod robur Sociorum erat, ſecum in Italiam duceret.

Motus *Confidentia.* Mores *Viri ſapientis.*

Tres ſunt partes, *Exordium, Contentio,* & *Concluſio.*

Nate mihi) *Exordium* habet luculentam ſuæ in filium benevolentiæ ſignificationem; addítque, ſe Jovis im-

perio in terras descendisse, quò magis *confidentem* fa ceret *ex Arist. l. 2 c. 5. t.* 60.

Consiliis pare) Jubet relinqui in Sicilia senes, & debiles, ut Nautes suadebat, & reliquos deferri in Italiam, lectos, & fortes viros, quò faciliùs ex invictis Latii gentibus victoriam reportaret.

Ditis tamen) ut in infernum priùs Sibylla duce descendat ad Patris congressum, admonet; & ad id inflammat tùm loci amœnitate, tùm spe cognoscendi suorum fata, urbisque à se condendæ magnitudine.

Jamque vale) *Concludit* inde discedens, quòd jam dies appropinquaret.

ORATIO XLI.

Veneris ad Neptunum pro Trojanis.

Motus *Misericordia*, & *Ira*. Mores *solicita de filio Matris*.

Loci communes *à Causis*, & *ab Effectis*.

Partes sunt tres, *Exordium*, *Contentio*, & *Epilogus*.

Junonis) Exorditur *à Causis*, cur petat à Neptuno auxilium, tali pacto:

> Qui ab infensissimo hoste timet exitium, à quolibet debet auxilia petere:
> Sed à Junone exitium intentatur Trojanis;
> Ergo à quolibet auxilium sibi ipsi petere debent.

Exordium autem continet *Assumptionem*.

Non media) Eandem *Assumptionem* probat in *Contentione ab Effectis*; 1. quòd non contenta excidio Trojæ, illius etiam cineres insequatur, idque immortalis odii signum est, *ex Arist. l. 2. c. 3. t* 18. 2. Quòd ad Africæ littora invito Neptuno, adeóque in ejus contemptum ingentem excitaverit tempestatem, idque valet ad *iram*; *l. 2. c. 2. t. 9.* 3. quòd Mulieres Trojanas ad comburendam classem impulerit; & ex his omnibus oritur *Misericordia*, *l. 2. c. 8. t. 89.*

Quod

Quod superest) *Conclusio* petitionem continet, ut faveat Trojanis Italiam classe petentibus, cujus æquitatem ostendit, cùm illud idem Jupiter, & fata concederent.

ORATIO XLII.

NEptuni ad Venerem.

Motus *Amor.* Mores *Viri Benemeriti.*

Loci communes à *Causis*, & *ab Effectis*.

Fas omne est) Auxilium à se jure Venerem petere sic probat à *Causis*:

Qui aliunde originem ducit, ibi & potestatis aliquid habere debet;

Tu è mari originem trahis;

Ergo jure in eo tibi aliqua debetur potestas.

Merui quoque) Amamus enim eos, quibus beneficia contulimus; ostenditque suam in Æneam benevolentiam ex *effectis*, *juxta Arist. l. 2. c. 4. t. 23.* mirificè verò amplificat *ab Adjunctis* servatum à se Æneam, cùm ad Trojam adversùs Achillem pugnaret.

Nunc quoque) Et imposterum idem se præstiturum pollicetur, donec Italiam attingat, uno in mari submerso: & Palinurum designat.

EX LIB. VI. ÆNEIDOS.

ORATIO XLIII.

QUa Æneas Phœbum, Deos, & Sibyllam precatus, ut sibi in Latio consistere liceat.

Motus *Gratia*, & *Lenitas*. Mores *Viri supplicis*.

Phœbe

Phœbe graves) Primò igitur Phœbum precatur, cujus *benevolentiam* sibi conciliat à commemoratione beneficiorum, quæ illi accepta referebat, aptissima usus amplificatione; *ex Arist. l.* 2. *c.* 7. *t.* 80.

Vos quoque) Secundò Deos Trojæ inimicos, eósque lenes facit innuens, satis jam pœnarum datum à Trojanis; *lib.* 2, *c.* 3, *t.* 18.

Túque) Tertiò Sibyllam ipsam, séque non ingratum fore pollicetur, cujus libros magno cum honore certis Viris custodiendos daturus erat.

Foliis tantùm) Petit ultimò, ne foliis incerta sibi responsa daret, sed voce caneret, quod Deus juberet.

ORATIO XLIV.

ÆNeæ ad Sibyllam, ut sibi ad inferos dux esset.
Motus *Misericordia.* Mores *Viri Magnanimi.*
Loci communes *ab Antecedentibus*, *à Comparatione, à Causis.*
Duæ sunt partes, *Exordium.* & *Contentio.*

Non ulla) In *Exordio* captat *benevolentiam*, cùm se prudentem, & constantem virum exhibeat, qui pericula omnia & prævidere, & non timere potuerit.

Unum oro) Petit, ut sibi liceat Patrem in Elysiis alloqui, usus argumento *ab Antecedentibus meritis*, seu potiùs, *à Causis* tali pacto.

Non est nobis deneganda gratia, quam meremur;
Sed ego, & Pater hanc gratiam meremur;
Ergo non est nobis deneganda.

Assumptio nititur tùm filii in Patrem pietate, tùm etiam Patris in perferendis incommodis ultra vires ætatis tolerantia, simúlque movet *Misericordiam, ex Arist. l.* 2, *c.* 8, *t.* 88.

Quin

Quin ut te) Sic deinde *à Causa finali.*

Filius Patris voluntati obsequi debet;
Sed Pater ipse jussit, me in inferos descendere;
Ergo parere debeo,

Potes, námque) Ostendit rem esse facilem, tùm ex parte Sibyllæ, quæ lucis Avernis præsidebat, tùm ex parte sui, argumento *à Pari:*

Quamplures alij descendere ad Inferos potuêre;
Ergo id nec mihi quidem denegabitur.

Utitur *Exemplis* conglobatis, per *Inductionem.* confirmátque ex eo. quòd ipse æquè ac Orpheus, Pollux, Theseus, & Hercules, à Dijs originem duceret.

ORATIO XLV.

Sibyllæ ad Æneam de descensu ad Elysios.
Motus *Timor.* Mores *Sapientis mulieris.*
Loci communes *à Contrariis*, & *à Causis.*

Partes sunt quatuor, *Exordium*, *Contentio*, *Narratio* & *Conclusio.*

Sate sanguine) *Exorditur* à laudibus Æneæ, cúmque ille se Deorum progeniem suprà dixerit, talem & Sibylla fatetur.

Facilis) Rem, quam petebat, difficilem ait esse, & arguit *à Contrariis*, nam què facilior ad Avernum descensus, eò difficilior futurus erat reditus.

Pauci) Difficultatem rursùs probat ab eventu:

Illud est difficile, quod pauci, iíque summi Viri consequi potuêre;
Sed pauci, iique summi Viri tùm genere, tùm virtute, redire èx Inferis potuêre;
Ergo difficillimum.

Tenent media) Tandem idem contendit *à Causis*, breviterque exponit, quæ forent impedimento, sylvæ, & Cocytus fluvius; *lib.* 2. *c.* 5. *t.* 40. & 48.

Quòd

Quòd si) Narratio, qua ratione id tentare deberet, si nempe & aureum ramum inveniat, & Misenum unum ex socijs rite sepeliat.

Sic demum) Conclusio.

ORATIO XLVI.

PAlinuri ad Æneam prope Stygiam paludem.

Motus *Misericordia.* Mores *hominis miseri.*

Loci communes *à Comparatione.*

Duæ sunt partes, *Narratio*, & *Petitio*.

Neque te) Negat Palinurus falsò de se quippiam vaticinatum Apollinem, quod questus fuerat Æneas; nam in mare delapsus nando in Italiam pervenerat, & ibi eum latrones interfecerant: movétque *Misericordiam ex Arist. l.* 2. *c.* 8. *t* 92.

Quod te) Petit ab Ænea, ut vel suum corpus diligenter quæsitum sepeliat, vel secum utcunque ad alteram ripam ducat: utrumque ait esse non difficile, alterum, indicans portus Velinos, ubi cadaver erat, alterum, per Syllogismum *à Comparatione majorum*:

Difficilius est lacum Stygium tranare viventi, quàm insepulto; sed tu vivens tranare potes:
Ergo & me tecum ducere poteris, quamvis insepultum.

EX ÆNEIDOS LIB. VII.

ORATIO XLVII.

LAtini Regis ad Trojanorum Legatos.

Motus *Benevolentia.* Mores *humanissimi Principis.*

Dici-

Dicite) Trojanorum *amorem* sibi conciliat eo nomine, quòd ostendit eorum se genus, & gloriam optimè noscere: unde *Amor*, cùm ex contrario *Ira* proficiscatur, *ex Arist. l.* 2. *c.* 2. *t.* 12.

Quid petitis) Rogat, quid petant, & quo fato in Latium pervenerint, oblato sponte hospitio gentis quam sola Lex naturæ continebat, ex veteri Saturni instituto; ex quo iterùm *Benevolentia l.* 2. *c.* 4. *t.* 5.

Atque equidem) Tertiò inde *amoris* argumentum elicit, quòd Dardanus ipse Italus fuerit, ex Etruria in Asiam profectus.

ORATIO XLVIII.

Ilionei ad Latinum Regem amicitiam, & hospitium petentis.

Motus *Misericordia.* Mores *Viri supplicis.*

Loci communes *ab Antecedentibus & Consequentibus.*

Partes sunt quatuor, *Exordium*, *Narratio*, *Contentio*, *& Conclusio.*

Rex, genus) *Exordium* in laudem Latini sumptum ex nobilitate generis.

Nec fluctibus) *Narrat* sponte, & consilio venisse in Italiam Trojanos, maximo regno vi pulsos; *l.* 2. *c.* 8. *t.* 91. séque missos ad eum Legatos ab Ænea, qui æquè ac Dardanus à Jove genus trahebat.

Quanta per) Ut se *Misericordiâ* dignos exhibeant, mire amplificat Ilioneus bellum, quod Trojanos inter & Græcos exarserat, *loco citato t.c.* 81.

Diluvio ex illo) Petit in *Contentione* locum exiguum condendæ Urbi, útque communi cœli illius spiritu frui liceret; & cùm per se adeò modesta petitio ad persuadendum valet, tum ipse utitur argumento *à Consequentibus.*

Eos

Eos recuſare hoſpites non debes, qui tibi & gloriæ, & utilitati futuri ſunt;
Sed nos tibi & gloriæ erimus, & utilitati;
Ergo nos recuſare hoſpites non debes.

Fata per) Deinde *ab Antecedentibus* arguit:

Multi nos populi ſibi adjungere ſocios voluêre;
Ergo Tu ſocietatem noſtram repudiare non debes.

Ne temne) *Prolepſi* occurrit docétque, Trojanos non ex timore pacem petere, quòd æquè ad bellum parati ſint.

Sed nos fata) Alteri *Prolepſi* ſatisfacit, cur Latium cæteris regionibus prætulerint, quia nimirum fata, Diſque hoc voluerant; id autem confirmat ex Apollinis oraculo.

Dat tibi: *Concluſio* habet munerum oblationem.

ORATIO XLIX.

JUnonis iratæ, quòd Trojani tutò in Italia Urbem conderent.

Motus *Ira, & Pudor*. Mores *Læſæ mulieris*

Loci communes *ab Adjunctis, à Cauſis, & à Comparatione.*

Heu ſtirpem) Exorditur ab execratione gentis, cui erat infenſa, ſuámque ſortem dolet, quòd eam delere non potuerit, argumento ſumpto *àb Adjunctis*, tali pacto.

Turpe mihi eſt, non potuiſſe delere Trojæ incenſæ reliquias;
Sed hi reliquiæ ſunt incenſæ, captæque Patriæ;
Ergo turpe eſt mihi eos delere non potuiſſe.

Propoſitio nititur *Ariſt. lib.* 2. *c.* 6. *t.* 65. *Aſſumptio* amplificatur à circumſtantiis, quæ videbantur Trojanis exitium allaturæ.

At Credo) Secundò argumentatur *à Causis*:
Me omnia tentante, ne Italiam attingerent, Italiam tenent,
Ergo id mihi multò magis turpe.
Mars perdere) Tertiò *à Comparatione minorum.*
Turpe est mihi, præstare non potuisse, quod levioribus de causis fecerunt minores Dii;
Sed Mars Lapithas, Diana Calydonios levioribus de causis perdere potuêre;
Ergo mihi Jovis conjugi turpe, non potuisse idem facere in Trojanos. *Arist. loc. cit. t. 66.*

Vincor) Se victam ab Ænea queritur, quòd eum vincere non potuerit; maximum *Iræ* argumentum; *l.* 2. *c.* 2. *t.* 10.

Quod si) Concludit tentandos esse inferorum animos, ut differantur saltem per aliquod tempus regnum, & nuptiæ Æneæ, minatúrque multam populorum stragem, & futuram Pronubam Bellonam æquè, ac fuerat in matrimonio Paridis, & Helenæ.

ORATIO L.

JUnonis ad Alecto, ut pacem turbaret, Trojanos inter & Latinos compositam.
Motus *Amor.* Mores *supplicis Mulieris.*
Loci communes *à Causis, & à Comparatione.*

Hunc mihi) Hortatur, ut pacta inter duos populos connubia, & pacem perturbet, utitúrque argumento *à Causis.*
Pati non debes famam, & honorem meum infringi;
Sed infringitur, si hæc fiant connubia;
Erga pacta connubia impedire debes.

Tu potes) Rem facilem ostendit *à Comparatione majorum.*

Tu potes perficere, quæ multò majora sunt;
Ergo & hoc, si volueris.

Antecedens probatur *ab Enumeratione* eorum, quæ facili negotio præstare Alecto poterat, conciliátque sibi illius *benevolentiam*, cujus summam laudat in rebus humanis potestatem; *Arist. l. 2. c. 4. t. 29.*

Fœcundum) *Conclusio.*

ORATIO LI.

AMatæ Reginæ ad Latinum, ne Filiam Æneæ in matrimonium daret.

Motus *Misericordia.* Mores *matris de filia solicitæ.*
Loci comunes *ab Adjunctis, à Comparatione, à Causis,*

Exulibusne) Sic igitur arguit *ab Adjunctis*:

Regis filia non est danda in matrimonium exuli, & prædoni;
Sed Æneas exul, & predo est, qui eam hinc deinde asportabit;
Ergo ne dederis illi filiam in matrimonium.

An non sic) *Assumptionis* approbatio *à Pari*: ab exmeplo scilicet Paridis; nota est omnibus historia.

Quid tua) Secundò *à Causis.*

Servanda est fides data maximè Consanguineo;
Sed Turno nobis Consanguineo fidem dedimus;
Ergo servare eam debemus.

Si gener) Occurrit *Prolepsi* de externo Genero quærendo juxta Fauni oraculum, probátque, Turnum exterum esse, quia illius majores ex Græcia venerant.

ORA-

ORATIO LII.

QUa Alecto sumpta cujusdam imagine, quæ Junonis sacerdos erat, Turnum ad arma extimulat.
Motus *Indignatio*. Mores *benevolentis mulieris*.
Loci communes *à Repugnantibus*.

Partes sunt quatuor, *Exordium, Narratio, Contentio, &* *Peroratio*.

Turne) *Exordium*, quo nimiam Turni tolerantiam castigat, qui præmia suis laboribus debita pateretur dari extero; hinc *indignationem* movet. *Arist. l.* 2, *c.* 9. *t.* 93.

Rex tibi) *Narratio* plena indignationis.

I nunc) Injuriam amplificat *à Repugnantibus*:

Iniquum est lædi ab eo, quem tu contra potentissimos hostes defenderis;

Sed tu Latinos contra Tyrrhenos hostes toties defendisti;

Ergo te ab ijs lædi iniquissimum est.

Hæc adeò) Deorum auctoritate à se dicta confirmat, quò magis etiam faciat *Confidentem*; *l.* 2. *c.* 5. *t.* 60.

Quare age) *Peroratio*, qua hortatur ad arma capienda, & ulciscendam injuriam tùm contra Trojanos, tùm, si obstiterit, contra ipsum Regem Latinum.

EX ÆNEIDOS LIB. VIII.

ORATIO LIII.

DEi Tiberini ad Æneam, ne in tantis periculis desponderet animum.

Motus *Confidentia.* Mores *Viri amici*

Tres sunt partes, *Exordium, Narratio, & Adhortatio.*

O sate) *In exordio* primùm laudat Æneam à genere, quòdque Trojam in Latium transportaverit juxta Deorum decretum.

Hìc tibi) Bene deinde sperare jubet, signùmque dat suis albæ triginta enixæ fœtus, cujus præterea interpretationem addit, ne vana prædicere videretur; *ex Arist. l.* 2 *c.* 5. *t.* 60.

Nunc qua) *Narrat*, ubi Arcas Evander Urbem condiderit, & ab eo docet petenda esse auxilia, quippe Latinis infensissimo; séque futurum illi ducem itineris profitetur.

Surge age) *Hortatur* itaque, ut sacrificijs Junoni ritè peractis, quamprimùm ad Evandrum proficiscatur, & se Deum Tiberinum esse dicit, quò majorem Æneas fidem dictis haberet.

ORATIO LIV.

ÆNeæ ab Evandro opem, & fœdus petentis.

Motus *Amor.* Mores *Viri supplicis, & Magnanimi.* Loci communes à *Causis, & a Consequentibus.*

Tres sunt partes, *Exordium, Contentio*, & *Conclusio.*

Optime) Ducitur *Exordium* ab Evandri laudibus, cui ex omnibus Græcis se submittat Æneas; *ex Arist. l.* 2. *c.* 4. *t.* 29. Multas deinde causas affert, cur Atridis affinem non timeat; fata, oracula, cognationem, utriusque virtutem, *loco citato*, *t.* 29. 30. 34.

Dardanus) *A Causis* pariter, sicut *Exordium*, sic primum ducitur *Contentionis* argumentum, tali pacto:

Ii Populi conjungi fœdere, & amicitiâ debent, qui sanguine conjuncti sunt;

Sed nos sanguine conjuncti sumus;

Ergo amicitiâ, & fœdere conjungi etiam debemus.

As-

Assumptio probatur, quia Dardanus ex Jove, & Electra Atlantis filia, Mercurius pater Evandri ex Jove, & Maja Atlantis itidem filia geniti fuerant.

His fretus) Ostendit, se hac de causa Evandro maximè confidere, adeóque suam in eum *benevolentiam* attestatur, *tex.* 35.

Gens eadem) Aliud Argumentum *amoris*: illi enim inter se sunt amici, quibus ijdem sunt inimici, *t.* 24. Posteà sic arguit *à Consequentibus*:

Prohibere debes, ne tui hostes universâ Italiâ potiantur;

Sed universâ Italiâ potientur, si nos hinc pellant;

Ergo hoc maximè prohibere debes.

Accipe) *Conclusio*.

ORATIO LV.

EVandri ad Æneam.

Plena est hæc oratio amoris, & benevolentiæ in Æneam, quem se libenter accipere hospitem dicit, tùm propter illius fortitudinem, tùm propter amicitiam, quæ sibi cum Anchise intercesserat. Hunc se vidisse ait in Arcadia, & muneribus amplis ab eo donatum, proindéque æquum censet & cum Ænea filio inire fœdus. Intereà novos Socios sacris admiscet, & ad convivium solemne jubet accedere.

ORATIO LVI.

VEneris Æneæ arma petentis à Vulcano conjuge.

Motus *Amor*. Mores *blandientis Uxoris.*

Loci communes *à Contrarijs*, *à Comparatione*, & *ab Adjunctis*.

Dum bello) Non utitur *Exordio*, cùm ipsæ conjugalis thori blanditiæ viri *benevolentiam* satis conciliarent; sed statim *à Contrarijs* arguit:

> Pro servanda Troja à te arma non petivi, cùm fata negarent;
> Sed nunc fata volunt, consistere in Italia Æneam;
> Ergo jure nunc à te arma peto, ne Italiâ pellatur Æneas.

Dum bello) *Propositio*; causas tamen affert, cur & ad Trojam petere arma debuisset suis Trojanis.

Nunc Jovis) *Assumptio.*

Ergo) *Complexio*, laudátque supplex Viri numen, ut sibi *benevolum* reddat; *ex Arist. l.* 2. *c.* 4. *t.* 29. Præclarus etiam locus est *à Contrarijs collatis*, ut habetur in præceptis.

Te filia) Alterum argumentum est *à Comparatione minorum.*

> Non minùs apud te valere preces debent Conjugis, quàm Thetidis;
> Sed Thetis à te impetravit arma filio;
> Ergo multò magis ego tua Conjux.

Aspice qui) Tertiò *ab Adjunctis*, necessitas enim urgebat, cùm multi populi acerrimis odijs in Trojanos insurgerent.

ORATIO LVII.

VUlcani ad Venerem.

Castigat Venerem, quippe diffidentem, cùm tot argumentis apud amantem Virum uteretur; ostendit autem, quàm accuratè sit ei hac in re obsequuturus, professus idem se facturum fuisse ad Trojam invito, etiam Jove, si Venus jussisset, quantò nunc magis faventibus fatis?

ORA-

ORATIO LVIII.

QUa Evander narrat Æneæ, quæ illi auxilia præstò sint.

Motus *Confidentia.* Mores *Viri ingenui.*

Loci communes *ab Adjunctis*, *& à Causis.*

Partes sunt duæ, *Exordium*, *& Narratio.*

Maxime) Exordium sumptum à laudibus Æneæ.

Nobis ad belli) Suas dicit exiguas esse vires pro belli magnitudine, quod ingruebat, probátque *ab Adjunctis.*

Illius exiguæ sunt vires, qui inter angustos terminos undique ab hostibus premitur;

Sed mei regni angusti sunt termini, & undique à Thuscis, & Rutulis premor;

Ergo exiguæ mihi sunt vires.

Sed tibi) Narrat, Hetruscos defecisse à Mezentio, & *Causam* affert immanem illius sævitiam, quam fusè describit; eos tamen Aruspicis responso quietos teneri, externum iis ducem designantis, ubi egregia adest *Prosopopœja*, cúmque ipse senio confectus, Pallas filius ex Sabella, hoc est Itala matre genitus Duces eorum esse nequeant, Æneam hortatur, ut ijs fortiter præesse velit.

Hunc tibi) Tandem exponit, quibuscum copijs Pallantem filium ad bellum missurus sit; ut his omnibus *Confidentiam* moveat, *juxta Arist. lib. 2. c. 5. t. 56.*

ORATIO LIX.

EVandri ad Filium Pallantem proficiscentem ad bellum.

Motus *Æmulatio.* Mores *Soliciti Patris.*

O mihi) Quæ juvenis, & armatus fecerat, eo consilio amplificat, ut Patris exemplo filius excitetur ad res præclaras agendas; *Arist. lib. 2. c. 11. t. 114.*

At vos ô) Deos precatur, ut, si in eo bello perire debeat Pallas, sibi statim mori liceat; vivere, si victorem redeuntem visurus erat in Patriam.

EX ÆNEIDOS LIB. IX.

ORATO LX.

CYbeles ad Jovem, ne Trojanorum naves perire unquam pateretur.

Motus *Amor*. Mores *Reginæ de sua auctoritate solicitæ*.

Loci communes *à Causis*.

Partes sunt duæ, *Exordium*, & *Contentio*.

Da nate) *Exordium* sumitur à *Benevolentia*, quid enim filius supplici Matri negaret?

Pinea Sylva) Petitio ipsa hoc uno argumento continetur à *Causis*:

Interest meæ famæ, naves ex arboribus mihi sacris confectas non perire;

Sed naves Trojanorum factæ sunt ex arboribus mihi sacris;

Ergo meæ famæ interest, eas naves nunquam perire.

Assumptionem fusè exponit, qua ratione arbores illæ sumptæ fuerint ex luco sibi in Ida monte sacro, ultimò & *Propositionem* attingit.

ORATIO LXI.

JOvis ad Cybelem.

Motus

Motus *Indignatio*. Mores *Jove digni*,
Loci communes *à Contrarijs*, *à causis*.
Partes sunt tres, *Exordium, Contentio, & Conclusio*.

O genitrix (*Exordium* modestam habet Matris reprehensionem, quòd rem peteret, quæ fieri nequiret; & *Propositionis* locum habere potest.

Mortaline) Probat igitur *à Contrarijs* id fieri non posse:

Quod mortale est, non potest fieri immortale, & nemo certus esse in periculis incertis;
Sed hæ naves sunt mortales, & pericula, in quibus futurus est Æneas, incerta;
Ergo neque illæ immortales, neque Æneas in ijs periculis certus erit.

Mortaline) Latet hîc *Assumptionis* approbatio quoad primam partem, sumpta à *Causa Efficiente*, *Arist. l. 2. c. 9. t. 93.*

Imò ubi) Pollicetur tandem in *Conclusione* futurum, ut in Nymphas convertantur, simul ac Æneam in Italiam transportâssent.

ORATIO LXII.

TUrni ad suos; ne miraculo navium terrerentur.
Motus *Confidentia*, & *Ira*. Mores *Viri audacis*.
Loci communes à *Consequentibus*, à *Causis*, à *Comparatione*.

Trojanas) Contendit monstrum illud navium, quæ in Nymphas conversæ fuerant, adversum esse Trojanis, sic à *Consequentibus Effectis*:

Iis est hoc monstrum adversum, quibus adimit spem salutis;
Sed Trojanis spem salutis adimit;
Ergo ijs est adversum.

Assumptionem probat hoc *dilemmate*:

Aut mari, aut terrâ ex nostris manibus evadent;
Sed neque mari, neque terrâ;
Ergo nullo modo salvi nunc esse possunt.

Ergo maria) Prima pars hujus *Assumptionis.*

Terra autem) Secunda pars; simúlque suos *confidentes* facit, referens copiarum multitudinem, quas secum ipse duceret *l.* 2. *c.* 5. *t.* 56.

Nil me) Occurrit *Prolepsi* de fatis Trojanorum, eáque interpretatur, quasi dicant, venturos in Italiam Trojanos, Italiâ potituros.

Sunt & mea) Eventum confirmat *à Causis.*

Qui alienam conjugem rapiunt, morte sunt digni;
Trojani meam mihi conjugem eripiunt;
Ergo morte sunt digni.

Atridarum exemplo, & raptu Helenæ confirmat *Propositionem*, quod *Iræ* præcipuum erat argumentum; *ex Arist. l.* 2. *c.* 2. *t.* 11.

Sed perijsse) Ad *Prolepsin*, quasi pœnarum satis jam Trojani dederint, Patriâ semel eversâ, respondet eodem modo:

Qui semel peccavit, semel puniri debet;
Sed Trojani non cessant peccare;
Ergo & puniri iterum debent.

Quibus hæc) Trojanos ut timidos deridet, qui egredi castris non auderent; neque tamen tutos intra castra fore ostendit, à *Comparatione:*

Mœnia à Dijs extructa defendere Trojanos non potuerunt;
Ergo multò minus castra, hominum opus.

An non) *Antecedens.*

Sed vos ô) Suos ad strenuè pugnandum hortatur, non clam, & dolo, ut Græci, sed ea, quæ decebat Italos, virtute, sicque exemplo sui *Confidentiam* movet; *loco citato t.* 61.

Nunc adeò) Jubet in alterum diem castrorum oppugnationem differri, & quod supererat lucis, curandis corporibus insumi.

ORA-

ORATIO LXIII.

NIsi ad Euryalum noctu è castris sortiri cogitantis.
Motus *Confidentia*. Mores *Viri Fortis*.
Loci communes *ab Adjunctis*.
Duæ sunt partes, *Exordium*, & *Narratio*.
Dijne hunc) A rei magnitudine *Attentionem* parat, *Arist. l.* 3. *c.* 14. *t.* 104.
Deos autem sibi auctores tanti consilij esse innuit, sapienter tamen per *dubitationem*; unde *Confidentia*, ex *Arist. l.* 2. *c.* 5. *t.* 60.
Aut pugnam) *Narrat*, quòd sibi jamdiu sit in animo, penetrare in hostium castra, & de suorum periculo certiorem Æneam facere; rem sic *ab Adjunctis* facilem ostendit:

Facile est fallere hostes incautos, vini, somnique plenos:
Tales sunt Rutuli;
Ergo facile mihi erit eos fallere.

ORATIO LXIV.

EUryali ad Nisum.
Nisum rogat, ut se quoque in partem tantæ laudis accipiat; ne rejiciatur, memorat nutritum se inter belli pericula, non timuisse summas tam longi erroris difficultates, & habere animum honoris multò magis, quàm vitæ cupidum.

ORATIO LXV.

NIsi rursus ad Euryalum.
Motus *Timor*. Mores *Viri amantis*.
Loci communes *à Causis*.

Equi

Equidem) Se primùm excusat, quòd solus sortiri velit, negátque juratus, se de virtute Euryali ullo modò dubitare; sic autem arguit;

Te non debes in certum vitæ discrimen conjicere;
Sed in hac re certum imminet vitæ discrimen;
Ergo illud vitare debes.

Sed si quis) *Assumptio. Arist. l.* 2. *c.* 5. *tex.* 41.
Te superesse) *Propositio*, quam eleganter amplificat à *Causis conglobatis*, omnia per se satis patent.

ORATIO LXVI.

QUa Mater Euryali filij mortem, fatúmque deplorat.
Motus *Misericordia.* Mores *mœstissimæ Parentis.*
Loci communes *ab Adjunctis.*

Hunc ego) Ex eo primùm excitat *Misericordiam*, quòd maximum dolorem percipiat, unde gaudium speraverat; *Arist. l.* 2. *c.* 8. *t.* 89.

Nec te sub) Deinde *ab Adjunctis*, quia neque affari anteà potuerat, neque adesse morienti, & avulsa crudeliter membra jacebant insepulta; *vide Arist. loco citato.*

Figite me) Vitæ demùm pertæsa mortem optat, eámque unam solatio sibi esse affirmat, quò nihil miserabilius esse poterat.

ORATIO LXVII.

NUmani Remuli Trojanos irridentis.
Motus *Verecundia.* Mores *superbi hominis.*
Loci communes *à Contrarijs*, & à *Comparatione.*
Tres sunt partes *Exordium, Contentio, & Conclusio.*

Non pudet) Trojanis turpem exprobrat metum cum temeritate conjunctum, quòd alienas conjuges rapiant-

piant, neque se tamen nisi mœnibus, & castris defendere possint: unde *Verecundia ex Arist. l. 2. c. 6. t. 65.*

Quis Deus) Temerè ausos ait in Italiam venire, probátque à *Comparatione*.

Non potuistis resistere Atridis, & doloso Ulyssi;
Ergo multò minùs Italis vera virtute prædítis.

Confirmatur *Complexio* ex argumento, quod statim sequitur.

Deorum à stirpe) Utitur enim comparatione *Contrariorum*, ad probandam eamdem illam *Propositionem*, tali pacto:

Timidi, & inertes homines non possunt fortissimis resistere;
Trojani timidi & inertes sunt; fortissimi Itali:
Ergo Trojani non poterunt Italis resistere.

Utramque *Assumptionis* partem à studiis utriusque gentis, & *ab Effectis* amplificat; quibus pudorem excitat, *Arist. loco. citato.*

O vere) *Conclusio*, qua per irrisionem jubet Trojanos arma deponere, ac mollem tympanis cantum dare.

EX ÆNEIDOS LIB. X.

ORATIO LXVIII.

Jovis ad Deos de bellis Italiæ
Motus *Ira*. Mores *Summi Jovis*.

Cælicolæ) Deos reprehendit, quòd nova Teucros inter, & Italos bellorum semina fererent, contra suum decretum; qua de causa *iratum* se præbet, *ex Arist. l. 2. c. 2. t. 10.*

Adveniet) Futurum ait tempus, quo Pœni multa inferant Italiæ mala, Duce nimirum Annibale; intereà odia, & arma ponere hortatur.

ORA-

ORATIO LXIX.

VEneris ad Jovem in Deorum Concilio.

Motus *Indignatio*, & *Misericordia*. Mores *Supplicis*.

Loci communes *ab Adjunctis*, *ab Enumeratione*, *à Comparatione*.

Tres sunt partes, *Exordium*, *Contentio*, & *Peroratio*.

O pater) *Exordio* captat *benevolentiam*, tum à persona Jovis, cujus extollit potentiam, tum à seipsa; *ex Arist. l. 2. c. 4. tex. 43.*

Cernis ut) Infelicem Trojanorum sortem deplorat, quam sic amplificat *ab Adjunctis*.

Infelices ij sunt, qui ne intra fossas quidem & mœnia tuti sunt;
Talis est Trojanorum conditio;
Ergo infelices revera sunt.

Æneas) Idem exaggerat ab absentia Æneæ, qui unus tueri poterat obsessos Trojanos; omnia ad *Misericordiam* valent, *tex.* 89.

Muris iterum) *Indignationem* movet ex eo, quòd iterum Diomedes arma in Trojanos ferre cogitabat, qui seipsam Immortale Numen sauciare quondam ausus fuerat; *ex Arist. l. 2. c. 9. t. 93.* *Ironia* latet pulcherrima.

Si fine) *A causis* rei indignitatem ostendit:

Impium est obstare fatis;
Sed fata dant Italiam Trojanis;
Ergo impium est pellere Italiâ Trojanos.

Junonem hic acerbè perstringit, & exponit *Assumptionem à Contrarijs*.

Quid repetam) *Enumerat* nunc calamitates omnes, quas Trojanis Junonis ira paraverat, contra Deorum voluntatem.

Nil super) Petit ultimò, ut, si perire cæteri debeant, Ascanium saltem alicubi servare incolumem sibi liceat; hinc *Misericordia*, & in Junonem *indignatio*.

Quid

Quid pestem) *Peroratio*, qua suæ gentis, & ipsius maximè Ascanii infortunium queritur, qui cùm quietè vivere defuncti tot calamitatibus aliquando deberent, nunc multò pejora pati cogebantur; sic utitur argumento *à Comparatione*:

Gravissima passi sunt ad Trojam:
Sed hæc multò acerbiora sunt:
Ergo omnium mortalium infelicissimi.

Rogat enim priora potiùs rursus pati, quàm hæc extrema.

ORATIO LXX.

JUnonis in Concilio Deorum contra Venerem.
Motus *Indignatio*. Mores *iratæ mulieris*.
Loci communes *à Causis*, *à Comparatione*, *& ab Effectis*.
Duæ sunt partes, *Exordium*, *& Confutatio*.

Quid me alto) *Exordium*. sumitur *à causa dicendi*.

Nihil dicerem, nisi me Venus provocaret;
Sed me Venus provocat;
Ergo illi respondere debeo.

Æneam) Multa objecerat Junoni Venus, 1. quòd bellum ipsa excitâsset Trojanos inter & Latinos; 2. quòd nascentem Trojam evertere tentaret; 3. quòd Turno, & Rutulis faveret; 4. quòd Trojani excidii ipsa causa fuisset. Primum illud confutat à *Causis*, tali ratione:

Qui ad arma Reges, & populos solicitat, is est causa belli;
Sed Æneas Evandrum, & Tuscos ad arma solicitat;
Ergo ille est causa belli.

Italiam petiit) Explicat *Assumptionem*; an, inquit, sicut Cassandræ furiis impulsus in Italiam venit Æneas, sic me hortante Puerum castris præfecit, ad Evandrum, & Tuscos ipse profectus? cùm hæc belli causa sint.

In

Indignum est) Secundum diluit à *Comparatione* :

Magìs est indignum, Turnum pelli patriâ terrâ, quàm Æneam exterum Latio ;

Ergo illud multò minùs, quàm hoc ferendum.

Antecedens præterea probatur ab Avo & Matre Turni, qui æquè nobiles erant, ac Venus, & Anchises.

Quid face) Deinde idem argumentum sic prosequitur :

Qui aliis gravissima mala intulerunt, meritò eadem patiuntur;

Sed Trojani Latinis gravissima mala intulerunt ;

Ergo meritò nunc eadem ipsi patiuntur.

Et præclarè amplificatur *Assumptio*; *Arist. l.* 2. *cap.* 9.

Tu potes) Tertium pariter refutat à *Pari*.

Non magìs tibi licet favere, Trojanis, quàm mihi Rutulis ;

Sed tibi semper licuit favere tuis ;

Ergo mihi etiam meis Rutulis.

Assumptio approbata *ab Effectis*.

Æneas ignarus) Duo illa irridet, quæ Venus attigerat, Æneæ scilicet absentiam, & sibi multa superesse loca, in quibus Trojanos tueri possit.

Nonne tibi) Ad ultimum respondet argumento à *Causis* deducto :

Helenæ raptus Trojæ excidium peperit ;

At non Juno, sed Venus furtum illud suasit ;

Ergo non Juno, sed Venus excidii causa Trojanis fuit.

ORATIO LXXI.

PAllantis ad suos fugientes.

Motus *Verecundia*. Mores *strenui Ducis*.

Loci communes à *Causis*, & *ab Adjunctis*.

Quò fugitis) Ut milites suos, quos ad captandam *Benevolentiam* socios vocat, fugientes in acie retineat, ea omnia memorat, ex quibus oriri poterat *Verecundia juxta Arist. l.* 2. *c.* 6. *t.* 65. & 68.

Numi-

Numina nulla) Argumento deinde à *Causis* utitur:
Dij timendi sunt, non homines;
Sed contra homines pugnamus, non contra Deos;
Ergo ab ijs in fugam verti nobis turpe est. *Arist.* *loco citato.*

Ecce maris) Ultimò fit *ab Adjunctis.*
Ibi fortiter pugnandum, ubi nullus fugæ locus est;
Sed nullus nobis fugæ locus est, neque terrâ, neque mari;
Ergo fortiter pugnare debemus.

Assumptio probatur, quia cùm mare haberent à tergo, non erat, quò fugientes pelago appellerent.

ORATIO LXXII.

JUnonis ad Jovem pro Turno.
Motus *Misericordia.* Mores *blandientis Conjugis.*
Duæ sunt partes, *Exordium* & *Contentio.*

Quid ô) In *Exordio* & queritur, quòd se mœstam Jupiter etiam irrideat, & causam affert honestam, cur cedat Trojanis.

Si mihi quæ) Turni mortem deprecatur triplici ex capite; primò quidem, quòd hoc Juno Conjux petat; secundò, quòd ab Jove genus ducat; tertiò quòd de illius Numine optimè meritus esset; *Arist. l. 2. c. 8. t. 90.*

ORATIO LXXIII.

TUrni, dum procul à pugna, Junonis dolo, ferretur.
Motus *Pudor.* Mores *Viri de sua fama soliciti.*
Duæ sunt partes. *Querela*, & *Imprecatio.*

Omnipotens) Queritur, tales à se pœnas Jovem expetere; fugam enim morte ipsa longè acerbiorem putabat.

Quò feror) Hoc unico versu quatuor circumstantiæ continentur, propter quas fuga turpis erat: 1. ad domesticos lares fugiens redibat, 2. Suos relinquens in maximo vitæ discrimine: 3. Ab hostibus in fugam turpiter versus; 4. Non solùm inglorius, sed & infamis. Cætera, quæ subsequuntur, secundam circumstantiam attingunt.

Quid agam?) Mortem sibi, & naufragium imprecatur; tanta erat *Verecundiæ* vis, *ex Arist. l. 2. c. 6. t. 65. & 68.*

ORATIO LXXIV.

MEzentij, Lausi filij mortem deplorantis.

Motus *Misericordia.* Mores *mœstissimi Parentis.*

Tantáne) Dolet suam sibi chariorem vitam fuisse, quàm filij.

Heu nunc) Infortunium hoc suum amplificat *à Comparatione minorum,* nam exilium, cæterásque calamitates parvi anteà fecerat.

Idem ego) Se dicit suis criminibus innocenti filio regnum primùm, deinde vitam eripuisse; hinc *Misericordia ex Arist. l. 2. c. 8. t. 92.*

EX ÆNEIDOS LIB. XI.

ORATIO LXXV.

ÆNeæ ad suos milites post pugnam.

Motus *Confidentia.* Mores *Victoris Ducis.*

Maxima res) Ostendit Mezentij spolia à se interfecti, ut ad cætera *Confidentes* suos faciat; non enim timendi hostes; cùm, qui fortissimus inter eos erat, cecidisset, *Arist. l. 2. c. 5. t. 57.*

Nunc

Nunc iter) Urbis oppugnationem edicit; jubétque intereà sepeliri mortuos, & Pallantem ad Patrem deferri.

ORATIO LXXVI.

Æneæ extinctum Pallantem lugentis.
Motus *Misericordia.* Mores *Viri benevoli.*
Loci communes *ab Adjunctis.*

Téne inquit) Pallantis fatum ita deplorat *ab Adjunctis.*

Miserum est, tunc perire, cùm ex victoria præmia multa exspectantur;
Sed Pallas victor multa præmia sperare poterat;
Ergo miserrimè hoc tempore perijt.

Valet hoc ad excitandam *Misericordiam, juxta Arist. l. 2. c. 8. tex.* 89.

Non hæc) Illa ex persona Pallantis; quæ sequuntur, ex persona Patris eundem affectum movent; *loco citato.*

At non) Fortiter occubuisse Juvenem dicit, quod Evandro solatio esse poterat; séque & Ascanium magno spoliatos præsidio, ut ad se, suósque magis, quàm ad cæteros pertinere hunc luctum ostendat.

ORATIO LXXVII.

Evandri Patris, dum filium extinctum intuetur.
Motus *Misericordia.* Mores *constantis Viri.*
Loci Communes *à Comparatione*, & *ab Adjunctis.*

Non hæc) Dolet, frustrà se & salutaria Pallanti monita dedisse, quæ ille ferox nimiùm non servaverit: & Dijs vota pro filij salute fecisse.

Túque ô) Suimet luctûs magnitudinem amplificat *à Comparatione.*

Ille miserrimus; cujus pejor est conditio, quàm mortuorum;
Sed mea conditio pejor est, quàm mortuæ uxoris;
Ergo mortalium ego miserrimus.

Nec vos) Profitetur, se juncta cum Trojanis fœdera non idcircò reprehendere; quinimo superesse multa, quibus levari dolor possit, & sic arguit:

Illud funus minorem luctum affert, quod multum habet gloriæ;
Sed mors Pallantis maximam illi attulit gloriam
Ergo &c.

Assumptio probatur *ab Adjunctis*, quòd multis hostium cæsis, cum Turno, qui major erat ætate, congressus, dum Teucros in Latium duceret, gloriosè perierit, triumphali proinde à suis sepulchro donatus.

Sed infelix) Trojanos redire jubet ad Æneam, eúmque hortari, ne filij manes inultos patiatur.

ORATIO LXXVIII.

Diomedis ad Latinorum Legatos de bello contra Trojanos.

Motus *Timor*. Mores *Prudentis Principis*.

Loci communes *ab Effectis*, *& à Comparatione*.

Tres sunt partes, *Exordium*, *Contentio*, *& Conclusio*.

O fortunatæ) Latinos in *Exordio* laudat ad captandam *Benevolentiam*.

Quæ vos) Bellum cum Trojanis dissuadet *ab Effectis*:

Bellum illud vitare debetis, quod certam vobis perniciem allaturum est;
Sed bellum cum Teucris certam vobis perniciem afferet;
Ergo vitare illud debetis.

Quicunque) *Assumptionem* probat, memorans, quæ, & quanta passi fuerint Græcorum Duces post eversum

Ilium;

Ilium ; suásque præcipuè calamitates amplificat ob sauciatam Venerem.

Munera, quæ) Legatos hortatur, ut quæ ad se munera detulissent, ad Æneam potiùs deferrent, pacis impetrandæ gratia, eúmque laudat *à Comparatione.*

Hector fortissimus fuit Trojanorum ;
Sed Æneas est Hectori par ;
Ergò hic non minùs timendus.

Quem prætereà tùm fortitudine parem, tùm pietate superiorem facit; omnia valent ad incutiendum *Timorem, ex Arist. lib. 2. cap. 5. tex. 48. & 52.*

Coëant) *Conclusio*, quà Diomedes Latinos ad pacem hortatur, bellúmque omninò dissuadet.

ORATIO LXXIX.

Latini Regis ad suos de componenda pace cum Trojanis.

Motus *Timor.* Mores *providi Principis.*
Loci communes *ab adjunctis*, & *ab Antecedentibus*
Tres sunt partes. *Exordium, Contentio, & Conclusio.*

Antè equidem) *Exordium* ducitur *ab Adjunctis* temporis, se enim increpat, quòd Patres ad deliberandum convocaverit tempore importuno.

Bellum) Sic deinde *ab Adjunctis* personarum bellum dissuadet :

Cum viris invictis, & à Diis genus ducentibus non est bellum gerendum ;
Tales sunt Trojani.
Ergo cum iis bellum gerere non debemus.

Assumptio) expressè habetur, quæ pendet *ex Arist. l. 2. c. 5. t. 41.*

Spem si quam) Cùm nullà jam in Diomede spes esse possit, ne ipsis quidem seu Rutulis, seu Latinis fidendum esse ostendit *ab Antecedentibus.*

 Qui

Qui ſemel victus eſt, facilè iterum vincetur;
Sed nos ſemel à Trojanis victi ſimus;
Ergo iterùm facili negotio ab ijſdem vincemur.

Comprobat autem *Aſſumptionem* ex eo, quòd totis viribus, & ſingulari virtute à Latinis pugnatum ſit; *ex Ariſt. loc cit. tex. 52*

Nunc adeò) Exponit ultimò, quibus conditionibus cenſeat jungendum eſſe fœdus cum Trojanis; omnia patent de agro, de navibus, de Legatis.

Conſulite) *In Concluſione* hortatur Patres, ut rebus in manifeſto periculo conſtitutis conſulant, & liberas dicant ſententias.

ORATIO LXXX.

DRancis in Latinorum Concilio pro pace.
Motus *Odium*. Mores *Viri ingenui*.
Loci communes *ab Effectis*.
Tres ſunt partes, *Exordium, Contentio, & Peroratio*.

Rem nulli) *Exordio benevolentia* Regis conciliatur; ait enim univerſum Populum cum eo ſentire, ſimúlque *odio* dignus perhibetur Turnus, cujus timore cæteri vera loqui non auderent; *Ariſt. l. 2. c. 4. t. 26.*

Cujus ob) Turnum itaque apertè inſectatur argumento *ab Effectis*.

Ille odio dignus, qui tot civibus, & illuſtribus Viris perniciem attulit;
Sed Turnus tot Civibus, & fortibus Viris cauſa fuit mortis;
Ergo odio dignus.

Fugæ fidens) *Aſſumptionem* urget, quòd, cùm Turnus certiſſimis alios objiceret periculis, ſe ipſe turpi fuga ſervaverat, *Ariſt. loc. cit. tex. 35.*

Unum etiam). Præter cæteras pacis conditiones, quas Rex memoraverat, cenſet etiam Drances dandam

Æneæ

Æneæ in matrimonium Laviniam; & invidiosâ obtestatione Turnum precatur, ut Latino Populo tandem parceret, quasi nimirùm Rex ipse foret, non Latinus.

Pone animos) *Peroratio*, qua Turno vel pacem offert, vel singulare cum Ænea certamen, & argumento utitur *ab honesto*.

ORATO LXXXI.

TUrni contra Drancem pro bello.

Motus *Indignatio & Confidentia*. Mores *Viri militaris*.

Loci communes *ab Adjunctis, & à Repugnantibus*.

Dividit orationem in duas partes; primùm Dranci respondet, deinde Latino.

Larga quidem) In Drancis vanam eloquentiam invehitur, *ab Adjunctis*:

Dum urgent hostes, frustrà dicendo tempus teritur;
Sed nunc hostes urgent;
Ergo frustrà dicendo tempus teritur.

Subdit hoc Drancem idcirco tutò facere, quòd mœnibus adhuc hostes arceantur, nec cœpta sit Urbis oppugnatio.

Méque Timoris) Increpat præterea, quòd homo timidus, & ignavus timiditatis arguat Virum fortem, ac strenuum; sic *ab absurdo*.

Indignum est, fortem virum ab ignavo timidum vocari;
Tu ignavus, ego fortis Vir sum:
Ergo indignum est, me à te vocari timidum.

Hortatur enim Drancem, ut in re præsenti periculum faciat, uter eorum timidus dicendus sit; adeòque *Assumptio* movet *Indignationem lib.* 2. *c.* 9.

Pulsus ego?) Crimen fugæ diluit *à Repugnantibus*.

Ille non fugit pulsus ex acie, qui multos hostes, eósque fortissimos interfecit;
Sed ego plures ex hostibus, eósque fortissimos interfeci.
Ergo non fugi pulsus ex acie.

Nulla salus) Drancis vanam eloquentiam eam esse contendit, quæ Trojanæ gentis bis victæ potentiam extollat, Latinæ deprimat; ídque ut sublato timore *Confidentes* suos faciat; *l.* 2. *c.* 5. *t.* 42.

Nunc &) *Ironia*, quæ pertinet ad superiora.

Vel cùm se) Drancem arguit malignitatis, qui se mortem timere simulet, ut in invidiam Turnum vocet; respondet autem *ab incongruo.*

Nunc ad te) Altera pars Orationis, qua Latino Regi respondet, & adhuc spei multum superesse in armis docet, *ab Adjunctis.*

Bene sperare possumus, si multos milites, & socios adhuc habemus, & ipsi etiam hostes magnam cladem acceperunt;
Sed ita res se habet;
Ergo benè sperare possumus de exitu belli.

Præmissâ admodùm artificiosâ *Concessione*, probat *Assumptionem*, ex qua oritur *Confidentia ex Arist. l.* 2. *c.* 5. *t.* 56. quod *à Causis* prætereà confirmat, ab incerto nimirum bellorum exitu.

Quod si me) Singulare cum Ænea certamen, quod Drances obtulerat, non respuit, séque ad utramque sortem paratum ostendit; qua ratione tùm Regem, tùm reliquos Patres sibi *benevolos* reddit.

ORATIO LXXXII.

QUa Tyrrhenus Tarchon suos fugientes increpat. Motus *Verecundia*. Mores *strenui Ducis*. Loci communes *à Causis, & Effectis.*

Quis

Quis metus) Tarchon milites suos increpat, ut ignavos, adeóque *Verecundiam* movet ex *Arist. l. 2. c. 6. t. 65.*

Fœmina) Idem exaggerat *à Causis*:

Turpe est Viros à fœmina in fugam verti;
Sed fœmina est, quæ vos vertit in fugam;
Ergo id est vobis turpissimum. Idem ibidem.

At non in) Increpatoriam Orationem concludit argumento *ab Effectis*.

Illi sunt imbelles, qui strenui in thalamis, & conviviis sunt, timidi in acie;
Vos tales estis;
Ergo maximè imbelles.

EX ÆNEIDOS LIB. XII.

ORATIO LXXXIII.

Latini Regis ad Turnum, singulare cum Ænea certamen poscentem.

Motus *Benevolentia*. Mores *Sapientis Principis*.
Loci communes *à Causis, ab Effectis, & à Consequentibus*.

Tres sunt partes *Exordium*, *Contentio*, *& Peroratio*.

O præstans) *Exordium* mores exhibet tum ferocis Juvenis, tum cordati senis, *juxta Arist. lib. 2. cap. 12. & 13.*

Sunt tibi) Quoad Turnum pugnam dissuadet *à remotione Causarum*.

Pugnam petis, ut meam filiam, regnúmque consequaris;
Sed neque filia, neque regnum adeò tibi cordi esse debent;
Ergo his de causis periculosæ pugnæ te committere non debes.

Probat *Assumptionem*, quia & aliam æquè nobilem Sponsam quærere sibi poterat, & Regis filius, & hæres erat; multáque præterea ipse promittit, ad conciliandam *Benevolentiam ex Arist, l.* 2. *c.* 4. *t.* 25.

Me natam) Quoad se rem hoc argumento pertractat, *à Causis*:

Id non possum efficere, quod fata prohibent?
Sed vetant fata, dari in matrimonium Italo; adeóque tibi, Laviniam;
Ergo tibi Laviniam in matrimonium dare non possum.

Ex illo qui) *Assumptionis* approbatio *ab Effectis*.

Quò referor) Cùm igitur ex fati necessitate Sponsa Æneam, adeóque certa mors Turnum maneret, negat Latinus se id pati velle, & affert argumentum *à Consequentibus*,

Ex tua morte maxima mihi apud omnes Italos infamia consequetur;
Ergo debeo id omninò prohibere,

Natam &) *Antecedens* probatur *ab Adjunctis*.

Respice res) *Peroratio* constat affectibus ab incerto bellorum exitu, & senio Patris Dauni.

ORATIO LXXXIV.

QUa Juturna assumptâ Camertis personâ ad violandum fœdus Rutulos hortatur.

Motus *Pudor, & Confidentia*. Mores *Viri bevevoli*,
Loci communes *Ab Adjunctis*, *& à Consequentibus*.

Non pudet) Rutulos timiditatis arguit; unde *Verecundia*, *l.* 2. *cap.* 6. *tex.* 65.

Numero ne) Deinde *ab Adjunctis* sic arguit:

Qui

Qui numero superiores sunt, & pugnâ superiores erunt;
Nos hostibus numero superiores sumus;
Ergo & pugnâ superiores erimus. *Arist. l. 2. c. 5. t. 56.*

Ille quidem) Eorum conditionem pejorem futuram esse ait, quàm Turni pereuntis, idque probat *à Consequentibus*;

Turpe nobis est Teucros habere Dominos;
Sed cogemur Teucris parere, Turno interfecto;
Hoc igitur prohibere utcunque debemus.

ORATIO LXXXV.

Turni ad Sororem Metisco aurigæ assimilatam.
Motus *Pudor*. Mores *Viri de sua fama soliciti.*
Loci communes *à Causis.*

O soror) Agnoscit Sororem, eámque unam esse, quæ fœdera turbaverit, séque procul à pugna pertraxerit.

Sed quis) Increpat, quòd in terram minimè opportuno tempore descenderit; argumentum ducitur *à Causis.*

Non decebat videre te mortem fratris,
Sed è cælo venisti, ut mortem fratris videres;
Ergo huc importuno tempore venisti.

Nam quid ago?) *Causas* assignat, cur mori velit, ne post suorum funera ipse superstit, ne Urbs ipsa oppugnetur, ne vera de Turno dixisse Drances videatur; ex quibus omnibus Turno *Pudor l. 2. c. 6. t. 65.*

Usque adeò) Mortem longè optabiliorem esse ait, quàm hanc pati infamiam.

Vos mihi) Per *Apostrophen* ad Inferos suam illis animam commendat, séque non ingloriam, neque suis indignum avis moriturum esse affirmat; quod unum ipsi solatio esse poterat.

ORA-

ORATIO LXXXVI.

QUa Sages Turnum ad opem Urbi ferendam extimulat.

Motus *Timor.* Mores *adversa nuntiantis.*

Omnia breviter Turno exponit; oppugnationem Urbis, Latinorum Regísque ipsius angustias, Amatæ Reginæ mortem, suorum periculum. Ex his *Verecundiam* in Turno excitari necesse erat, ut habetur *lib.* 2. *c.* 6. & hoc videbatur esse satis, ut Juvenis ad auxilium suis ferendum evolaret de suimet ipsius fama solicitus.

ORATIO LXXXVII.

JOvis ad Junonem, ut cessaret aliquando Trojanos odisse.

Motus *Indignatio,* Mores *Jove digni.*

Loci communes *à Contrariis,* & *ab Enumeratione partium.*

Partes sunt tres *Exordium, Contentio*, & *Conclusio.*

Quæ jam) *Exordium* concitatum, & quod iratum Jovem decebat.

Indigetem) Junonem reprehendit, quòd ipsa hortante Juturna fratri ensem reddiderit, ducto argumento *à Contrariis.*

Immortalis vulnerari non debet, & victus vincere;
Æneas immortalis est, Turnus jam victus;
Ergo huic vires addi, illi vulnus intentari non debebat.

Hinc *Indignatio, ex Arist. l.* 2. *c.* 9. *t.* 95.

Desine jam) Hortatur, ut aliquandò quiescat, tali Syllogismo:

Qui

Qui fruſtrà in inimicum omnia tentavit, quieſcere tandem debet;
Sed tu omnia in Trojanos fruſtrà tentâſti;
Ergo quieſcere aliquando debes.

Aſſumptio patet *ab Enumeratione* malorum, quorum Juno cauſa fuerat Trojanis, poſtquam è litore Trojæ ſolverant.

Ulteriùs) *Concluſio.*

ORATIO LXXXVIII

Junonis ad Jovem pro Latino Populo.
Motus *Amor.* Mores *obſequentis Uxoris.*
Loci communes *ab affectis.*

Iſta quidem) Negat ſe poſt perſpectam voluntatem Jovis quapiam in re Rutulos, ac Turnum juviſſe; utitur autem argumento *ab Effectis.*

Si faverem Rutulis, in acie nunc ſtarem:
Sed hîc extra aciem inter nubes quieta conſtiti;
Ergo Rutulis, Turnóque non faveo.

Juturnam) Fatetur, ſe ſuaſiſſe Juturnæ, ut fratri opem ferret, non tamen, ut jam penè victo enſem redderet, quod objecerat Jupiter.

Illud te) Illud tandem petit à Jove, cùm ne fata quidem id prohiberent, ne juncto fœdere Latini dicerentur Trojani, ipsáque tellus nomen à Victore populo acciperet; ut fieri plerúmque ſolebat.

F I N I S.

DESCRIOTIONES VIRGILIANÆ

ORDINE ALPHABETICO DISTRIBUTÆ.

Primus numerus librum, alter versum demonstrat.

B. Bucolicorum. G. Georgicorum
Æ. Æneidos opera signant.

*Asteriscus * Descriptiones occasione comparationis adductas distinguit; quò faciliùs quisque eas dignoscere valeat, oppositus.*

A.

Anguis,

Au-

Ci-

D

F.

F

G

H

I

N.

O.

S.

Spiri-

FINIS.

COM-

COMPARATIONES ET SIMILITUDINES,

Quibus Virgilius quibusdam quasi gemmis præclarissima Bucolicorum, Georgicorum, & Æneidos opera distinxit: in Alphabeticam seriem digestæ.

Additis *Homeri*, *Apollonij*, cæterorúmque locis, quæ eruditissimus Poëta partim imitando adumbravit, partim æmulando feliciùs expressit.

Annotationibus item eruditis, quibus operæ pretium visum est, locis appositis.

Primus numerus Librum, alter versum indicat.

A.

Acies instructa cum ordine, quo vites disponendæ sunt, confertur. G 2. V 279

Accipitri columbam eviscеranti Camilla Aunum ad satietatem mactans assimilatur. Æ. 11.721

Ægeonis seu Briarei hyperbolica comparatio adducta ad Æneæ in pugna ardorem exprimendum. Æ. 10. 565

Amazonum pugnandi consuetudo ad amnem Thermo-

modoonta cum ratione bellandi Camillæ comparatur. Æn. 11. V. 659

Amor, quo Menalcas Amyntam prosequitur, humori, salici, & hujusmodi æquatur Buc. Ecl. 3. 82

Apollinis Deum invisentis cum Ænea venatum procedente collatio, quæ habetur apud Apollon, 1. Argon. Volens autem Virgilius Æneæ speciem non paulò augustiorem humanâ facere, Apollini comparat maximè ob habitum pharetræ. AE. 4. 143

Apri jam desperati, & in certam mortem irruentis comparatione Helenoris in medios hostes sese injicientis, audacia exprimitur. Desumpta est hæc comparatio ex *Homer. Il* 129. De simili Lucanus:
Si subeant venabula pectus,
Per ferrum tanti securus vulneris exit. *AE.* 9. 551

Apro ferocienti *Mezentius* furens, & fremens æquatur ex *Hom Il.* 11. *AE.* 10. 707

Apum trepidatio, dum fumo à pastoribus è cavernis petrarum per expugnationis speciem exturbantur, comparationis vice adducta ad explicandam *Civium Latinorum* perturbationem, ex nova, & subita Urbis oppugnatione. AE. 12. 587

Apum sedulò ad opus suum incumbentium collatione, *Pœnorum* solertia in ædificanda Carthagine illustratur *ex Hom. Il,* 15. *AE.* 1. 433

Apum in flores devolantium ad æstivam mellificationem similitudine *Umbrarum* densa circa amnem Lethæum volantium frequentia ob oculos ponitur. AE. 6. 707

Aqua fomento lignorum aënis bullientibus subjectorum crepitantis, vix se alveæ ollæ continentis collatió adducitur ad æstuantem irâ *Turnum* oculis subjiciendum: estque comparatio hæc apud *Hom. Il.* 21. Macrob. autem recenset hunc locum inter eos, in quibus Virgilius Homerum super sse videtur. AE. 7. 461

Aqui-

Centauris Catillus & frater ad bellum properantes comparantur, *ex Hom. Il.* 56. Æ. 7. V. 674

Cervæ à venatore percussæ *Dido* amore furens assimilatur : desumitur collatio hæc *ex Il. Hom.* 122. Æ. 4. 69

Circi Romani exemplo *cursus navalis* illustratur ad imitationem *Homeri Il.* 256. juxta Macrob. l. 5. Sat. c. 11. & Scal. l. 5. Poëtarum c. 3. Æ. 5. 144

Columbæ naturâ, volatúsque ratione *Mnesthei* primò post superatum Sergestum, in navali cursu velocitas, deinde æquabilis cursus ad prætervehendos Gyan, & Cloanthum amplificatur. Columbarum enim volatus initio vehemens, & impetuosus, processu levis & æquabilis redditur. Æ. 5. 213

Columbis urgente tempestate se densantibus assimilantur *Hecuba, & filia* Pyrrho instante, aram tenentes. Æ. 2. 516

Cometæ sagitta ab Aceste contorta, & in ignem conversa comparatur sumpta collatione à natura quorumdam sydèrum, quæ quamvis cœlo fixa hæreant, tamen alimento tracti humoris igneam viam reddunt, de quibus Ovidius: *Quæ si non cecidêre, potest cecidisse videri.* Æ. 5. 525

Cometarum, & Syrii Stellæ ardori *arma Æneæ* comparantur. Æ. 10. 270

Cybele Deorum Mater per comparationem inducitur ad commendandam *Romæ* felicitatem. Æ. 9. 784

Cyclopum assidua sedulitas adducitur ad *Apum* diligentiam illustrandam. G. 4. 170

Cycnorum à pastu clangori plausus, ac fremitus *militum* Messapum regem canentium assimilatur *ex Hom. Il.* β *notante Macrob. Sat. l.* 5. *c.* 8. Æ. 7. 699

Cymbis saburrâ se onerantibus, cùm fluctibus jactantur. *Apes* lapillos, cùm ventus ingruit, arripientes, æquantur. G. 4. 195

D.

D.

DElphinum, & *Trojanorum Ludicra* inter se conferuntur eruditâ, atque ad rem accommodata collatione. Animalia enim hujusmodi sunt homini amicissima, & musicâ symphoniâ apprimè delectantur, adeò ut navibus aliquando exsultantia alludentiáque sese offerant teste Plin. l. 9. c. 8 Æ. 5. 594

Dianæ pulchritudo cum *Didonis* forma confertur ad exemplum *Homeri, qui Nausicaæ formam Dianæ comparavit Odyss. 51.* Æ. 1. 502

E.

EBoris ostro ἀνδρεικέλῳ seu carneo violati collatione *Laviniæ* pulchritudo exprimitur. *Ex Hom. Il l. 4.* Æ. 12 67.

Equo exultanti armatus *Turnus* æquatur. Homerica hæc collatio est ab Ennio primò translata, deinde à Virgilio in hunc locum assumpta;

Ennii versus sunt sequentes.

Et tum sicut equus, qui de præsepibus actus
Vincla suis magnis animis abrupit, & inde
Fert sese campi per cærula, lætaque prata,
Celso pectore sæpè jubam quassat simul altam,
Spiritus ex anima calida spumas agit albas.

Quantò verò Virgilius lepidiùs, & splendidiùs eadem carmina expresserit, non crassi judicij lector potest videre ex libro. Æ. 11. 492

Equorum in curruli certamine procurrentium impetu clades universi Orbis bellorum tumultibus per comparationem augetur. G. 1. 512

F.

G.

G.

Angi & *Nilo* Fluminibus *agmen Rutulorum* comparatur. AE. 9. 30
Gemmæ auro circumdatæ, *Monilis & eboris*, buxo aut terebintho inclusi, collatione *Ascanii pulchritudo* mirum in modum exornatur. AE. 10. 134
Grandini verbera ab Entello Dareti inflicta assimilantur* *Eodem modo Homerus lapidum jactus utrimque provolantium in prælio nivibus hybernis comparat, adeò ut non sit dubitandum, quin Virgilius hanc collationem ex Hom. Il. 2. desumpserit, quæ licèt sit hyperbolica, adeò aptè rei applicatur, ut nata huic loco, non quæsita videatur.* Æ. 5. 458
Gruum in aëre clangori *Trojanorum spes æquatur ex Hom. Il. 3.* Æ. 10. 264

H.

Irundinis solicitæ pathetica collatione *Juturnæ* pietas in custodiendo Turno illustratur. Æ. 12. 473
Hyacintho morienti *Euriali* obitus assimilatur. ib. 9. 435
Hyacinthi decerpti color cum defuncto *Pallante* confertur. Æ. 11. 68

I.

Gnibus & *amnibus* obvia omnia devastantibus ac depopulantibus *Turni, & Æneæ* Ducum præclarissimorum impetus assimilatur. Æ. 12. 521
Imago seu *Umbra* Anchisæ *vento* & *somno* levitate comparatur; cùm frustrà eam Æneas amplecti conaretur. *Quod sumptum est ex Hom. Odyss 96. Ubi Ulysses Matris umbram amplecti cupiens simili modo frustratur.* Æ. 6. 702

Imbri effuso, *& sagittæ intortæ* comparantur *Apes* ex mortuo bove, quo reparantur, erumpentes. G. 4. 312

Imbris collatione ardor *pugnæ* inter Trojanos, & Rutulos declaratur. * *ex Hom. Il.* 104. Æ. 9. 668

Incendij æstivo tempore flantibus ventis excitati exemplo, *Virtus Arcadum* in pugna illustratur. *Quidpiam simile est apud Arist. Meteor. l. 1. c. 4.* Æ. 10. 405

Incendij similitudo adducitur in Georgicis ad probandum *Oleastrum* vitibus non inserendum; *ex Hom. Il. β. desumpta.* G. 2. 303

Inferorum immensæ profunditati, & voragini hyperbolicè & tragicè *Speluncæ*, quam Cacus monstrum incolebat, squallidus horror comparatur: *ex Hom. Il.* 220. *sumpto exemplo.* Æ. 8. 243

Iridis comparatione *Serpentis*, qui è tumulo Anchisæ, dum sacra fierent, prodijt, descriptio ob oculos ponitur. Æ. 5. 88

Itineris, quod fit in sylvis sub luna subjectis nubibus partim intercepta, partim sylvarum opacitate occupata comparatione, *Inferorum* caligo oculis subjicitur. Æ. 6. 270

L.

L*Abyrintho*, Troja, equestre certamen, quam Ascanius peregit, comparatur * *ex Hom. Il.* 143. *& ex Argon. Catulli desumpta videtur comparatio. Porrò Labyrinthus in Creta, ut notum est, erat à Dædalo instructus, portentosissimum, ac maximè stupendum opus, itinerum anfractibus, atque ambagibus occursus, recursusque inexplicabiles continens, crebris foribus ad fallendos exitus, & ad redeundum, semper in eosdem errores Theseus autem devicto Minotauro saltationem instituit ad speciem Labyrinthi erroribus flexuosis; unde mirum non sit: Poëtam Ludum Trojanum apposita labyrinthi collatione descripsisse.* Æ. 5. 588

Leo-

Leonis in pecus grassantis similitudine *Nisi* ferocitas in hostes desævientis declaratur. * *Homerus eadem utitur comparatione de Diomede Thracas somno oppressos cædente. Il.* 10. Æ. 9. 340

Leoni multitudine presso nec terga præbenti ob pudorem vel iram, nec in venatores impetum facienti ob inæqualitatem virium, *Turnus* æquatur, cùm nec præ animi generositate fugam arriperet, nec hostium tela solus sustinere posset. *Ex Hom. Il.* 17. ib. 9. 793

Leoni percusso, furor & ardor *Turni*, conjicientibus in ipsum Latinis culpam rei malè gestæ, assimilatur: *ex Hom. Il.* 5. ubi Diomedes saucio ibidem Leoni comparatur. ibid. 12. 4.

Leonis ad prædam advolantis altera collatione *Mezentij* in hostes confertos irruentis virtus amplificatur *ex Hom. l.* 3. *Il. sumpto exemplo, quod etiam annotavit Macrob. Sat.* 5. *c.* 10. ibid. 10. 723

Luna novæ leviter per nubes sublucentis imagine exponitur qualis assistenti Æneæ visa fuerit *Didonis* Phœnissæ *umbra* in inferis. ibid. 6. 453

Lupi, quem improba ventris rabies exigit, ad caulas ovium aditum frustrà quærentis emphatica, & energiæ plena comparatione *Turni* Trojanos mœnibus tutos frustrà oppugnantis, impotentes affectus clarissimè ob oculos ponuntur. ibid. 9. 359

Luporum, quos aut propria, aut catulorum vesana fames exstimulat, rabies cum furore *Trojanorum*, quos Oratio Aeneæ ad certam necem, per tela, per hostes subeundam accenderat, confertur *ex Hom. Il.* 176. ibid. 2. 355

Lupi Agnum rapientis similitudine *Turnus* Lycum abripiens amplificatur *ex Hom. Il.* 12. & 22. *Æ.* 9. 565

Lupi abdentis se in sylvas post audax facinus collatio adhibetur ad explicandam fugam *Aruntis*, Camillâ illustri fœminâ occisâ: *ex Il. Hom.* 170. *Æ.* 11. 809

Lusciniæ abreptos pullos deflenti *Orpheus* Eurydicem sublatam deplorans confertur; collatio videtur *ex Hom. Odyss.* τ desumpta. G. 4. 512

M.

Maris sensim intumescentis imagine, *tumultus* Trojanorum, & Rusticorum concurrentium explicatur. AE. 7. 528

Maris reciprocus æstus, quod statis fluit horis ac refluit, currit atque recurrit, adducitur *ad vices ac simulacrum* fugientium ac refugientium in pugnæ congressu oculis proponendum ibid. 11. 624

Maris sensim intumescentis comparatione, quomodo *tumultus inter Trojanos, & Pastores Tyrrhi*, cujus cervum Troës occiderant, creverit, ostenditur *exemplo Hom. Il.* δ. At Macrobius contendit non satis Homeri majestatem Virgilium in hoc assecutum esse: quod, qui me acutius vident, perspiciant. ib. 7. 528

Martis ad Hebrum belligerantis, & fremebundi descriptione *Turni* audacia, volitantis, proterentis, necantis plurimos, AEnea ex acie absente, amplificatur. ibid. 12. 331

Matris Deorum tacito, quod recordatione numerosissimæ, atque amplissimæ prolis concipit, gaudio, per comparationem perelegantem *Urbis Romanæ felicitas* pervenustè amplificatur: *qua similitudine Poëta fortè voluit inferre Duces Romanos, heroas illustres futuros & propter beneficia & pietatem in patriam, tandem in Divorum numerum relatum iri.* ib. 6. 784

Mergi & Mercurii volatus conferuntur. * *Mergo Virgilius Mercurium comparat, Homerum imitatus, qui eundem Laro seu Fulicæ similem facit, Odyss* 5. *avi scilicet rapaci piscesq; venanti, respiciens, opinor, ad furacem illius naturam; quippe qui furum Deus nuncupetur; noster*

noster autem Poëta Mergo comparat nullos sectanti quidem pisces, sed super aquam volanti, tantùm ut volatûs celeritatem amplificet. Æ. 4. 254

Molis ex saxo, latere, cæmento, ligneísque pilis conflatæ, & ad arcendum mare, tutandósque portus institutæ ruina, & ex ea maris collisio adducitur ad exprimendum *occasum Bitiæ* à Turno interfecti. Æ. 9. 709

Montium superlationibus, magnitudo animi, & vires Æneæ attolluntur. *Athos mons Thraciæ est, Eryx Siciliæ, Apenninus Italiæ,* & hos AEneas complere hyperbolicè ostenditur AE. 12. 701

Mugitibus Tauri percussi, *clamores Laocoontis* Sacerdotis ad aspectum serpentium perterrefacti comparantur *ex Hom Il. 19. sumpto exemplo.* Ae. 2. 223

Murmuris obtusi amnium, quorum fauces præcluduntur injectis saxis, apta similitudine, *fremitus* obtusus Principum in concilio Diomedis, ejus & consilium, & responsum obstupentium explicatur. *Ex Hom. Il. 2. traducta est comparatio.* Ae. 11. 297

Murmuri, quod arcana naturæ ratione ante ventorum flatum, & tempestatem fit in sylvis, *fremitus* Deorum in Concilio Jovis æquatur. Ae. 10. 98

N.

N*Autarum* cùm portum, navibus tempestate jactatis & scopulis, tandem attingunt, lætitia per comparationem adducitur, ut probetur *Agricolis* hyeme *lætandum.* G. 1. 303

Nautæ adverso flumine remigium subigentis, & brachia casu remittentis exemplo, aggressa omnia *in pejus ruere*, nî maxima adhibeatur diligentia, demonstratur. G. 1. 201

Simile quidpiam apud *Senec Hip est. Sic cùm gravatam navita adversâ ratem propellit undâ; cedit in vanum labor, & victa prono puppis aufertur vado.*

O

OPpugnantis Urbem, & ejusdem nequicquam aditus vestigantis solertia, studiosâ sed hyperbolicâ comparatione, Daretis studium initum in oppugnando Entello, sed frustra laborantis, operámque Indentis, amplificatur. Æ. 5. 439

Orionis ingentis magnitudinis monstri aut syderis comparatione robur, vis, & heroica proceritas *Mezentij* attollitur, Æ. 10. 763

Oresti Agamemnonis, & Clytemnestræ filio matrem facibus furiarum armatam fugienti, *Dido* furens stimulis infelicis conscientiæ agitata comparatur. *Orestis historiam, & hujus loci claram notitiam si cupis, vide Tragœdiam Æschili, cui nomen Eumenides.* Æ. 4. 469

P

PAstoris soliciti in recensendis ovibus pecoribusque vespere adventante, exemplo, *Protei* cura in custodiendis Phocis meridionantibus exprimitur *ex Hom. Odyss. 4.* G. 4. 433

Penthei Thebanorum regis Echionis filii, qui ob contempta Bacchi sacrificia in summum furorem actus fuit, & à Bacchidibus Matre, & Matertera discerptus, collatione, *Didonis* furor stimulis conscientiæ ad mortem accelerandam adactæ comparatur: *cujus comparationis pars sumpta est ex Bacchis Euripidis, ubi Baccho evocanti Pentheus respondet, duos se Soles, binas Thebas, urbemque septifaucem videre se videri.* Æ. 4. 469

Pinûs ad terram cadentis similitudine *Entelli* in certamine concidentis casus exprimitur; *ad imitationem Hom. ut in Il. 181. apparet: est enim illi hoc peculiare, ut maximarum arborum ruinis fortium virorum casus æquiparet.* Æ. 5. 448

Q.

Q

Quercubus, *Pandarus*, & *Bitias* fratres comparantur *Homerica collatione desumpta ex Iliad* 10. *ubi Polypetes, & Leoteus partarum defensores Quercubus comparantur.* Æ. 9. 679

Quercubus, quæ sublimes in aëra se extollunt, & *Cyparissis*, *Cyclopum* vastitas æquatur. Æ. 3 679

Quercûs ad flatus ventorum immotæ collatione, *Æneæ* ad fletus Didonis, & Sororis Annæ haud commoti constantia explicatur. *Ex Il. Hom.* 131. *Virgilius Quercum veterem appellat, quippe quæ centum, & ampliùs annos crescat totidémque senio conficiatur: ut igitur obfirmatam animi constantiam in Ænea, & quibus machinis tentatus ipse non cesserit subijciat oculis, aptissimam collationem ab ipsa ducit, quam Ventus septemtrionalis suâ violentiâ sternere conatus, quòd nimis altis radicibus hæreat, frustrà laborat.* Æ. 4. 441

Qui numerum *vitium* nôsse cupit, ei similis ostenditur, qui *arenarum* aut *fluctuum* feriem dignoscere velit; *ex Il. Hom.* 27. & *Odyss.* 1. 5. G. 2. 105

R

Roma cum *Cupresso* bucolicè confertur. B. E. 1. 25

Reciprocatione maritimæ, *bellica* assimilatur *ex Hom. Il.* 4. & *ex Apol.* 4. *Argonaut.* Æ. 11. 624

Ruina Arboris similitudine Trojanorum *excidium* amplificatur. Æ. 2. 626

Rupis seu scopuli circumlatrantes undas eludentis descriptione *Latini Regis* constantia in resistendo Turni consilijs, & Latinorum augetur. *Ex Hom. Il. lib.* 16. Æ. 7. 586

S

T.

T*Auri* ferocis inituri certamen cum Urso, aut Leone simulacro, *Turni* ferocia ante congressum extremum illustratur. Æ. 12. 103

Taurorum Monomachi â *Turni, & Æneæ* in extremo conflictu ferocia mirum in modum amplificatur. Æ. 12. 715

Tempestatis sensim excitatæ comparatio inducta ad ostendendum, tumultum inter Trojanos, & Rusticos Tyrrhi paulatim crevisse. Æ. 7. 528

Tempestatis gravi comparatione, *Æneæ* descendentis in pugnam robur, impetus, hostiúmque tacitus metus depingitur. Æ. 12. 451

Terræ biatus, seu vorago Inferorum adhibetur ad explicandam *Regiæ*, quam Cacus incolebat, deformitatem. Æ. 8. 243

Thyadum Bacchicarum cum *Didone* furentium comparatio. Æ. 4. 301

Thymi dulcedo, *Cycni* albedo, *hederæ* albæ formositas ad *Galateæ* dotes exornandas adducuntur. Buc. E. 7. 37

Tigris inter inertia pecora, & *Turni* intra hostilem urbem existentis comparatio. Æ. 9. 730

Tormenti muralis, *fulminis*, & turbinis, tribus congestis comparationibus hyperbolicῶς, vires impetúsque *Æneæ* hastam in Turnum torquentis exprimitur *ex Il. 30. Hom. ducta similitudine.* Æ. 12. 921

Torrenti, & Turbini Æneas in hostes desæviens assimilatur. Ae. 10. 603

Turbini, sive *Trocho, ut quidam*, quod pueri in plano solo scuticâ circumagere solent, *Amatæ* insanientis species comparatur. Ae. 7. 378

Desumpta videtur comparatio *ex Hom Il.. ξ.* De hoc Tibul. 1, El. 5.

Nám-

Namque agor, ut per plana citus sola verbere *turbo*,
Quem celer assidua versat ab arte puer.

Theoc. quoque in Pharmaceutria χ' ὡς δινεῖται ὁ ῥόμβος ὁ χάλκεος.

U

Ventorum conflictus confertur cum congressu *Graecorum*, & *Trojanorum ex Hom. Il.* 9. Æ. 2. 416

Ventorum conflictu, altera comparatione, pugna *Trojanorum cum Clauso*, *Aleso*, & *Messapo* explicatur *ex Hom. Il.* 16. Æ. 10. 356

Viatoris ambulando defessi simulacro, *apum*, quae bello victae decedunt, *notae* delineantur. G. 4. 96

Viatori, qui ignarus colubrum in via pressit, *Androgeos* Trojanis, quos Graecos opinabatur, obvius, ac ab iis recedens comparatur. *Hom. Il. 16. amplificat à simili.* Æ. 2. 379

Visci brumalis colori species *aurei rami*, quem ductu columbarum Æneas invenit, assimilatur. AE. 6. 205

Violae decerptae color cum defuncto *Pallante* confertur. AE. 11. 68

Vitis, uvae, Taurorum segetum rusticae collationes ad decora. *Daphnis* explicanda excogitatae. Ecl. 5. 32

Umbrae, & *somno* similis dicitur *junonis* inanis *forma* quae AEneam referebat. AE. 10. 641

Volatu Columbae, cursus Mnesthei, & sociorum, Sergesto naufragante, explicatur. Æ. 5. 213

F I N I S.

Dicta

Dicta Memorabilia,
ET
SENTENTIÆ OMNES,
Quibus Maro opus suum distinxit atque adornavit,

Ad Studiosorum commodiorum usum collectæ, & Alphabetica methodo disposita.

Numerus primus librum, alter versum ostendit,

A.

Ætas	OMnia fert *ætas*, animum quoque.	B. E. 9. 51
Agricola	O Fortunatos nimiùm, sua si bona nôrint *Agricolæ*.	G. 2. 458
Amans	Quis fallere possit *amantem?*	Æ. 4. 296
Amor	Quis enim modus adsit *amori?*	B. E. 2. 68
Et	Omnia vincit *amor*	B. E. 10. 69
rursùs	Improbe *amor* quid non mortalia pectora cogis?	Æ. 4 412
Item	Heu vatum ignaræ mentes! quid vota furentem,	

Quid

Quid delubra juvant? est *mollis flamma* medullas
Intereà, & tacitum vivit sub pectore vulnus. Æ. 4. 56

Et — Nunc scio quid sit *amor*, duris in cotibus illum
Ismarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec nostri generis Puerum, nec sanguinis edunt. Ecl. 8. 43

Demum — Omne adeò genus in terris hominúmque ferarúmque
Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres
In furias, ignémque ruunt; *amor* omnibus idem. G. 3. 244

Postremò — Durus *amor* crudeli tabe peredit Æ. 6. 442

Anxietas — *Animum* nunc huc celerem, nunc *dividit* illuc,
In partésque *rapit* varias, pérque omnia *versat* ibid. 4. 285

Anguis — Qui legitis flores, & humi nascentia fraga,
Frigidus, ò Pueri fugite hinc, latet *anguis* in herba. E. 3. 92

Arbusta — Non omnes arbusta juvant, humilésque myricæ E. 4. 2

À teneris laboriassue scendum. — Viámque insiste domandi,
Dum faciles animi juvenum, dum *mobilis* ætas. G. 3. 164

Audacia — Tu ne cede malis, sed contrà *audentior* ito,
Quàm tua te fortuna sinet Æ. 6. 95

Et — Audentes fortuna juvat ibid. 10. 284

Auri cupido — Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames? ibid. 3. 56

C.

C.

Carmina	*Carmina* vel cœlo possunt deducere lunam,	
	Carminibus Circe socios mutavit Ulyssi:	
	Frigidus in pratis *cantando* rumpitur anguis.	E. 8. 69
Casus	Attulit ipse viris optatum casus honorem.	Æ. 5. 201
Causa	Felix qui rerum potuit cognoscere *causas*:	G. 2. 490
Color	Nimiùm ne crede colori:	
	Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.	E. 2. 17
Conscientia	Furiarum maxima juxtà accubat.	Æ. 6. 605
Consuetudo	Adeò in teneris consuescere multum est!	G. 2. 272
Cordis affectus.	*Æstuat* ingens	
	Imo corde *pudor*, mistóque *insania luctu*,	
	Et furijs argitatus *amor*, & conscia *virtus*.	Æ. 10. 870
Cornix	Sæpè sinistra cava prædixit ab ilice *cornix*.	E. 1. 18
Cura	*Curis* (scilicet Jupiter) acuens mortalia corda.	G. 1. 123
Et	*Curæ* non ipsa in morte relinquunt.	AE. 6. 444

D.

D.

Decus.	EGregio *decus* enitet ore.	Æ. 4.	150
Deus.	*Deus nobis hæc otia* fecit	E. 1.	6
Et	Ponunt ferocia Pœni		
	Corda volente *Deo,*	Æ. 1.	306
Deo *ne resi-*	*Cede Deo,*	Æ. 5.	467
stas.	Heu nihil invitis fas quemquam		
Et	fidere *Divis.*	Æ. 2.	402
Dies la-	Optima quæque *dies* miseris		
buntur.	mortalibus ævi		
	Prima *fugit* : subeunt morbi,		
	tristísque senectus,		
	Et labor & duræ rapit incle-		
	mentia mortis :		
	Semper erunt, quarum mutari		
	corpora malis.	G. 3.	66
Discordia.	Sæpè duobus		
	Regibus incessit magno *discor-*		
	dia motu.	G. 4.	68
Diuturnum	Res siqua diu mortalibus ulla		
quid homi-	est.	Æ. 10.	861
ni?			

E.

Exemplum	* DIsce puer virtutem ex me,		
paternum	verúmque laborem,		
Æneas ad	Fortunam ex aliis : nunc te mea		
Filium.	dexterâ bello		
	Defensum dabit ; & magna in-		
	ter præmia ducet.		
	Tu *facito*, mox cùm matura a-		
	doleverit ætas,		

Sis

Sis *memor*, & te animo *repetentem* exempla tuorum,
Et Pater Æneas, & avunculus excitet Hector. Æ. 12. 435

Experientia Experto credite. Æ. 12. 284

F

Fœmina VArium, & mutabile semper *Fœmina* Æ. 4. 569

Fames Collecta fatigat edendi Ex longo *rabies*. Æ. 9. 64

Fames auri Quid non mortalia pectora cogis *Auri* sacra *fames*? Æ. 3. 56

Fata Desine fata Deûm flecti sperare precando. Ae. 6. 376

Item Manent immota tuorum *Fata tibi*. Ae. 1. 261

Rursus. *Fata* viam invenient. Ae. 10. 113

Favor. Tutatur *favor* Euryalum, lacrymæque decoræ,
Gratior & pulchro veniens in corpore virtus. Ae. 5. 343

Fides. Nusquam tuta *fides*. Ae. 4. 373

Fortuna. Superat quoniam *fortuna*, sequamur,
Quóque vocat vertamus iter. Ae. 5. 22

Item Audentes *fortuna* juvat. Ae. 10. 284

Furor *Furor* iráque mentem præcipitant. Ae. 2. 316

Furor ex amore. Heu! vatum ignaræ mentes! Quid vota *furentem*,
Quid delubra juvant? Est *mollis* flamma medullas
Interea, & tacitum vivit sub pectore vulnus. Ae. 4. 65

H

Hostis	Timeo *Danaos* & dona ferentes.	Æ. 2.	49
Item	Dolus an virtus, quis in *hoste* requirat?	Æ. 2.	390

I

Inferi	Facilis descensus *Averni*, Noctes atque dies patet atri janua *Ditis*: Sed revocare gradum, superásque evadere ad auras Hoc opus, hic labor.	Æ. 6.	620
Ira	Tantæne animis cœlestibus *iræ*?	Æ. 1.	15
Et	Vim suscitat *ira* Tum pudor incendit vires, & conscia virtus.	Æ. 5.	455
Rursus	Telum *ira* facit.	Æ. 7.	508
Item	Ignescunt *iræ*, & duris dolor ossibus ardet.	Æ. 9.	66
Itali	Durum à stirpe genus.	Æ. 9.	603
Jupiter.	Ab *Jove* principium Musæ, *Jovis* omnia plena.	Ecl. 3	60
Justitia	Discite *Justitiam* moniti, & non temnere Divos.	Æ. 6.	620

L

Labor	*Labor* omnia vincit Improbus, & duris urgens in rebus egestas.	G. 1.	145

Om-

item Omnibus est labor impendendus. G. 2. 61

rursùs Præcipuum jam inde à teneris impende laborem. G. 3. 74

Labor in re tenui. In tenui labor, at tenuis non gloria, siquem
Numina læva sinunt, auditque vocatus *Apollo.* G. 4. 6.

M.

Manes Quisque suos patimur *manes.* Æ. 6. 743

Memoria calamitatum Forsan & hæc olim meminisse juvabit. Æ. 1. 207

Et contrà est illud: Quamquam animus meminisse horret luctúque refugit. Æ. 2. 12

Memores Et bene apud memores veteris stat gratia facti. ibid. 4. 539

Mens humana. Nescia mens hominum fati sortísque futuræ.
Et servare modum rebus sublata secundis. ibid. 10. 502

Mori in armis Pulchrúmque mori succurrit in armis. Æ. 2. 317

N.

Negligentia. Vidi lecta diu, & multo spectata labore,
Degenerare tamen, ni vis humana quotannis
Maxima quæque manu legeret: sic omnia fatis
In pejus ruere, & retrò sublapsa referri. G. 1. 197

Naturâ omnia degenerant. Grandia sæpè quibus mandavimus *hordea* sulcis
Infelix *lolium*, & steriles dominantur *avenæ*
Pro molli *viola*, pro purpureo *Narcisso*, *Carduus*, & spinis surgit *Paliurus* acutis. B. E. 5. 36

O

Fleret vento mora nequa ferenti, Ae. 3. 473
Omnes Non omnia possumus omnes. B. E. 8. 64
Nec verò terræ omnes omnia possunt, G. 2. 109
Orator Regit dictis animos, ac pectora mulcet. Ae. 1. 157

P

Pœnitentia Sera Qui sibi lethum
Insontes peperêre manu; lucémque perosi
Projecêre animas, quàm vellent æthere in alto,
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores!
Fata obstant. Ae. 6, 434
Parcæ Sic volvere *Parcæ*. Ae. 1. 26
Patientia *Durate* & vosmet rebus servate secundis. Ae. 1. 211
Quò fata trahunt, retrahúntque, sequamur,
Quidquid erit, superanda omnis fortuna *ferendo* est ibid. 5. 710

Qui

Principis officium	Qui fœdere certo Et *premere* & laxas sciret *dare* jussus habenas.	Æ. 1. 67
Prudentia	Fato *prudentia* major,	G. 1. 416
	Non ignara (*Dido*) mali miseris succurrere disco.	Æ. 1. 634

R.

Roma	NEc tantum alias inter caput extulit urbes, Quantum lenta solent inter viburna cupressi.	Ecl. 1. 25
Item	Illa inclyta *Roma* Imperium terris, animos æquabit olympo.	Æn. 6. 782
Rura	Laudato ingentia rura, Exiguum colito.	G. 2. 412

S.

Scelera & Scelerum pœna innumerabiles	NOn mihi si linguæ centum sint, oráque centum, Ferrea vox, omnes *scelerum* comprendere formas, Omnia *pœnarum* percurrere nomina possem.	Æ. 6. 625
Senectutis damna	Gelidus tardante senecta Sanguis hebet, frigéntque effœtæ in corpore vires.	ibid. 5. 395
Sol	*Solem* quis dicere falsum Audeat?	G. 1. 463
Sors	Sors omnia versat,	B. E. 9. 5
Somnus exsistentis in vitæ periculo.	Potes hoc sub casu ducere somnos?	Æ. 4. 560

Spes	*Spes* addita suscitat iras.	Æ. 10. 263
Superbia	Non ea vis animo, nec tanta *superbia* victis.	Æ. 1. 533

T.

Temperantia.	NOn ulla magìs vires industria firmat, Quàm Venerem, & cæci stimulos avertere amoris.	G. 3. 209
Tempus	Fugit irreparabile *tempus.*	G. 3. 284
Timor	Degeneres animos *timor* arguit.	Æ. 4. 13
Item	Pedibus *timor* addidit alas	Æ. 8. 224

V.

Veneratio Deorum.	IN primis venerare Deos.	G. 1. 338
Vetustas.	Tantum ævi longinqua valet mutare *vetustas.*	Æ. 3. 415
Victor, & Victus.	Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ, Nónne vides?	G. 3. 102
Victi	Una salus *victis* nullam sperare salutem.	Æ. 2. 354
Item	Quondam etiam *victis* redit in præcordia virtus.	ibid. 367
Vinci ab insigni Victore gloriosum.	Hoc tamen infelix miseram solabere mortem, Æneæ magni dextrâ cadis. (*Sunt verba Æneæ ad Lausum à se interemptum*	Æ. 10. 829
Virtus	(*De Turno*) Quacunque viam virtute petivit.	ibid. 12. 913
Virtus constans.	*Rumpuntur* nescia vinci *Pectora.*	ibid. 12. 527

Fit

Vis.	Fit via vi.	Æ. 2. 494
Vita brevis Gloria perennis virtute comparatur.	Stat ſua cuique dies, *breve* & irreparabile tempus Omnibus eſt *vitæ* : ſed *famam* extendere factis Hoc *virtutis* opus.	Æ. 10. 466
Vitium.	Alitur *vitium* , vivítque tegendo.	G. 3. 454
Vulgus	Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.	Æ. 2. 39

INDEX IN NOTAS

Comprehendit potiſſimùm vocabula Poëtica, & alia Notis illuſtrata. Si Lector non inveniat ſingulis verſibus ſubjunctas continuò Notas, quæ ob foliorum anguſtias ubique & ſæpiùs poni non potuère, conſulat hunc Indicem. Juverit etiam hic ipſe Index ad multa in alijs Poëtis occurrentia Nomina Poëtica intelligenda.

Numerus folium ſignificat.

An-

Arcto-

B

Bia-

Cir-

E.

E

Feru-

Gem-

In-

Ju-

Mi-

N.

Palea.

Phry-

Sci-

The-

V

FINIS.